23

CONCIL
TRIDEN

N°
49443






BIBLIOTHEQUE DU CLERGE DE TOULOUSE
Ex Dono Benedicti
Pheliot abbatis
Professoris Regii
ARTH AUDF

Resp 49443

10

Rés p 49443

CANONES ET DECRETA SACROSANCTI OECVMENICI, ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI,

Sub Paulo III. Iulio III. & Pio IIII. Pontif. Max.

Quibus adiunximus Christianorum Principum, ad Sacrum Concilium Literas, & Mandata, Legatorúmq; ab illis missorum Orationes, vnà cum S. ipsius Synodi Responsis,

Sub Pio IIII. Pont. Max. & Ferdinando Primo Cæs. Augusto.

Cum Indice Dogmatum & Reformationis.



LVGDVNI,

APVD GVLIEL. ROVILLIVM,
SVB SCVTO VENETO,

M. D. LXVI.



PAVLVS MANVTIVS
PIO LECTORI S.

QVI de Catholica fide rectè sentiunt, fatentur omnes vtilissimum fuisse humano generi, atque adeo salutare Concilium Tridentinum: quod eximia summi Dei erga nos clementia, Pij IIII. Pontificis Maximi sapientia singulari, mirifica Legatorum Cardinalium, qui præfuere, vigilantia, maximo etiam Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, Principum, & Patrum, qui interfuere, consensu, ita confectum absolutúmque videmus, vt exitiosam illam animorum pestem, quæ quotidie serpebat latius, nunc quidem aliqua iam ex parte compressam esse, breui autem ope diuina, cunctis populis & nationibus ad communem salutem consentientibus, prorsus tolli posse, omnes confidant: quo merito gratiæ sunt habendæ primùm immortali Deo maximæ, vnde bona manant omnia, deinde Pio IIII. qui hoc spectauit vnum, & in hoc potissimum ab illo primùm die, quo summam inter omnes homines potestatem, delatam diuinitus, accepit, fixit curas & cogitationes omnes, vt communibus malis generali Concilio mederetur: quo sæpe remedio Christiana Respublica erumpentibus vitijs occurrit, & impendentes ex dissensione, atque discordia calamitates euitauit. Hoc beneficium disseminari quamprimum, ac distribui per orbem terrarum, ad propagandam veritatem, & diuulgandam Ecclesiæ Catholicæ sententiam, necesse est. Itaque nunc eduntur puri Canones & ipsa Decreta, cum appendice nulla, tantùm vt ea cognoscantur, quæ primùm Sacrosancta Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata: deinde Pontifex ipse confirmando seruari pariter ab omnibus in perpetuum iussit. Nam reliqua Concilij acta, diligentissimè per Scribas publicos in ipso Concilio ex-

cepta, & literis mandata, mox ita emittentur, vt, quacunque res in controuersiam venerit, quacunque vel sententia dicta, vel oratio habita sit, omnia denique agitata, quæsita, deliberata, suo quidque loco, distinctè, & abundanter exponantur. Interim accipe summam rei lector optime, quæ ad salutem vehementer pertinet: vniuersam verò Tridentini Concilij, trium Pontificum distinctam temporibus historiam, eodem, cuius ad gloriam hæc omnia diriguntur, iuuante Deo, propediem expecta. Nullam enim tanti negotij partem ignorare, non modo iucundum est, verùm ad multa etiam vtile, & accommodatum: quod aliorum Conciliorum lectio declarat.

Romæ, M. D. LXIV.

BVLLA

BVLLA INDICTIONIS SACRI

Oecumenici & Generalis Concilij Tridentini, sub Paulo III. *Pontifice Maximo.*

PAVLVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Initio nostri huius Pōtificatus, quem non ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem Dei omnipotentis prouidentia nobis commisit, cernentes iam tum in quas perturbationes temporum, quótque incommoda rerū fere omnium nostra Pastoralis solicitudo & vigilia esset vocata, cupiebamus quidem mederi Christianæ Reip. malis, quibus illa iamdudum vexata, & propemodum oppressa est: sed ipsi etiam, vt homines, circundati infirmitate, ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus. Nam cùm pace opus esse intelligeremus, ad liberandam & conseruandam à plurimis impendentibus periculis Remp. omnia inuenimus odiis & dissensionibus plena, dissentientibus præsertim Principibus iis inter se, quibus summa rerum pene omnis à Deo permissa est. Cùm vnū Ouile, & vnum Pastorē Dominici esse gregis, ad integritatem Christianæ Religionis, & ad cælestium bonorum spem in nobis confirmandam, necessarium duceremus: schismatis, disidiis, hæresibus erat Christiani nominis diuulsa iam pene, & lacerata vnitas. Cùm tutam, atque munitam ab infidelium armis, atque insidiis Remp. optaremus: nostris erratis, nostraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria

vexata,conceptum,& meditatum contra Italiam, contraque Austriam,& Illyricum terra marique bellum:cùm impius & immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret,nostrorúmque inter se odia, & dissensiones suam bene gerendæ rei occasionem duceret. Igitur(vt dicebamus)in tanta hæresum,dissensionum,bellorúmque tempestate,tantísque excitatis fluctibus, cũ essemus ad moderandã & gubernandã Petri nauiculã vocati,nec viribus ipsi nostris satis fideremus : primũ coniecimus in Domino cogitatus nostros,vt ipse nos nutriret,animúmque nostrũ firmitate,& robore,mentem consilio sapientiáque instrueret:deinde animo repetentes,maiores nostros,sapiẽtia admirabili,& sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ Reip. periculis remedium optimum, atque opportunissimum,Oecumenica Cõcilia,& Episcoporum generales conuentus adhibuisse: ipsi quoque animũ ad generale habẽdum Concilium adiecimus: exquisitísq; Principum sententiis,quorum nobis videbatur vtilis in primis,& opportuna ad hanc rem esse consensio : cùm eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere inuenissemus, Oecumenicũ Concilium,& generalem eorum Episcoporum, aliorúmque Patrum,ad quos pertineret, conuentum in ciuitate Mantuæ indiximus,Anno incarnationis Domini(sicut literis,& monumentis nostris testatum est) Millesimo quingentesimo trigesimo septimo,Pontificatus nostri tertio ad x.Kal. Iunij,inchoandum:spem prope certam habẽtes fore,vt, cùm illic in nomine Domini essemus congregati,ipse,sicut promisit,Dominus in medio nostrûm affuturus,& bonitate,ac misericordia sua omnes temporum procellas,omniáque pericula Spiritu oris sui facilè depulsurus esset. Sed,vt semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primùm contra omnem spem, & expectationem nostram denegata fuit nobis

Mantuana ciuitas, nisi aliquas conditiones subiremus, ab institutis maiorum nostrorum, & conditione temporũ nostráque ac huius sanctæ Sedis, ac nominis Ecclesiastici dignitate, libertatéq; prorsus alienas, quas in aliis nostris literis expressimus. Quapropter aliũ inuenire locum, aliámque delige re ciuitatẽ necesse habuimus: quæ cùm non statim nobis occurreret idonea, & apta: ad sequentes Kal. Nouẽ. prorogare Concilij celebrationem fuimus coacti. Interim sæuus, & perpetuus hostis noster Turca, ingenti classe Italiam adortus, aliquot oppida in littoribus Apuliæ cepit, vastauit, diripuit, prædas hominum abegit: nos in maximo timore, & periculo omnium, muniendis litoribus nostris, finitimísque auxilio iuuandis fuimus occupati: nec tamen interea destitimus consulere, & hortari Christianos Principes, vt de idoneo ad habendum Concilium loco quid sentirent, nobis exponerent: quorum cùm essent incertæ, variæq; sententiæ, tempusq; diutius, quàm erat opus, videretur extrahi: nos optimo animo, atque, vt arbitramur, etiam consilio Vincentiam elegimus, vrbem copiosam, & Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, authoritate, potentia cum aditum patẽtem, tum stationem omnibus liberam, atque tutam in primis in se habentem. Sed cùm iam tempus longius progressum esset: nouæque vrbis electionem omnibus significari conueniret: iamque Kalendæ Nou. appetentes facultatem huius diuulgationis excluderent, hiemsque esset propinqua: rursus altera prorogatione tempus Concilij differre in proximum sequẽs ver, Maijque futuras Kalendas, compulsi fuimus. Qua re firmiter cõstituta, atque decreta: cùm & nos ipsos, & cætera omnia ad eum bene agendum, Deo iuuãte, celebrandumq; conuentum pararemus, plurimũ reputantes interesse cùm celebrationis Cõcilij, tũ vniuersæ Christianæ Reip. Christianos

Princi

Principes pace inter ſe,& concordia conſentire:chariſſimos in Chriſto filios noſtros,Carolum Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, & Chriſtianiſſimũ Regem Franciſcum , duo præcipua Chriſtiani nominis firmamenta, atque ſubſidia,orare,atque obſecrare inſtitimus, vt ad colloquium inter ſe, & nobiſcum vnà conuenirent : quorũ quidem apud vtrumque literis,Nunciis,& à latere noſtro miſſis,ex venerabilium fatrum noſtrorum numero,Legatis,ſæpiſsimè egeramus,vt ex ſimultate, & diſsidiis ambo in vnũ fœdus, & piam amicitiam vellent conuenire,labentibúſq; ſuccurrere Chriſtianis rebus:quarum ſeruandarum cùm eſſet illis poteſtas ab Deo præcipuè tributa,ſi id non agerent,& ad cõmune Chriſtianorum bonum ſua conſilia non dirigerent, acris & ſeuera ratio eidem Deo ab ipſis reddenda eſſet. Qui aliquando precibus noſtris annuentes, Nicæam ſe contulere, quò nos quoque longum iter , & ſenili ætati noſtræ vehementer contrarium,Dei & pacis conciliandæ cauſa ſuſcepimus : neque prætermiſimus interea,cùm tempus Concilij præſtitutũ, Kalendæ videlicet Maiæ appropinquarẽt,tres Legatos ſummæ virtutis, ac authoritatis, à latere noſtro , de numero eorundem fratrum noſtrorum,S.R.E. Cardinaliũ, Vincentiam mittere:qui initium Concilij facerent:Prælatóſque vndique venientes exciperent:& ea,quæ iudicarent eſſe opus,agerent, & tractarent,quoad nos, ab itinere, & negotio pacis reuerſi, omnia accuratius dirigere poſſemus. Interim verò in illud ſanctum opus,maximeque neceſſarium,tractationem videlicet pacis iter Principes,incubuimus, & quidem omni animi ſtudio,omni pietate,ac diligentia. Teſtis eſt nobis Deus : cuius freti clementia noſmetipſos itineris , & vitæ periculo expoſuimus. Noſtra teſtis conſcientia: quæ nihil habet in hac re quidem,in quo nos arguat aut prætermiſſæ, aut non quæ-

ſitæ

sitæ ad pacificandum occasionis. Principes ipsi testes: quos tam sæpe, tamque vehementer Nunciis, literis, Legatis, monitis, hortatu, precibúsq; omnibus obsecraueramus, vt simultates deponerent, vt societatem coirent, vt Christianæ Reip. in maximum, & propinquum iam adductæ discrimen, communibus studiis, & subsidiis opitularentur. Iam verò testes illæ vigiliæ atque curæ, illi diurni, nocturnique animi nostri labores, grauésque solicitudines, quas ob hãc rem & causam plurimas iam suscepimus: nec tamen ad optatum exitum nostra consilia, & acta adhuc perducta sunt. Ita enim visum domino Deo est: quem tamen non desperamus aliquãdo optata nostra benignius respecturum. Ipsi quidem, quantum in nobis fuit, nihil, quod esset nostro Pastorali officio debitum, in hac re omisimus. Quòd si qui sunt, qui actiones pacis nostras in aliam interpretentur partem: dolemus quidem: sed tamen in dolore nostro gratias Deo omnipotenti agimus, qui ad exemplum & doctrinam patiẽtiæ nostræ suos voluit Apostolos haberi dignos, qui pro nomine Iesu, qui pax nostra est, contumeliam paterentur. Verùm in illo cõgressu, colloquióque nostro, quod Nicææ habitũ est, etsi, peccatis nostris impedientibus, inter duos Principes vera & perpetua pax non potuit confici, inducię tamen decennales factæ sunt: quarum opportunitate nos sperantes & sacrum Concilium commodius celebratum iri, & deinde ex Cõcilij auctoritate perfici posse pacem: apud Principes institimus, vt & ipsi venirent ad Concilium, & Prælatos suos præsentes ducerent, absentésq; accerserẽt. Qui cùm de vtroque se excusassent: quòd & ipsis redire in regna sua tum necesse esset: & Prælatos, quos secum habuissẽt, itinere, atque impendiis fessos, atque exhaustos recreari, & refici oporteret: nos hortati sunt, vt aliam quoque prorogationem temporis habendi Concilij decerneremus.

**

Qua in re concedenda cùm essemus aliquãtum difficiles, literas interim à Legatis nostris, qui Vincentiæ erant, accepimus, transacto iam, & longius præterito Concilij ineũdi die, vnum vix, aut alterum ex externis nationibus Prælatũ Vincentiam se contulisse. Quo nuntio accepto, cùm videremus eo tempore nulla iam ratione haberi Concilium posse, ipsis Principibus concessimus, vt differretur tempus agendi Concilij vsque ad sanctum Pascha, diemque festum futuræ Dominicæ resurrectionis. Cuius nostri præcepti, expectationisque decretæ literæ Genuæ, anno incarnationis Domini millesimo quingentesimo trigesimo octauo, IIII. Kal. Iulij factæ, publicatæque sunt, atque hanc dilationem eo propensius fecimus, quòd pollicitus est nobis vterque Princeps Legatos suos Romam ad nos se missurum, vt ea quæ ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Nicææ ob breuitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodius coram nobis agerentur, & tractarentur: & ob hanc rationem etiam à nobis ambo petierũt, vt hæc pacificationis procuratio Concilij celebrationi præponeretur, cùm ipsum Concilium, pace facta, multo deinde vtilius, & salutarius Christianæ Reip. futurum esset: semper enim hæc pacis spes nobis iniecta Principum nos voluntatibus assentiri hortata est. Quam spem vehementer auxit post discessum à Nicæa nostrum ipsorum duorum Principum inter se beneuola amicaque congressio: quæ maxima nostra cum lætitia à nobis intellecta, cõfirmauit nos in bona spe, vt tandem aliquãdo nostras preces apud Deum exauditas, & vota pacis accepta esse crederemus. Hanc igitur pacis concluſionem cùm & expeteremus, & vrgeremus: nec solùm duobus ante dictis Principibus, verumetiam chariſſimo in Christo filio nostro Ferdinando, Regi Romanorum, videretur, actionem Concilij, nisi pace facta, suscipi

non

non oportere: cunctíque à nobis per literas suosque Oratores contenderent, vt alias rursus temporis prorogationes faceremus: præcipuè autem instaret Sereniſſimus Cæsar, promiſſiſſe se demõstrans iis, qui à Catholica vnitate diſſentiunt, se operam suam apud nos interpositurum, vt aliqua concordiæ ratio iniretur: quod ante suam in Germaniam profectionem aptè non posset fieri. Nos, eadem semper spe pacis, & tantorum Principum voluntate adducti, cùm præsertim cerneremus, ne ad dictum quidem Resurrectionis festum alios Prælatos Vincentiam conueniſſe, prorogationis nomen iam fugientes, quod tam sæpe frustrà fuerat repetitum, celebrationem generalis Concilij ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendere maluimus: itaque fecimus, & de suspensione huiusmodi literas ad singulos supradictorum Principum decima die Iunij M. D. XXXIX. dedimus, sicuti ex illis perspicuè potest intelligi. Ea itaque suspensione necessario per nos facta, dum tempus illud magis idoneum à nobis, pacisque aliqua concluſio expectatur: quæ & dignitatem postea frequentiamque Concilio, & Christianæ Reipublicæ præsentiorem salutem erat allatura: Christianæ interea res in deterius quotidie prolapsæ sunt, Hungaris, Rege ipsorum mortuo, Turcam vocantibus: Ferdinando Rege bellum in eos mouente: Belgis ad defectionem à Cæsare ex parte quadam incitatis: cuius defectionis comprimendæ causa per Galliam amiciſſimè, & cum Rege Christianiſſimo concordiſſimè, magno beneuolæ inter eos voluntatis indicio, transiens in Belgas Sereniſsimus Cæsar, & illinc deinde in Germaniam profectus, conuentus Germaniæ Principum, & ciuitatum, tractandæ eius, quam dixerat, concordiæ causa habere cœpit. Sed cùm, spe pacis iam deficiente, ille quoque modus curandæ in conuentibus, tractan-

dæque concordiæ ad maiores potius discordias concitandas aptus esse videretur: inducti fuimus ad pristinũ Concilij generalis remedium reuerti: idque per Legatos nostros S.R.E. Cardinales, ipsi Cæsari obtulimus: quod etiã postremo, & præcipuè in Ratisponensi conuentu egimus: cùm illic dilectus filius noster, Gaspar tit. S. Praxedis, Cardinalis Contarenus, summa doctrina, & integritate, Legatum nostrũ ageret: nam cùm, id quod ne accideret, anteà veriti eramus, ex eius conuentus sententia peteretur à nobis, vt ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerãdos declararemus, quoad per Oecumenicum Concilium illi excuterentur, & decideretur: idque nobis, vt concederemus, neque Christiana & Catholica veritas, neq; nostra, & Sedis Apostolicæ dignitas permitteret: palam potius Concilium, vt quamprimum fieret, proponi mandauimus. Neque verò in alia vnquam sententia, & voluntate fuimus, quàm vt primo quoque tempore Concilium Oecumenicum, & generale congregaretur: sperabamus enim ex eo & pacẽ populo Christiano, & Christianæ religionis integritatem posse recuperari: verumtamen id cum bona gratia, & voluntate Christianorum Principum habere volebamus. Quam voluntatẽ dum expectamus: dum obseruamus tempus absconditum, tẽpus beneplaciti tui, ô Deus: aliquando tandem decernere compulsi sumus, omne esse tempus beneplacitum Deo, cùm de rebus sanctis, & ad Christianã pietatem pertinentibus consilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi nostri cum dolore, rem Christianam quotidie in peius ruere, Hungaria à Turcis oppressa, Germanis periclitantibus, cæteris omnibus metu, mœroreq; afflictis, nullius iam Principis consensum expectare, sed tantum Dei omnipotentis voluntatem, & Christianæ Reip. vtilitatem attendere constituimus. Itaque cùm Vincẽtiam amplius

plius non haberemus: cuperemúsque cùm vniuersæ Christianorum saluti, tum Germanicæ nationis incommodis in eligendo per nos noui Concilij habendi loco cõsulere: aliquotque locis propositis, ipsam Tridentinam ciuitatẽ ab ipsis desiderari videremus: nos etsi in citeriore Italia cõmodius omnia tractari posse iudicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paterna charitate deflexímus: itaque Tridentum ciuitatem elegimus, qua in ciuitate Oecumenicum Concilium ad proximè venturas Kalendas Nouem. haberetur, idoneum locum illum statuentes, quò ex Germania quidem, aliisque Germaniæ finitimis nationibus facillimè ex Gallia, Hispania, cæterisque prouinciis remotioribus non difficiliter Episcopi, & Prælati conuenire possent. Dies autem Concilij ea à nobis spectata est quæ spatium in se haberet & publicandi per Christianas nationes nostri huius Decreti, & facultatis omnibus Prælatis ad veniendũ tribuendæ. Quo minus autem annuum tempus præfiniremus mutando Concilij loco, sicut quibusdam cõstitutionibus aliâs præscriptum est, ea res fuit in causa, quòd longius extrahi spem sanandæ aliqua in parte Christianæ Reip. quæ tot detrimentis, & calamitatibus affecta est, noluimus: Ettamen videmus tempora: agnoscimus difficultates: quid sperari possit ex consiliis nostris, incertum esse intelligimus. Sed quia scriptum est: Reuela Domino viam tuam & spera in eo, & ipse faciet: magis Dei clementiæ, & misericordiæ cõfidere, quàm nostræ imbecillitati diffidere, cõstituimus. Sæpe enim fit bonis in operibus incipiendis, vt, quod humana consilia non valẽt, diuina virtus efficiat. Huius igitur ipsius Dei omnipotentis Patris, & filij, & Spiritus sancti, ac beatorum eius Apostolorum, Petri, & Pauli authoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti, atque subnixi, de venerabilium item fratrum nostrorum S.

R.E.Cardinalium cõsilio,& assensu sublata,amotáq; suspensione,de qua suprà commemoratum est,quam per præsentes tollimus, & amouemus, Sacrum œcumenicum & generale Concilium in ciuitate Tridentina,loco commodo,libero,omnibúsq; nationibus opportuno,ad Kalẽdas proximas Nouemb.anni præsentis ab incarnatione Domini M. D. XLII. incipiendum,prosequendum,& eodem Domino adiuuante, ad ipsius gloriam,atq; laudẽ,& Christiani totius populi salutem absoluendũ, perficiendúmq; indicimus, annunciamus, conuocamus,statuimus,aq; decernimus,omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos,Episcopos,& dilectos filios Abbates, quã alios quoscumque,quibus,iure aut priuilegio in Conciliis generalibus residendi,& sententias in eis dicẽdi,permissa potestas est: requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis in vi iurisiurandi,quod nobis,& huic sanctæ Sedi præstiterunt, ac sanctæ virtute obedientiæ, aliisq; sub pœnis iure aut consuetudine in celebrationibus Conciliorum aduersus non accedentes ferri,& proponi solitis:mandãtes, arctéq; præcipientes, vt ipsimet, nisi forte iusto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur,aut certe per suos legitimos procuratores & nuncios sacro huic Concilio omnino adesse, & interesse debeant. Suprà autem dictos, Imperatorem,Regémque Christianissimum,necnon cæteros Reges, Duces, Principes, quorum præsentia (si aliâs vnquam) hoc quidem tempore maxime sanctissimæ Christi fidei, & Christianorum omnium futura est salutaris, rogantes, atque obsecrantes per viscera misericordiæ Dei, & Domini nostri Iesu Christi, cuius fidei veritas, & Religio & intus & extrà grauiter iam oppugnatur, vt si saluam volunt Christianam esse Rempublicam, si se Domino obstrictos,

& obli

& obligatos pro maximis illius erga se beneficiis intelligũt, ne deserant ipsius Dei causam, & negotium: ipsimet ad sacri Concilij celebrationem veniant, in quo ipsorum pietas, atque virtus communi vtilitati, salutique suæ, ac cæterorum, & temporali, & æternæ, plurimum est profutura. Sin autem (id quod nollemus) accedere ipsi non poterunt: at graues saltem viros legatos cum auctoritate mittant, qui personam Principis sui quisque & cum prudentia, & cum dignitate possint in Concilio referre. In primis verò vt id curent, quod ipsis facillimum est, vt ex suis cuiusque regnis, ac prouinciis Episcopi, & Prælati sine tergiuersatione, & mora ad Concilium proficiscantur. Quod maxime quidem à Prælatis, Principibusq; Germaniæ Deum ipsum, atque nos impetrare æquum est, vt cùm eorum præcipue causa, ipsisque cupientibus Concilium indictum sit & in ea ciuitate indictum, quæ ab eis est desiderata, non grauentur ipsi sua cunctorum præsentia id celebrare, & ornare: quo melius, atque commodius, quæ ad integritatem, & veritatem Christianę Religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Christianorum inter se, tam Principum, quàm populorum pacem, vnitatem, concordiámq; pertineant, & quæ ad repellẽdos impetus Barbarorum & infideliũ, quibus illi vniuersam Christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria, Deo nostris consultationibus præeũte, & lumen sapiẽtiæ suæ, ac veritatis mentibus nostris prę ferẽte, agi in dicto sacro Oecumenico Concilio, & cõspirante omnium charitate consuli, tractari, confici, ad optatósq; exitus deduci quamprimum, & quam optime possint. Atque vt nostræ hæ literæ, & quæ in eis cõtinentur, ad notitiam cũctorum, quorum oportet, perueniant. ne quis illorum ignorantię excusationem prętendat, cùm

prę ser

præsertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illæ essent intimandæ, tutus forsitan pateat accessus: volumus, & mandamus, vt in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, Ecclesia Lateranensi, cùm ibi multitudo populi ad audiendam rem diuinam cõgregari solita est, palàm clara voce per curię nostrę cursores, aut notarios aliquos publicos legãtur, lectæque in valuis dictarum Ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apostolicæ portis, & campi Floræ solito loco affigantur, vbi ad lectionem, & notitiam cunctorum aliquandiu expositæ pendeant: cumq; inde amouebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationem, affixionemque huiusmodi, omnes, & quoscunque, quos antedictæ nostræ literæ comprehẽdunt, post spacium duorum mensium à die literarum publicationis & affixionis, ita volumus obligatos esse, atq; adstrictos, ac si ipsismet illæ corã lectæ, & intimatæ essent: transumptis, quidem earum, quæ manu publici notarij scripta, aut subscripta, & sigillo personæ alicuius Ecclesiasticæ, in dignitate constitutæ, munita fuerint, vt fides certa, & indubitata habeatur, mãdamus, atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, annuntiationis, conuocationis, statuti, decreti, mandati, præcepti, & obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum, Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, M. D. XLII. XI. Kalend. Iunij, Pontificatus nostri Anno VIII.

BLOSIVS.

HIER. DAND.

SESS

SESSIO PRIMA,

SACROSANCTI OECVMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI,

SVB PAVLO III. PONT. MAX. Celebrata die XIII. mensis Decemb. anno Domini M. D. XLV.

Decretum de inchoando Concilio.

PLACET ne vobis, ad laudem & gloriam sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ad incrementum, & exaltationē fidei & religionis Christianæ, ad extirpationem hæresum, ad pacem, & vnionem Ecclesiæ, ad reformationem Cleri, & populi Christiani, ad depressionē, & extinctionē hostium Christiani nominis, decernere, & declarare, sacrum Tridentinum & generale Concilium incipere, & inceptum esse? *Responderunt, Placet.*

Indictio futuræ Sessionis.

ET cum proxima sit celebritas Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, & subsequantur aliæ festiuitates labētis & incipientis anni, placétne vobis primam futuram Sessionem habendam esse die Iouis post Epiphaniam, quæ erit septima mensis Ianuarij, anno Domini 1546? *Responderunt, Placet.*

SESSIO II. CELEBRATA DIE VII. MENSIS IANVARII, M. D. XLVI.

Decretum de modo viuendi, & alijs in Concilio seruandis.

SAcrosancta Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea præsidētibus eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, agnoscens cum beato Iacobo Apostolo, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum, qui iis, qui postulant à se sapientiam, dat omnibus affluenter, & non

improperat eis, & simul sciens, quod initium sapientiæ est timor Domini: statuit, & decreuit, omnes, & singulos Christi fideles, in ciuitate Tridentina congregatos, exhortandos esse, prout exhortatur, vt se à malis, & peccatis hactenus commissis emendare, ac de cetero in timore Domini ambulare, & desideria carnis non perficere, orationibus instare, sæpius confiteri, Eucharistiæ sacramentum sumere, ecclesias frequentare, præcepta denique Dominica, quantum quisque poterit, adimplere, necnon quotidie pro pace Principum Christianorum, & vnitate Ecclesiæ priuatim orare velint: Episcopos vero, & quoscunque alios in ordine sacerdotali constitutos, œcumenicum Concilium in ea ciuitate concelebrantes, vt assidue in Dei laudibus incumbere, hostias, laudes, & preces offerre, sacrificium Missæ quolibet saltem die Dominico, in quo Deus lucem condidit, & à mortuis resurrexit, ac Spiritum sanctũ in discipulos infudit, peragere satagãt, facientes sicut idem Spiritus sanctus per Apostolum præcipit, obsecrationes, orationes, postulationes gratiarum actiones pro sanctissimo Domino nostro Papa, pro Imperatore, pro Regibus, & cęteris, qui in sublimitate constituti sunt, & pro omnibus hominibus: vt quietam, & tranquillã vitam agamus, pace fruamur, & fidei incremẽtum videamus. Præterea hortatur, vt ieiunent saltem singulis sextis ferijs in memoriam passionis Domini, & eleemosynas pauperibus erogent: in ecclesia autem cathedrali singulis quintis ferijs celebretur Missa de Spiritu sancto, cum lætanijs, & alijs orationibus ad hoc institutis: in alijs vero ecclesijs eadem die dicantur ad minus lætaniæ, & orationes: tempore autem, quo sacra peraguntur, collocutiones, & confabulationes non fiant, sed ore, & animo, celebranti assistatur. Et quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suæ præpositos, hortatur etiam, vt ante omnia quilibet in mensa seruet sobrietatem, moderationemque ciborum. Deinde cum in eo loco sæpe otiosi sermones oriri soleant, vt in ipsorum Episcoporum mensis diuinarum scripturarum lectio admisceatur. Familiares vero suos vnusquisque instruat, & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi, & voluptatum amatores: vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur, & in vestitu, & cultu, & omnibus actibus honestatem præ se ferant, sicut decet ministros ministrorum Dei. Ad hæc cum huius sacrosancti Concilij præcipua cura, solicitudo, & intentio sit, vt propulsatis hæresum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terrã, Catholicę veritatis lux, Iesu Christo, qui vera lux est, annuẽte, candor puritásque refulgeat, & ea, quæ reformatione egent, reformentur: ipsa

Synodus hortatur omnes Catholicos hîc congregatos,& congregandos,atque eos præsertim,qui sacrarum literarum peritiam habent, vt sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent,quibus potissimum viis,& modis ipsius Synodi intentio dirigi,& optatum effectum sortiri possit,quo maturius,& consultius damnari damnanda,& probanda probari queant: vt per totum orbem omnes vno ore,& eadē fidei confessione glorificent Deum,& patrem Domini nostri Iesu Christi.

In sententiis vero dicendis, iuxta Toletani Concilij statutum, in loco benedictionis considentibus Domini sacerdotibus,nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere,aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis vanisve,aut obstinatis disceptationibus contēdere: sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, vt nec audientes offendantur, neq; recti iudicij acies perturbato animo inflectatur.

Insuper ipsa sacra Synodus statuit,ac decreuit,quod,si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere,& sententiam, etiam sub verbo,Placet, proferre, congregationibus interesse, & alios quoscunque actus facere,Concilio durante, nulli propterea præiudicium generetur,nullique nouum ius acquiratur.

Deinde indicta fuit futura Sessio ad diem Iouis, quarta mensis Februarij proxime venturi.

SESSIO III. CELEBRATA DIE IIII. MENSIS FEBRVARII, M. D. XLVI.

Decretum de Symbolo fidei.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij,& Spiritus sancti.

Hæc sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus,in Spiritu sancto legitime congregata,in ea præsidentibus eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, magnitudinem rerum tractandarum considerans, præsertim earum, quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæresibus, & moribus reformandis,continentur,quorū causa præcipue est congregata:agnoscēs autem cum Apostolo non esse sibi colluctationem aduersus car-

nem, & ſanguinem, ſed aduerſus ſpiritales nequitias in cæleſtibus, cum eodem omnes, & ſingulos in primis hortatur, vt confortentur in Domino, & in potentia virtutis eius, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsint omnia tela nequiſsimi ignea extinguere, atque galeam ſpei ſalutis accipiant, cum gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Itaq; vt hæc pia eius ſolicitudo principium, & progreſſum ſuum per Dei gratiam habeat, ante omnia ſtatuit, & decernit præmittendam eſſe confeſsionem fidei, Patrum exempla in hoc ſecuta, qui ſacratioribus Conciliis hoc ſcutum contra omnes hæreſes in principio ſuarum actionum apponere conſueuere: quo ſolo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt. Quare ſymbolum fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Chriſti profitentur, neceſſario conueniunt: ac fundamentum firmum, & vnicum, contra quod portæ Inferi nunquam præualebunt, totidem verbis, quibus in omnibus eccleſiis legitur, exprimendum eſſe cenſuit. Quod quidem eiuſmodi eſt. Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium: & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt, crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt: & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: & aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram patris: & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis: & in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filióque procedit: qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas: & vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſsionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Indictio futuræ Seſsionis.

EADEM ſacroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, intelligens multos Prælatos ex diuerſis partibus accinctos eſſe itineri, nonnullos etiam in via eſſe, quo

quo huc veniant: cogitánsque omnia ab ipsa sacra Synodo decernenda ea maioris apud omnes existimationis, & honoris videri posse, quo maiori fuerint, & pleniori Patrum consilio, & præsentia sancita, & corroborata: statuit, & decreuit, futuram Sessionem post præsentem celebrandam esse die Iouis, quæ subsequetur Dominicam, Lætare, proxime futuram: interim tamen non differri discussionem, & examinationem eorum, quæ ipsi Synodo discutienda, & examinanda videbuntur.

SESSIO IIII. CELEBRATA DIE VIII. MENSIS APRILIS, M. D. XLVI.

Decretum de canonicis scripturis.

SAcrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, vt, sublatis erroribus, puritas ipsa Euangelij in Ecclesia conseruetur: quod promissum ante per Prophetas in scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus Dei filius, proprio ore primùm promulgauit: deinde per suos Apostolos, tanquam fontẽ omnis, & salutaris veritatis, & motum disciplinæ, omni creaturæ prædicari iussit: perspiciénsque hanc veritatem, & disciplinam, contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quę ab ipsius Christi ore ab Apostolicis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt: orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quam noui Testamenti, cum vtriusque vnus Deus sit auctor; nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit, & veneratur. Sacrorum verò librorum Indicem huic Decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt verò infrascripti: Testamenti veteris, quinque Moysis, id est, Geneseos, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: deinde Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon,

Esdræ primus,& secundus,qui dicitur Neemias, Tobias, Iudith, Hesther, Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolæ Salomonis, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus, & secundus. Testamenti noui, quatuor Euangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem. Actus Apostolorũ à Luca Euangelista conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit: & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit: anathema sit. Omnes itaque intelligant, quo ordine, & via ipsa Synodus, post iactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimum testimoniis, ac præsidiis in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus, sit vsura.

Decretum de editione, & vsu sacrorum librorum.

INsuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum vtilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circunferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit innotescat, statuit, & declarat, vt hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illam reiicere quouis prætextu audeat, vel præsumat.

Præterea, ad coercenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarũ, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiam si huiusmodi interpretationes

tationes nullo vnquam tempore in lucem edendę forent. Qui contrauenerint, per Ordinarios declarẽtur, & pœnis à iure statutis puniãtur.

Sed & impressoribus modum in hac parte, vt par est, imponere volens, qui iam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet, sine licentia Superiorum Ecclesiasticorum, ipsos sacrę Scripturæ libros, & super illis annotationes, & expositiones quorumlibet indifferenter, sæpe tacito, sæpe etiam ementito prælo, & quod grauius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros huiusmodi temere venales habent: decernit, & statuit, vt post hac sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus, & vulgata editio quam emendatissime imprimatur: nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quo suis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurũ vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilij nouissimi Lateranensis appositа. Et si regulares fuerint, vltra examinationem, & probationem huiusmodi, licentiam quoque à suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos cõmunicant, vel euulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem pœnis subiaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi, authentice appareat: idque totum, hoc est, & probatio, & examen gratis fiat: vt probanda probentur, & reprobentur improbanda. Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque conuertuntur, & torquentur verba, & sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia, scilicet fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos: mandat & præcipit ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc, & similia audeat vsurpare, vt omnes huius generis homines, temeratores, & violatores verbi Dei, iuris, & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur.

Indictio futuræ Sessionis.

ITEM, hæc sacrosancta Synodus statuit, & decernit, proximam futuram Sessionem tenendam, & celebrandam esse feria quinta, post sacratissimum festum proximum Pentecostes.

SESS

SESSIO V. CELEBRATA DIE XVII. MENSIS IVNII, M. D. XLVI.

Decretum de peccato originali.

VT fides noſtra Catholica, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, purgatis erroribus, in ſua ſinceritate integra, & illibata permaneat, & ne populus Chriſtianus omni vento doctrinæ circunferatur, cum ſerpens ille antiquus, humani generis perpetuus hoſtis, inter plurima mala, quibus Eccleſia Dei his noſtris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, eiuſque remedio non ſolum noua, ſed vetera etiam diſsidia excitauerit: ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis iam ad reuocandos errantes, & nutantes confirmandos accedere volens, ſacrarum Scripturarum, & ſanctorum Patrum, ac probatiſsimorum Conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ iudicium, & conſenſum ſecuta, hæc de ipſo peccato originali ſtatuit, fatetur, ac declarat.

Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam præuaricationis huiuſmodi iram, & indignationem Dei, atque ideo mortẽ, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt diaboli, totumque Adam per illam præuaricationis offenſam, ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe: anathema ſit.

Si quis Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanũ transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ: anathema ſit: cum contradicat Apoſtolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.

Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum omnibus, ineſt vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli,

quam

quam per meritum vnius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliauit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio, aut negat ipsum Christi Iesu meritum per Baptismi sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis, quam paruulis applicari: anathema sit: quia non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri: vnde illa vox: Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi. Et illa: Quicunque baptizati estis, Christum induistis.

Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, vnde fit consequens, vt in eis forma Baptismatis, in remissionẽ peccatorum non vera, sed falsa intelligatur: anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est, id quod dixit Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica vbique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari: anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere cõsepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & nouum qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet: quinimmo, qui legitime certauerit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Sy-

nodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam, Dei genitricem, sed obseruandas esse constitutiones felicis recordationis Xysti Papæ quarti, sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innouat.

Decretum de reformatione. Cap. 1.

EAdem sacrosancta Synodus, piis summorum Pontificum, & probatorum Conciliorum constitutionibus inhærens, eásque amplectens, & illis adiiciens, ne cælestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, negletus iaceat, statuit & decreuit, quod in illis ecclesiis, in quibus præbenda, aut præstimonium, seu aliud quouis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacræ theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & alij locorum Ordinarij eos, qui præbendam, aut præstimonium, seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem, & interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum, cogant, & compellant. De cętero vero præbenda, præstimonium, aut stipendium huiusmodi non nisi personis idoneis, & quæ per se ipsos id munus explicare possint, conferantur: & aliter facta prouisio nulla sit, & inualida. In ecclesiis autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, si ciuitas insignis, vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœcesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, vbi nulla præbenda, aut præstimonium seu stipendium huiusmodi deputatum reperitur præbenda quomodocunque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctũ non sit, ad eum vsum ipso facto perpetuo constituta, & deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis ecclesiis nulla, vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanus vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficij, eiusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suæ ciuitatis, & diœcesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli cõsilio

ita pro

ita prouideat, vt ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur, ita tamen, vt quæcunque aliæ lectiones, vel consuetudine, vel quauis alia ratione institutæ, propter id minime prætermitantur. Ecclesiæ vero, quarum annui prouentus tenues fuerint, & vbi tam exigua est Cleri, & populi multitudo, vt theologiæ lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant ab Episcopo cum cõsilio Capituli eligendum, qui Clericos, aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat: vt deinceps ad ipsa sacræ Scripturæ studia, annuente Deo, transire possint, ideoque illi magistro grammatices vel alicuius simplicis beneficij fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur, dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio: vel ex capitulari: vel Episcopali mensa condigna aliqua merces persoluatur: vel alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat suæ ecclesiæ, & diœcesi accõmodam, ne pia hæc, vtilis atque fructuosa prouisio quouis quæsito colore negligatur. In monasteriis quoque monachorum, vbi commode fieri id queat, etiã lectio sacræ Scripturæ habeatur, qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc vt Sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. In conuentibus vero aliorum Regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacræ Scripturæ lectio similiter habeatur: quę lectio à Capitulis generalibus vel prouincialibus assignetur dignioribus magistris. In gymnasiis etiam publicis, vbi tam honorifica, & cæterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate, & charitate ad Catholicæ fidei defensionẽ, & incrementum sanæque doctrinæ conseruationem & propagationem instituatur: & vbi instituta foret & negligeretur, restituatur. Et, ne sub specie pietatis impietas disseminetur: statuit eadem sancta Synodus neminem ad huiusmodi lectionis officium tam publice, quam priuatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus & approbatus non fuerit: quod tamen de lectoribus in Clausstris monachorum non intelligatur.

Caput 11.

DOcentes vero ipsam sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, & scholares, qui in ipsis scholis student, priuilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum suorum, in absentia à iure communi concessis, plenè gaudeant, & fruantur. Quia verò Christianæ Reipublicæ non minus necessaria est

prædicatio Euangelij, quàm lectio, & hoc est præcipuum Episcoporum munus: statuit, & decreuit eadem sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios ecclesiarum prælatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Iesu Christi Euangelium. Si verò contigerit Episcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis Concilij viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subiaceat vltioni. Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicunque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solennibus, plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis: docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem: annunciandóque eis cum breuitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat: vt pœnam æternam euadere, & cælestem gloriam consequi valeant, id vero si quis eorum præstare negligat, etiam si ab Episcopi iurisdictione quauis ratione exemptum se esse prætenderet: etiamsi ecclesiæ quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monasterio, etiam extra diœcesim existenti, forsan annexæ, vel vnitæ, modo re ipsa in diœcesi sint, prouida pastoralis Episcoporum solicitudo nõ desit: ne illud impleatur, Paruuli petierunt panem, & non erat qui frãgeret eis. Itaque vbi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita vt etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persoluatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat. Si quæ vero Parochiales ecclesiæ reperiãtur subiectæ monasteriis in nulla diœcesi existentibus: si Abbates, & regulares Prelati in prædictis negligentes fuerint: à Metropolitanis, in quorum prouinciis diœceses ipsæ sitæ sunt, tanquam, quo ad hoc, Sedis Apostolicæ delegatis compellantur, neque huius Decreti executionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio siue recursus impedire valeat, quousque desuper à competenti iudice, qui summarie, & sola facti veritate inspecta procedat, cognitum, & decisum fuerit. Regulares vero cuiuscunque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coram

ram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò, quæ suorum ordinum non sunt, vltra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur: sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint. Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant. Si vero, quod absit, prædicator errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiam si in monasterio sui, vel alterius ordinis prædicet: Episcopus ei prædicationem interdicat. Quòd si hæreses prædicauerit: contra eum secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat: etiam si prædicator ipse generali, vel speciali priuilegio exemptum se esse prætenderet, quo casu Episcopus authoritate Apostolica, & tanquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis prædicator, vel ex falsis informationibus, vel alias calumnioſe vexetur, iustámve de eis conquerendi occasionem habeat.

Caueant præterea Episcopi, ne aliquem vel eorum, qui cum sint nomine Regulares, extra claustra tamen, & obedientiam religionum suarum viuunt: vel Presbyterorum secularium, nisi ipsi noti sint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet priuilegiorum prætextu in sua ciuitate, vel diœcesi prædicare permittant, donec ab ipsis Episcopis super ea re sancta Sedes Apostolica consulatur, à qua priuilegia huiusmodi nisi tacita veritate & expresso mendacio ab indignis extorqueri verisimile non est. Quæstores vero eleemosynarij, qui etiam quæstuarij vulgo dicuntur, cuiuscunque conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per alium prædicare præsumant: & contra facientes ab Episcopis, & Ordinariis locorum, priuilegiis quibuscunque non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

Indictio futuræ Sessionis.

ITEM hæc sacrosancta Synodus statuit, & decernit, primam futuram Sessionem tenendam, & celebrandam esse die Iouis, feria quinta post festum beati Iacobi Apostoli.

Prorogata deinde fuit Sessio ad diem XIII. mensis Ianuarij. M. D. XLVII.

SESSIO VI. CELEBRATA DIE XIII. MENSIS IANVARII, M. D. XLVII.

Decretum de iustificatione.

PROOEMIVM.



VM hoc tempore non sine multarum animarum iactura, & graui Ecclesiasticæ vnitatis detrimento, erronea quædam disseminata sit de iustificatione doctrina: ad laudem, & gloriam omnipotẽtis Dei, Ecclesiæ tranquillitatem, & animarum salutem, sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ Tertij, Reuerendissimis Dominis, Dominis Ioan. Maria Episcopo Prænestino, de Monte, & Marcello tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero, sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicis de latere Legatis: exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanámque doctrinam ipsius iustificationis, quam Sol iustitiæ Christus Iesus, fidei nostræ auctor, & consummator, docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit: districtius inhibẽdo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere, quàm præsenti Decreto statuitur, ac declaratur.

De naturæ, & legis ad iustificandos homines imbecillitate.

Caput I.

PRimum declarat sancta Synodus ad iustificationis doctrinam probe, & sincere intelligendam, oportere, vt vnusquisque agnoscat, & fateatur, quod cum omnes homines in præuaricatione Adę innocentiã perdidissent: facti immundi, &, vt Apostolus inquit, natura filij iræ, quemadmodum in Decreto de peccato originali exposuit, vsque adeo serui erant peccati, & sub potestate Diaboli ac mortis, vt non modo gentes per vim naturę, sed ne Iudæi quidẽ per ipsam etiam literam legis Moysi, inde liberari, aut surgere possent: tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum, & inclinatum.

De

De dispensatione, & mysterio aduentus Christi.

Cap. II.

QVo factum est, vt cælestis pater, pater misericordiarū, & Deus totius consolationis, Christum Iesum, filium suum, & ante legem, & legis tempore multis sanctis Patribus declaratum, ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit: vt & Iudęos, qui sub lege erant, redimeret: & gētes, quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Qui per Christum iustificantur. *Cap.* III.

VErum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamē mortis eius beneficium recipiunt, sed ij dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur: nam sicut reuera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti: cùm ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam iustitiam contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur: cum ea renascentia per meritum passionis eius gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum filij dilectionis suæ: in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.

Insinuatur descriptio iustificationis impij, & modus eius in statu gratiæ. *Cap.* IIII.

QVibus verbis iustificationis impij descriptio insinuatur: vt sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum, saluatorem nostrum. quæ quidem translatio post Euangelium promulgatū, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest: sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

De necessitate præparationis ad iustificationem in adultis, & vnde sit. *Cap.* V.

DEclarat præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est

est,ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur: vt,qui per peccata à Deo auersi erant,per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem,eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando,disponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Vnde in sacris literis,cum dicitur; Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos: libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: Conuerte nos Domine ad te,& conuertemur; Dei nos gratia præueniri confitemur.

Modus præparationis. *Cap.* VI.

DIsponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia,& adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum,credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt: atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu: & dum peccatores se esse intelligentes,diuinæ iustitiæ timore,quo vtiliter concutiuntur, ad considerandum Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illúmque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum,inchoare nouam vitam,& seruare diuina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Et, Confide fili,remittuntur tibi peccata tua. Et, Timor Domini expellit peccatũ. Et, Pœnitentiam agite,& baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi,in remissionem peccatorum vestrorũ: & accipietis donum Spiritus sancti. Et, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare quæcunque mandaui vobis. Denique, Præparate corda vestra Domino.

Quid sit iustificatio impij, & quæ eius causæ. *Cap.* VII.

HAnc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur: quę non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariã susceptionẽ gratiæ,

tiæ,& donorum vnde homo ex iniusto fit iustus,& ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ sunt,finalis quidem, gloria Dei,& Christi, ac vita æterna:efficiens verò, misericors Deus,qui gratuito abluit,& sanctificat,& vngens Spiritu promissionis sancto: qui est pignus hæreditatis nostræ: meritoria autem dilectissimus vnigenitus suus,Dominus noster Iesus Christus: qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatẽ, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit: instrumentalis item, sacramentum Baptismi: quod est sacramentum fidei,sine qua nulli vnquam contigit iustificatio:demum vnica formalis causa est iustitia Dei: non qua ipse iustus est,sed qua nos iustos facit,qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ:& non modo reputamur,sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem. quanquam enim nemo possit esse iustus,nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdẽ sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur,atque ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorũ hæc omnia simul infusa accipit homo Iesum Christum, cui inseritur,per fidem,spem,& charitatem: nam fides,nisi ad eam spes accedat,& charitas,neque vnit perfecte cum Christo,neque corporis eius viuum membrum efficit:qua ratione verissime dicitur,Fidem sine operibus mortuam & otiosam esse. Et, In Christo Iesu neque circuncisionem aliquid valere,neque præputiũ, sed fidem quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante Baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione Cathecumeni ab Ecclesia petunt, cum petũt fidem, vitam æternam præstantem: quam sine spe & charitate fides præstare non potest. Vnde & statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Itaque, veram & Christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam pro illa,quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam, & immaculatam iubentur statim renati conseruare, vt eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam.

Quo modo intelligatur, impium per fidem, & gratis iu-

stificari. *Cap.* IX.

CVm verò Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit: vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis: sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire: gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, iam non ex operibus: alioquin, vt idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia.

Contra inanem hæreticorum fiduciam. *Cap.* IX.

QVamuis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse, dicendum est: cum apud hæreticos, & schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, neminémque à peccatis absolui, ac iustificari, nisi eum qui certo credat se absolutum, & iustificatum esse: atque hac sola fide absolutionem, & iustificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, déque mortis, & resurrectionis Christi efficacia dubitet. nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, déque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suámque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

De acceptæ iustificationis incremento. *Cap.* X.

SIc ergo iustificati, & amici Dei, ac domestici facti, eúntes de virtute in virtutem, renouantur, vt Apostolus inquit, de die in diem: hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitię in sanctificationem, per obseruationẽ mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperãte fide bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur, sicut scriptum est: Qui iustus

est

est,iustificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis vsque ad mortem iustificari. Et rursus: Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo,& non ex fide tantum. Hoc verò iustitiæ incrementum petit sancta Ecclesia,cùm orat: Da nobis Domine fidei,spei,& charitatis augmẽtum.

De obseruatione mandatorum,déque illius necessitate, & possibilitate. Cap. XI.

NEmo autem, quantumuis iustificatus, liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet,& facere quod possis, & petere quod non possis& adiuuat,vt possis. Cuius mandata grauia non sunt: cuius iugum suaue est, & onus leue. Qui enim sunt filij Dei,Christum diligunt,qui autem diligunt eum, vt ipsemet testatur, seruant sermones eius. quod vtique cum diuino auxilio præstare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumuis sancti, & iusti in leuia saltem, & quotidiana,quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti. Nam iustorum illa vox est & humilis,& verax: Dimitte nobis debita nostra. quo fit, vt iusti ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via iustitiæ sentire debeant, quo liberati iam à peccato,serui autẽ facti Deo,sobriè,iustè,& piè viuentes proficere possunt per Christum Iesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus námque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola hæredem esse constitutum,hęreditatémque consecutum,etiam si Christo non compatiatur, vt & conglorificetur: nam & Christus ipse, vt inquit Apostolus, cum esset filius Dei,didicit ex iis, quæ passus est,obedientiam: & consummatus,factus est omnibus,obtemperãtibus sibi,causa salutis æternę. Propterea Apostolus ipse monet iustificatos dicens: Nescitis,quod ij,qui in stadio currunt,omnes quidem currunt,sed vnus accipit brauium? sic currite,vt comprehendatis. Ego igitur sic curro,non quasi in incertum: sic pugno,non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte,cum aliis prędicauerim,ipse reprobus efficiar. Item princeps Apostolorũ Petrus: Satagite,vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Vnde constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicunt,iustum in omni bono opere saltem venialiter peccare,aut,

quod intolerabilius est;pœnas æternas mereri: atque etiam eos, qui statuunt,in omnibus operibus iustos peccare si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam:cum scriptum sit:Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem, & de Mose dicat Apostolus, quod respiciebat in remuneratione.

Prædestinationis temerariam præsumptionem cauendam esse.

Cap. XII.

NEmo quoq;,quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio vsque adeo præsumere debet, vt certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum:quasi verum esset,quod iustificatus aut amplius peccare non possit,aut si peccauerit,certam sibi resipiscẽtiam promittere debeat,nam nisi ex speciali reuelatione sciri non potest,quos Deus sibi elegerit.

De perseuerantiæ munere. *Cap.* XIII.

SImiliter de perseuerantiæ munere, de quo scriptum est: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit:quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, vt perseuerãter stet,& eum,qui cadit,restituere: nemo sibi certi,aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare,& reponere omnes debent. Deus enim,nisi ipsi illius gratiæ defuerint,sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere. Veruntamen qui se existimant stare,videant,ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis,in eleemosynis,in orationibus,& oblationibus, in ieiuniis, & castitate:formidare enim debent,sciẽtes quod in spem gloriæ,& nondum in gloria renati sunt,de pugna, quę supereſt cũ carne,cum mundo,cum diabolo:in qua victores esse non possunt,nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent,dicenti,Debitores sumus non carni,vt secundum carnem viuamus, si enim secũdum carnem vixeritis, moriemini:si autem spiritu facta carnis mortificaueritis,viuetis.

De lapsis,& eorum reparatione. *Cap.* XIIII.

QVi vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum excederunt, rursus iustificari poterunt,cum excitante Deo per pœnitentię Sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procurauerint,hic enim iustificationis modus est lapsi reparatio: quã secundam post naufragium deperditę gratię tabulam sancti Patres

apte

apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus Sacramentum instituit Pœnitentiæ, cum dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Vnde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse à baptismali: eaque contineri non modo cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum, verum etiam eorundem sacramentalem confessionem saltem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem: itémque, Satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitę exercitia: nõ quidem pro pœna æterna, quę vel sacramento, vel Sacramenti voto vna cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali: quæ, vt sacrę literę docent, non tota semper, vt in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratię Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei violare non sunt vetiti. De qua pœnitẽtia scriptum est: Memor esto, vnde excideris: age pœnitentiam, & prima opera fac. Et iterum: Quę secũdum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Et rursus: Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ.

Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed non fidem.

Cap. XV.

ADuersus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentiũ, asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti: diuinę legis doctrinam defendendo, quę a regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cęteróque omnes, qui letalia committunt peccata: a quibus cum diuinę gratię adiumento abstinere possunt, & pro quibus a Christi gratia separantur.

De fructu iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione. *Cap.* XVI.

HAc igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuo conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino, non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in

nomine ipsius. Et, Nolite amittere confidẽtiam vestrã, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita ęterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa: & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda, hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam, non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius, cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat: quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur: & sine qua nullo pacto Deo grata, meritoria esse possent: nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfeciſſe, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur: cum Christus, saluator noster, dicat: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ita neque propria nostra iustitia, tanquam ex nobis propria statuitur: neque ignoratur, aut repudiatur iustitia Dei, quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur: illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque verò illud omittendum est: quod licet bonis operibus in sacris literis vsque adeo tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis suis potũ aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede carituru̇m: & Apostolus testetur, id quod in pręsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostrę, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis: absit tamẽ, vt Christianus homo in se ipso vel cõfidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes: vnusquisque sicut misericordiam, & bonitatem, ita seueritatem, & iudicium ante oculos habere debet, neq; se ipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda, & iudicanda est, sed Dei: qui, illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui, vt scriptum est, reddet vnicuique secundum opera sua.

Post hanc Catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quis-

que

que fideliter firmitérque receperit, iustificari non poterit: placuit sanctæ Synodo hos Canones subiungere: vt omnes sciant, non solũ quid tenere, & sequi, sed etiam quid vitare, & fugere debeant.

DE IVSTIFICATIONE.

Canon I.

SI quis dixerit, hominem suis operibus quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo: anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, ad hoc solum diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo iustè viuere, ac vitam æternam promereri possit: quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed ægre tamen, & difficulter possit: anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.

Canon IIII.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passiue se habere: anathema sit.

Canon V.

Si quis liberum hominis arbitriũ post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique à Satana inuectum in Ecclesiam: anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, vt bona, Deum operari, non permissiue solum, sed etiam proprie, & per se, adeo vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli: anathema sit.

Can

Canon VII.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odiũ Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare: anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: anathema sit.

Canon IX.

Si quis dixerit, sola fide impiũ iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi: anathema sit.

Canon X.

Si quis dixerit, homines, sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse: anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorũ remissione, exclusa gratia, & charitate, quę in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei: anathema sit.

Canon XII.

SI quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam diuinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur: anathema sit.

Canon XIII.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorũ assequendam necessarium esse, vt credat certo, & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa: anathema sit.

Canon XIIII.

Si quis dixerit, hominem à peccatis absolui, ac iustificari ex eo quod se absolui, ac iustificari certo credat; aut neminem verè esse iustifi-

ſtificatum,niſi qui credat ſe eſſe iuſtificatum:& hac ſola fide abſolutionem,& iuſtificationem perfici:anathema ſit.

Canon XV.

Si quis dixerit,hominem renatum,& iuſtificatum teneri ex fide ad credendum,ſe certo eſſe in numero prædeſtinatorum:anathema ſit.

Canon XVI.

Si quis magnum illud vſque in finem perſeuerantiæ donum ſe certo habiturum abſoluta,& infallibili certitudine dixerit,niſi hoc ſpeciali reuelatione didicerit:anathema ſit.

Canon XVII.

Si quis iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit: reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, vt pote diuina poteſtate prædeſtinatos ad malum:anathema ſit.

Canon XVIII.

Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iuſtificato,& ſub gratia conſtituto eſſe ad obſeruandum impoſsibilia:anathema ſit.

Canon XIX.

Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Euangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta,neque prohibita, ſed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos:anathema ſit.

Canon XX.

Si quis hominem iuſtificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obſeruantiam mandatorũ Dei,& Eccleſiæ,ſed tãtum ad credendum: quaſi verò Euangelium ſit nuda, & abſoluta promiſsio vitæ æternę ſine conditione obſeruationis mandatorũ: anathema ſit.

Canon XXI.

Si quis dixerit,Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe, vt redemptorem,cui fidant,non etiam vt legiſlatorem, cui obediant: anathema ſit.

Canon XXII.

Si quis dixerit, iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe:anathema ſit.

Canon XXIIII.

Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe,neque gratiam amittere,atque ideo eum,qui labitur, & peccat,

nunquam verè fuisse iustificatum, aut contrà posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia: anathema sit.

Canon XXIIII.

Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam: anathema sit.

Canon XXV.

Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri: tantúmque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: anathema sit.

Canon XXVI.

Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo vsque in finem perseuerauerint: anathema sit.

Canon XXVII.

Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumuis graui, & enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti: anathema sit.

Canon XXVIII.

Si quis dixerit, amissa per peccata gratia simul & fidem semper amitti: aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua: aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum: anathema sit.

Canon XXIX.

Si quis dixerit, eum qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere: aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine Sacramento pœnitentiæ, prout sancta Romana, & vniuersalis ecclesia, à Christo domino, & eius Apostolis edocta, huc usque professa est, seruauit, & docuit: anathema sit.

Canon XXX.

Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus, pœnæ temporalis exoluendæ vel in hoc seculo,

culo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit: anathema sit.

Canon XXXI.

Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur: anathema sit.

Canon XXXII.

Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita: aut, ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit.

Canon XXXIII.

Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de iustificatione à sancta Synodo hoc præsenti Decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi, Domini nostri, derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Christi Iesu gloriam illustrari: anathema sit.

Decretum de Reformatione. *Cap.* I.

EAdem sacrosancta Synodus, eisdem Præsidentibus, & Apostolicæ Sedis Legatis, ad restituendam collapsam admodum Ecclesiasticam disciplinam, deprauatósque in Clero, & populo Christiano mores emendandos se accingere volens, ab iis, qui maioribus ecclesiis præsunt, initium censuit esse sumendum: integritas enim præsidentium salus est subditorum. Confidens itaque per Domini, ac Dei nostri misericordiam, prouidámque ipsius Dei in terris Vicarij solertiam omnino futurum, vt ad ecclesiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quorúmque prior vita, ac omnis ætas, à puerilibus exordiis vsque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta testimonium præbeat: secundum venerabiles beatorum Patrum sanctiones assumantur: omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus ecclesiis quibuscunque quouis nomine, ac titulo, præfectos monet, ac monitos esse vult, vt attendentes sibi, & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenario-

rum more deſerant: atque ouium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus à ſupremo iudice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant: cùm certiſsimum ſit non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit. Ac nihilominus quia nonnulli, quod vehementer dolendum eſt, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis immemores, terrenáque cæleſtibus, ac diuinis humana præferentes, in diuerſis curiis vagantur aut in negotiorum temporalium ſolicitudine ouili derelicto, atque ouium ſibi commiſſarum cura neglecta, ſe detinent occupatos: placuit ſacroſanctæ Synodo antiquos canones, qui temporum, atque hominum iniuria pene in deſuetudinem abierunt, aduerſus non reſidentes promulgatos innouare: quemadmodum virtute præſentis Decreti innouat: ac vlterius pro firmiori eorumdem reſidentia, & reformandis in eccleſia moribus, in hunc qui ſequitur, modum ſtatuere, atque ſancire. Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali eccleſia ſibi quocunque titulo, cauſa, nomine, ſeu iure commiſſæ, quacunque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, ſeu iuſtis, & rationabilibus cauſis ceſſantibus ſex menſibus continuis extra ſuam diœceſim morando abfuerit: quartæ partis fructum vnius anni, fabricæ Eccleſiæ, & pauperibus loci per ſuperiorem eccleſiaſticum applicandorum, pœnam ipſo iure incurrat. Quod ſi per alios ſex menſes in huiuſmodi abſentia perſeuerauerit: aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente verò contumacia, vt ſeueriori ſacrorum Canonum cenſuræ ſubiiciatur, Metropolitanus Suffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum verò abſentem Suffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, ſub pœna interdicti ingreſſus eccleſiæ eo ipſo incurrenda infra tres menſes per literas, ſeu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur: qui in ipſos abſentes, prout cuiuſque maior, aut minor contumacia exegerit, ſuæ ſupremæ Sedis auctoritate animaduertere, & eccleſiis ipſis de Paſtoribus vtilioribus prouidere poterit, ſicut in Domino nouerit ſalubriter expedire.

Caput 11.

EPiſcopi inferiores, quæuis beneficia Eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de iure, ſiue conſuetudine exigentia, in titulum, ſiue commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono eccleſiarum regimine, & diuini cultus augmento locorum, & perſonarum, qualitate penſata, expediens videbitur, opportunis iuris re

ris remediis residere cogantur: nullíque priuilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis, suffragentur. Indulgentiis verò, & dispensationibus temporalibus, ex veris, & rationabilibus causis tantùm concessis, & coram Ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris: quibus casibus nihilominus officium sit Episcoporum, tanquam in hac parte à Sede Apostolica delegatorum, prouidere, vt per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur: nemini, quoad hoc, priuilegio, seu exemptione quacunque suffragante.

Cap. III.

ECclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus prudenter, ac diligenter intendant: & nemo secularis Clericus, cuiusuis personalis, vel regularis, extra monasterium degens, etiam sui ordinis priuilegij prætextu tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

Cap. IIII.

CApitula Cathedralium, & aliarum maiorum Ecclesiarum, illorúmque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus à suis Episcopis, & aliis maioribus Prælatis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apostolica, possint, & valeant.

Cap. V.

NVlli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione ordinum sint ipso iure suspensi.

Indictio futuræ Sessionis.

PLACET NE vobis proximam futuram Sessionẽ celebrari die Iouis feria quinta post primam Dominicam subsequentis Quadragesimæ, quæ erit dies tertia mensis Martij? *Responderunt*, *Placet.*

SESSIO VII. CELEBRATA DIE IIII. MENSIS MARTII, M. D. XLVII.

Decretum de Sacramentis.

PROOEMIVM.

AD consummationem salutaris de iustificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima Sessione vno omnium Patrum consensu promulgata fuit: consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera iustitia vel cœpta augetur, vel amissa reparatur: propterea sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdē Apostolicæ Sedis Legatis, ad errores eliminandos, extirpandas hæreses, quæ circa sanctissima ipsa Sacramenta hac nostra tempestate tum dē damnatis olim à Patribus nostris hæresibus suscitatæ, tum etiam de nouo adinuentæ sunt, quæ Catholicæ Ecclesiæ puritati, & animarum saluti magnopere officiunt: sanctarum scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum, & Patrum consensui inhærendo, hos præsentes Canones statuendos, & decernendos censuit: reliquos qui supersunt ad cœpti operis perfectionem, deinceps, diuino Spiritu adiuuante, editura.

De Sacramentis in genere. *Canon* I.

SI quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo, Domino nostro, instituta: aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremā vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquod horū septem non esse verè, & propriè Sacramentum: anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, ea ipsa nouæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi: anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius: anathema sit.

Can.

Canon IIII.

Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua: & sine eis, aut eorum voto per solam fidem hominis à Deo gratiam iustificationis adipisci: licet omnia singulis necessaria non sint: anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse: anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non continere gratiã, quam significant: aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper, & omnibus quantum est ex parte Dei, etiam si ritè ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus: anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, per ipsa nouæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere: anathema sit.

Canon IX.

Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt: anathema sit.

Canon X.

Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem: anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia: anathema sit.

Canon XII.

Si quis dixerit, ministrum, in peccato mortali existentem, modo omnia

omnia essentialia,quæ ad Sacramentum conficiendum,aut conferendum pertinent,seruauerit,non conficere,aut conferre Sacramentum: anathema sit.

Canon XIII.

Si quis dixerit,receptos,& approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus,in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti,aut in nouos alios per quemcunque ecclesiarum Pastorem mutari posse: anathema sit.

De Baptismo. Canon I.

SI quis dixerit, Baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi:anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, aquam veram,& naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto: ad metaphoram aliquam detorserit:anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit,in Ecclesia Romana,quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam:anathema sit.

Canon IIII.

Si quis dixerit,Baptismum,qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia,non esse verum Baptismum:anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit,Baptismum liberum esse,hoc est non necessarium ad salutem:anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, Baptizatum non posse,etiam si velit, gratiam amittere,quantumcúmque peccet,nisi nolit credere:anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem vniuersæ legis Christi seruandæ: anathema sit.

Canon

Canon VIII.

Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita vt ea obseruare non teneantur, nisi se sua sponte illis summittere voluerint: anathema sit.

Canon IX.

Si quis dixerit, ita reuocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam: vt vota omnia, quæ post Baptismum fiunt vi promissionis in Baptismo ipso iam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo: anathema sit.

Canon X.

Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri: anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, verum, & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negauerit, cùm ad pœnitentiam conuertitur: anathema sit.

Canon XII.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: anathema sit.

Canon XIII.

Si quis dixerit, paruulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles cõputandos non esse: ac propterea, cum ad annos discretionis peruenerint, esse rebaptizandos: aut præstare omitti eorum Baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ: anathema sit.

Canon XIIII.

Si quis dixerit, huiusmodi paruulos baptizatos, cùm adoleuerint, interrogandos esse: an ratum habere velint, quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: & vbi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos: nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi vt ab Eucharistiæ, aliorúmque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: anathema sit.

De Confirmatione. *Canon* I.

SI quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum: aut

olim nihil aliud fuisse, quàm catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram ecclesia exponebant: anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt: anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem: anathema sit.

Decretum de Reformatione.

EAdem sacrosancta Synodus, eisdem Præsidentibus, & Legatis, inceptum residentiæ, & reformationis negotium ad Dei laudem, & Christianæ religionis incrementum prosequi intendens, vt sequitur, statuendum censuit, salua semper in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate.

Caput I.

AD Cathedralium Ecclesiarum regimen nullus, nisi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, grauitate morum, literarúmque scientia, iuxta constitutionem Alexandri Tertij, quæ incipit, Cum in cunctis, in Concilio Lateranensi promulgatam, præditus, assumatur.

Caput II.

NEmo, quacunque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias, in titulum, siue commendam, aut alio quouis nomine, contra sacrorum Canonũ instituta, recipere, & simul retinere præsumat: cùm valde felix sit ille censendus, cui vnam Ecclesiã bene, ac fructuosè, & cum animarum sibi cõmissarum salute regere cõtigerit. Qui autẽ plures Ecclesias contra præsentis Decreti tenorem nunc detinẽt, vna, quam maluerint retẽta, reliquas infra sex menses, si ad liberã Sedis Apostolicæ dispositionẽ pertineãt, alias infra annũ dimittere teneantur: alioquin ecclesię ipsę, vltima obtẽta dũtaxat excepta, eo ipso vacare censeãtur.

Caput III.

INferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, iuxta constitutionem Alexandri Tertij, in Lateranensi, quæ incipit, Quia nonnulli: & aliam Gregorij De

rij Decimi, in generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit, Liceat canon, editam, conferantur. aliter autem facta collatio, siue prouisio, omnino irritetur: & ordinarius collator pœnas constitutionis Concilij generalis, quæ incipit, Graue nimis, se nouerit incursurum.

Caput III.

QVicunque de cætero plura curata, aut aliâs incompatibilia beneficia ecclesiastica, siue per viam vnionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine, & titulo, contra formã sacrorum Canonum, & præsertim constitutionis Innocentij Tertij, quæ incipit, De multa, recipere, ac simul retinere præsumpserit: beneficiis ipsis, iuxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso iure, etiam præsentis Canonis vigore, priuatus existat.

Caput V.

ORdinarij locorum quoscunque plura curata, aut aliâs incompatibilia beneficia ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhibere districtè compellant: & aliâs procedant iuxta constitutionem Gregorij Decimi, in generali Lugdunensi Concilio editam, quæ incipit, Ordinarij: quam eadem sancta Synodus innouãdam censet, & innouat, addẽs insuper, quòd ipsi Ordinarij etiam per idoneorũ Vicariorum deputationem, & cõgruæ portionis fructuũ assignationẽ omnino prouideant, vt animarum cura nullatenus negligatur: & beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudẽtur: appellationibus, priuilegiis, & exẽptionibus quibuscunq;, etiam cum iudicũ specialium deputatione, & illorũ inhibitionibus in præmissis nemini suffragãtibus.

Caput VI.

VNiones perpetuæ, à quadraginta annis citrà factæ, examinari ab Ordinariis, tanquã à Sede Apostolica delegatis, possint: & quæ per subreptionẽ, vel obreptionẽ obtẽtæ fuerint, irritæ declarẽtur. Illæ verò, quæ à dicto tẽpore citrà cõcessæ nondũ in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cuiusuis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut aliàs rationabilibus causis corã loci Ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur: ac propterea, nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

Caput VII.

BEneficia Ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus, collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscunq; perpetuo vnita, & annexa reperiuntur, ab Ordinariis

locorum annis singulis visitentur: qui solicitè prouidere procurent, vtper idoneos Vicarios,etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum aut maiori,vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum,portione,etiam super certa re assignanda,ibidem deputandos,animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, priuilegiis, exẽptionibus, etiam cum iudicum deputatione,& illorum inhibitionibus quibuscúnque in præmissis minime suffragantibus.

Caput VIII.

LOcorum Ordinarij Ecclesias quascúnque,quomodolibet exemptas,auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis iuris remediis prouidere,vt quæ reparatione indigent,reparentur:& cura animarum,si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur:appellationibus, priuilegiis, consuetudinibus,etiam ab immemorabili tempore præscriptis, iudicum deputationibus,& illorum inhibitionibus penitus exclusis.

Caput IX.

AD maiores Ecclesias promoti munus consecrationis infra tempus à iure statutum suscipiant:& prorogationes vltra sex menses concessæ nulli suffragentur.

Caput X.

NOn liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum à die vacationis,ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reuerendas,vt aliqui vocant,tam ex iuris cõmunis dispositione,quàm etiam cuiusuis priuilegij,aut cõsuetudinis vigore, alicui, qui beneficij ecclesiastici recepti, siue recipiẽdi occasione arctatus non fuerit,cõcedere.si secus fiat,Capitulũ cõtraueniẽs ecclesiastico subiaceat interdicto:& sic ordinati, si in minorib⁹ ordinib⁹ cõstituti fuerint,nullo priuilegio clericali,præsertim in criminalib⁹,gaudeãt: in maiorib⁹ verò, ab executione ordinũ,ad beneplacitũ futuri Prælati,sint ipso iure suspẽsi.

Caput XI.

FAcultates de promouẽdo à quocunq;,non suffragẽtur,nisi habẽti bus legitimã causã,ob quã à ꝓpriis Episcopis ordinari nõ possint, inliteris exprimendã:& tũc nõ ordinẽtur,nisi ab Episcopo in sua diœcesi residẽte,aut pro eo Põtificalia exercẽte,& diligẽti prꝛuio examine.

Caput XII.

FAcultates de non promouendo, præterquam in casibus à iure expressis,concessæ,ad annum tantùm suffragentur.

Cap.

Caput XIII.

PRæsentati, seu electi, vel nominati quibusuis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quæuis Ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cuiusuis priuilegij, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur. Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab Vniuersitatibus, seu collegiis generalium Studiorum exceptis.

Cap. XIIII.

IN exemptorum causis constitutio Innocentij quarti, quæ incipit, Volentes, in generali Concilio Lugdunensi edita, seruetur, quam eadem sacrosancta Synodus innouandam censuit, & innouat: addēdo insuper, quòd in ciuilibus causis mercedū, & miserabilium personarum clerici seculares, aut regulares, extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiam si certum iudicem, à Sede Apostolica deputatum, in partibus habeāt: in aliis verò, si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conueniri, & iure medio ad soluendum debitum cogi, & compelli possint: priuilegiis, exemptionibus, conseruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduersus præmissa nequaquam valituris.

Cap. XV.

CVrent Ordinarij, vt hospitalia quæcunque à suis administratoribus, quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur, constitutionis Concilij Viennensis, quæ incipit, Quia contingit, forma seruata, quam quidem constitutionem eadem sancta Synodus innouandam duxit, & innouat, cum derogationibus in ea contentis.

Indictio futuræ Sessionis.

ITEM hæc sacrosancta Synodus statuit, & decreuit proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse die Iouis, feria quinta post sequentem Dominicam in Albis, quę erit vigesima prima mensis Aprilis, præsentis anni, M. D. XLVII.

BVLLA FACVLTATIS TRANSFERENDI CONCILII.

PAVLVS Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri, Ioanni Mariæ, Episcopo Prænestino, & dilectis filiis, Marcello titu. S. Crucis in Hierusalem Presbytero, ac Reginaldo S. Mariæ in Cosmedin Diacono, Cardinalibus nostris, & Apostolicæ Sedis Legatis de latere, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Regimini vniuersalis Ecclesiæ, meritis licet imparibus, disponente Domino, præsidentes, nostri officij partes esse putamus, vt si quid grauius causa Reipublicæ Christianæ constituendum sit, id non modo tempore opportuno, verùm etiam loco commodo, & idoneo perficiatur. Cùm itaque nos nuper, postquàm suspensionem celebrationis sacri œcumenici, & vniuersalis Concilij, aliâs per nos in ciuitate Tridentina ex causis tunc expressis, de venerabilium fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium consilio & assensu indicti, ex certis aliis etiam tunc expressis causis, vsque ad aliud oportunius, & commodius tempus per nos declarandum, de simili consilio, & assensu factam, audita pace inter charissimos in Christo filios nostros, Carolum Romanum Imperatorem semper Augustum, & Franciscum Francorum Regem Christianissimum, conciliata, pari consilio & assensu sustuleramus & amoueramus: nequeuntes ipsi, tunc legitimè impediti, ad dictam ciuitatem personaliter accedere, & eidem Concilio interesse, vos nostros, & Apostolicæ Sedis Legatos de latere, in eodem Cõcilio simili cõsilio constituerimus & deputauerimus, vósq; ad eandẽ ciuitatẽ, tanquã pacis angelos, destinauerimus, prout in diuersis nostris desuper confectis literis plenius cõtinetur: Nos, ne tam sanctũ celebrationis Concilij huiusmodi opus ex incommoditate loci, aut aliâs quouis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportunè prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, parique consilio & assensu, vobis in simul, aut duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento, seu inde forte absente, quandocunque vobis videbitur, Concilium prædictum de eadem ciuitate Tridentina ad quancunque aliam commodiorem, & opportuniorem, seu tutiorem ciuitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi, & mutandi: ac illud in ipsa ciuitate Tridentina supprimendi, & dissoluendi: necnon Prælatis, & aliis personis Concilij huiusmo

huiuſmodi, ne in eo ad vlteriora in dicta ciuitate Tridentina procedant, etiam ſub cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis inhibendi, ac idem Concilium in alia ciuitate huiuſmodi, ad quam illud transferri, & mutari contigerit, continuandi, tenendi, & celebrandi, & ad illud Prælatos, & alias perſonas Concilij Tridentini huiuſmodi, etiam ſub periurij, & aliis in literis indictionis Concilij huiuſmodi expreſsis pœnis, euocãdi, eidémque ſic tranſlato & mutato Cõcilio, nomine & authoritate prædictis, præſidendi, ac in eo procedendi, cæteráque in præmiſsis, & circa ea neceſſaria, & opportuna, aliâs iuxta priorum vobis directarum literarum continentiam, & tenorem, faciendi, ſtatuendi, ordinandi, & exequendi, plenam & liberam Apoſtolica authoritate tenore præſentium concedimus poteſtatem, & facultatem: ratum & gratum habituri, quidquid per vos in præmiſsis factum, ſtatutum, ordinatum, executúmve fuerit, idque facturi, authore Domino, inuiolabiliter obſeruari: Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſq; cõtrariis quibuſcunq;. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginã noſtræ cõceſsionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ M. D. XLIIII. VIII. Kalen. Martij. Pontificatus noſtri anno XI.

Fab. Epiſcopus Spol.
B. Motta.

SESSIO

SESSIO VIII. CELEBRATA DIE XI. MENSIS MARTII, M. D. XLVII.

Decretum de translatione Concilij.

PLACET ne vobis decernere, & declarare, de huiusmodi morbo ex præmissis, & aliis allegatis ita manifestè, & notoriè constare, vt Prælati in hac ciuitate sine vitæ discrimine commorari, & in ea idcirco inuiti minime retineri possint, & debeant: itémque attento recessu multorum Prælatorum post proximè præteritam Sessionem, & attentis protestationibus aliorum quamplurium Prælatorum in congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui iustè detineri non possunt, & ex quorum discessu Concilium vel dissolueretur, vel ex paucitate Prælatorum bonus eius progressus impediretur: & attento etiam imminenti periculo vitæ, & aliis causis per aliquos ex Patribus in ipsis Congregationibus allegatis, vtpote notoriè veris, & legitimis: Placétne vobis similiter decernere, & declarare, pro conseruatione, & prosecutione ipsius Concilij, securitate vitæ ipsorum Prælatorum, Concilium ipsum ad ciuitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, salubrem, & idoneum, pro tempore transferendum esse, & ex nunc transferri, & ibidem Sessionem iam indictam, statuta die, vigesima prima Aprilis, celebrandam esse, & celebrari: & successiuè ad vlteriora procedendum, donec Sanctissimo Domino nostro, & sacro Concilio expedire videbitur, vt ad hunc, seu alium locum, communicato etiam consilio cum Inuictissimo Cæsare, Christianissimo Rege, & aliis Regibus, ac Principibus Christianis, ipsum Concilium reduci possit, & debeat?

Responderunt, Placet.

SESSIO

SESSIO IX. BONONIÆ CELEBRATA DIE XXI. MENSIS APRILIS, M. D. XLVII.

Decretum prorogationis Seßionis.

HAEC ſacroſancta œcumenica, & generalis Synodus, quæ dudum in ciuitate Tridenti congregata erat, nunc Bononiæ in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea nomine Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Pauli diuina prouidentia Papæ Tertij, eiſdem Reuerendiſsimis Dominis, D. Ioan. Maria de Monte, Epiſcopo Prænestino, & Marcello, tit. S. Crucis in Hieruſalem Presbytero, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis, Conſiderans quòd die vndecima menſis Martij, præſentis anni, in generali publica Seſsione, in eadem ciuitate Tridenti, & in loco conſueto celebrata, omnibúſque agendis de more peractis, ex cauſis tunc inſtantibus, vrgentibus, & legitimis, interueniente etiam authoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, eiſdem Reuerendiſsimis præſidentibus etiam ſpecialiter conceſſa, decreuit & ordinauit, Concilium ex eo loco in hanc ciuitatem transferendum eſſe, ſicuti tranſtulit: itémque Seſsionem pro præſenti die vigeſima prima Aprilis, illic indictam, vt de Sacramẽtorum, & reformationis materiis, de quibus tractandum propoſuerat, Canones ſancirentur, & promulgarentur, in hac ipſa ciuitate Bononiæ celebrari debere: conſideránſque, nonnullos ex Patribus, qui in hoc Cõcilio intereſſe conſueuerũt, his ſuperioribus, maioris hebdomadæ, & ſolennitatis Paſchalis diebus, in propriis Eccleſiis occupatos, aliquos etiam, aliis impedimentis detentos, huc nondum acceſsiſſe, quos tamen breui affuturos ſperandum eſt, ac propterea factum eſſe, vt non ea, quam ſancta Synodus deſiderabat, Prælatorum frequentia potuerint materiæ ipſæ Sacramentorum, & reformationis, & examinari, & diſcuti: vt omnia maturo conſilio, cum dignitate, & grauitate debita fiant: bonum, opportunum, & expediens cenſuit, cenſétque Seſsionem prædictam, quæ hoc ipſo die, vt præfertur, celebranda erat, ad diem Iouis, infra octauam Pentecoſtes proximè futuram, quoad ipſas materias expediendas, differendam & prorogandam eſſe, quemadmodum differt, ac prorogat: quam diem & reigerendæ maximè opportunam, & Patri-

bus præsertim absentibus percommodam, iudicauit, & iudicat. Hoc tamen adiecto: quòd terminum ipsum ipsa sancta Synodus, pro eius arbitrio, & voluntate, sicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in priuata Congregatione restringere, & imminuere possit, & valeat.

SESSIO X. BONONIÆ CELEBRATA DIE II. MENSIS IVNII, M. D. XLVII.

Decretum prorogationis Sessionis.

QVAMVIS hæc sacrosancta œcumenica, & generalis Synodus Sessionem, quæ die vigesima prima mensis Aprilis, proximè præteriti, super Sacramentorum, & reformationis materiis in hac inclyta ciuitate Bononiæ ex Decreto, in vrbe Tridentina, in publica Sessione, die vndecima mensis Martij promulgato, celebrãda erat, propter aliquas causas, ac præsertim propter absentiam nonnullorum Patrum, quos breui affuturos sperabat, ad hunc præsentem diem differendam, & prorogandam esse decreuerit: volens tamen cum iis, qui non venerũt, etiam adhuc benignè agere, eadem sacrosancta Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdẽ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicæ Sedis Legatis, statuit & decernit Sessionem ipsam, quam hac die secunda mensis Iunij, præsentis anni millesimi quingentesimi quadragesimi septimi, celebrare decreuerat, ad diem Iouis post festum Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis, quæ erit decima quinta mẽsis Septembris proximè futuri, quoad prædictas, & alias materias expediendas, differendam, & prorogandam esse, quemadmodum differt, & prorogat: ita tamen, quod prosecutio discussionis, & examinationis, tam eorum, quæ ad dogmata, quàm reformationem pertinent, interim non omittatur, & terminum ipsum ipsa sancta Synodus, pro eius libito, & volũtate, etiam in priuata Congregatione, abbreuiare, & prorogare liberè possit, & valeat.

Die XIIII. *Sept.* M. D. XLVII. *in Congregatione generali, Bononiæ, prorogata fuit Sessio, quæ futura erat die sequenti, ad beneplacitum Sacri Concilij.*

BVLLA

BVLLA RESVMPTIONIS CONCILII TRIDENTINI.

Sub Iulio tertio, Pontifice Maximo.

IVLIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Cum ad tollenda religionis nostræ dissidia, quæ in Germania longo tempore non sine totius Christiani orbis perturbatione, & scandalo viguerũt, bonum, opportunum, & expediens esse videatur, sicuti etiam charissimus in Christo filius noster, Carolus Romanorum Imperator, semper Augustus, nobis per suas literas & nuncios significari fecit, vt sacrum œcumenicum generale Concilium per fel. rec. Paulum Papam III. prædecessorem nostrum, indictum, & per nos tunc Cardinalatus honore fungentes, atque ipsius prædecessoris nomine, vnà cum duobus aliis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ipsi Concilio præsidentes, inceptum, ordinatum, & continuatum, in quo plures publicæ, & solennes habitæ fuerunt Sessiones, pluráque tam in causa fidei, quàm reformationis promulgata decreta, multáque etiam ad vtranque causam pertinentia examinata, & discussa, ad ciuitatem Tridentinam, reducatur: Nos, ad quos, & summos pro tempore Pontifices spectat generalia Concilia indicere & dirigere, vt Ecclesiæ pacem, & Christianæ fidei atque orthodoxæ religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem & gloriam procuremus, & quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniæ, quæ fanè prouincia retroactis temporibus in vera religione, ac sacrorum Conciliorum, & sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendáque maximis Pontificibus, Christi Redemptoris nostri in terra Vicariis, debita obedientia, & reuerẽtia, nulli Christianorum prouinciæ fuit vnquam secunda, paternè consulamus: sperantes per ipsius Dei gratiam & benignitatem futurum, vt Reges omnes, ac principes Christiani, iustis, piísque nostris in hac re votis annuant, faueant, atque assistant: venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, omnésque alios & singulos, qui de iure, vel consuetudine, vel priuilegio Conciliis generalibus interesse debent, quósque idem prædecessor noster in suis Indictionis, & aliis quibuscunque desuper confectis & publicatis literis,

Concilio intereſſe voluit, per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, hortamur, requirimus, & monemus, vt proximis futuris Kal. Maij, quem diem ad ipſum Concilium in eo, in quo nunc reperitur, ſtatu reſumendum & proſequendum, præuia matura deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia, & de Apoſtolicæ authoritatis plenitudine, ac venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, in ipſa ciuitate Tridenti, legitimo ceſſante impedimento, conuenire, & ſe congregare, ac ipſius Concilij continuationi, & proſecutioni, omni mora poſtpoſita, incumbere velint. Nos enim operam ſedulo daturi ſumus, vt eodem tempore, in eadem ciuitate noſtri omnino adſint Legati, per quos, ſi per ætatem noſtram, valetudinémque, & Sedis Apoſtolicæ neceſsitates perſonaliter adeſſe nequiuerimus, Spiritu ſancto duce, ipſi Concilio præſidebimus: quacunque ipſius Concilij tranſlatione, & ſuſpenſione, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque, ac præſertim illis, quæ idem prædeceſſor noſter in ſuis literis prædictis, quas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis & decretis in ſuo robore permanere volumus, atq; decernimus, & quatenus opus ſit, innouamus, voluit non obſtare: irritum nihilominus decernentes, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, noſtrorum, hortationis, requiſitionis, monitionis, ſtatuti, declarationis, innouationis, voluntatis, & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. D. XLVIII. Kal. Decemb. Pontificatus noſtri anno primo.

M. Cardinal. Creſcen.
Rom. Amaſæus.

SACRO

SACROSANCTI OECVMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI,

SESSIO XI. QVAE EST PRIma sub Iulio III. Pontifice Maximo, celebrata Kal. Maij,

M. D. LI.

Decretum de resumendo Concilio.

PLACET ne vobis ad laudem,& gloriam sanctę & indiuiduæ Trinitatis,Patris,& Filij,& Spiritus sancti,ad incrementum & exaltationem fidei,& religionis Christianæ sacrum œcumenicum,& generale Concilium Tridentinum, iuxta formam, & tenorem literarum Sanctissimi Domini nostri,resumi debere,& procedendum esse ad vlteriora? *Responderunt, Placet.*

Indictio futuræ Sessionis.

PLACE'T ne vobis, proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse in futuris Kalendis Septembris? *Responderunt, Placet.*

SESSIO XII. QVAE EST SECVNDA sub Iulio III. Pontifice Maximo, celebrata die prima Septembris,

M. D. LI.

Decretum prorogationis Sessionis.

SAcrosancta œcumenica,& generalis,Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicis Legato,& Nunciis: quæ in proximè præterita Sessione sequentem hanc hodie habendam,& ad vlteriora procedendum esse,decreuerat, cùm ob inclytæ Germanicæ nationis, cuius præcipuè causa agitur,

abſentiam, ac non magnam cæterorum Patrum frequentiam procedere hactenus diſtulerit, de venerabilium in Chriſto fratrum, & filiorum ſuorum, Maguntini, & Treuirenſis Archiepiſcoporum, ac ſacri Romani Imperij Principum electorum, & compluriũ ipſius, aliarúmque prouinciarum Epiſcoporum, ſub hanc ipſam diem aduẽtu in Domino exultans, & dignas ipſi omnipotenti Deo agens gratias, firmámque ſpem concipiens quãplurimos alios, tam ipſius Germanicæ, quàm aliarum nationum Prælatos, & ſui officij debito, & hoc exemplo commotos, propediem eſſe venturos, futuram Seſsionem ad quadrageſimam diem, quæ erit vndecima menſis Octobris, proximè ſequentis, indicit: & Concilium ipſum in ſtatu, in quo reperitur, proſequendo: Cùm in præteritis Seſsionibus de ſeptem Sacramentis nouæ legis in genere, & in ſpecie de Baptiſmate, & Confirmatione definitum fuerit, ſtatuit, & decernit de ſanctiſsimæ Euchariſtiæ ſacramento, nec non, quod ad reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorẽ & commodiorem Prælatorum reſidentiam pertinent, agi & tractari debere: ac monet, & hortatur omnes Patres, vt interim Domini noſtri Ieſu Chriſti exemplo, quãtum tamen humana fragilitas patietur, ieiuniis, & orationibus vacent, vt tandem placatus, qui in ſecula ſit benedictus Deus, corda hominum ad veræ ſuæ fidei agnitionem, & ſanctæ matris Eccleſiæ vnitatem, ac rectè viuendi normam reducere dignetur.

SESSIO XIII. QVAE EST TERtia ſub Iulio III. Pontifice Maximo, celebrata die XI. Octobris, M. D. LI.

Decretum de ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento.

SAcroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato, & Nunciis, & ſi in eum finem, non abſque peculiari Spiritus ſancti ductu, & gubernatione conuenerit, vt veram & antiquam de fide, & ſacramentis doctrinam exponeret, & vt hæreſibus omnibus & aliis grauiſsimis incommodis, quibus Dei Eccleſia miſerè nunc exagitatur, & in multas, ac varias partes ſcinditur, remedium afferret: hoc præſertim iam inde à principio in votis habuit, vt ſtirpi

ſtirpitus conuelleret zizania execrabilium errorum, & ſchiſmatum, quæ inimicus homo his noſtris calamitoſis temporibus, in doctrina fidei, vſu, & cultu ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſuperſeminauit: quam alioqui Saluator noſter in Eccleſia ſua, tanquam ſymbolum reliquit eius vnitatis, & charitatis: qua Chriſtianos omnes inter ſe coniunctos, & copulatos eſſe voluit. Itaque eadem ſacroſancta Synodus ſanam, & ſinceram illam de venerabili hoc & diuino Euchariſtiæ ſacramento doctrinam tradens, quam ſemper Catholica Eccleſia, ab ipſo Ieſu Chriſto, Domino noſtro, & eius Apoſtolis erudita, atque à Spiritu ſancto, illi omnem veritatem in dies ſuggerente, edocta, retinuit, & ad finem vſque ſeculi conſeruabit: omnibus Chriſti fidelibus interdicit, ne poſt hac de ſanctiſsima Euchariſtia aliter credere, docere, aut prædicare audeāt, quàm vt eſt hoc præſenti Decreto explicatū, atque definitum.

De reali præſentia Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento. *Cap.* I.

PRincipio docet ſancta Synodus, & apertè, ac ſimpliciter profitetur, in almo ſanctæ Euchariſtiæ ſacramento, poſt panis, & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum atque hominem, verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri: neque enim hæc inter ſe pugnant, vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in cælis aſsideat, iuxta modum exiſtendi naturalem: & vt multis nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſsibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſsmè credere debemus. Ita enim maiores noſtri omnes, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de ſanctiſsimo hoc Sacramēto diſſeruerunt apertiſsimè profeſsi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in vltima cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe: cùm poſt panis, viniq́ benedictionem, ſe ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem, diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt, quæ verba à ſanctis Euangeliſtis commemorata, & à diuo Paulo poſtea repetita, cum propriam illam, & apertiſsimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundum quam à Patribus intellecta ſunt: indigniſsimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis & prauis hominibus ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas carnis, & ſanguinis Chriſti negatur, contra vniuerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri: quæ

tanq

tanquam columna, & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata cõmenta, velut Sathanica deteſtata eſt, grato ſemper, & memore animo præſtantiſsimũ hoc Chriſti beneficium agnoſcens.

De ratione inſtitutionis ſanctiſsimi huius Sacramenti.
Caput II.

ERgo Saluator noſter, diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit memoriã faciens mirabilium ſuorum: & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annunciare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis. adeoque ſymbolum vnius illius corporis, cuius ipſe caput exiſtit, cuique nos, tanquam membra arctiſsima, fidei, ſpei, & charitatis connexione aſtrictos eſſe voluit, vt id ipſum omnes diceremus, Nec eſſent in nobis ſchiſmata.

De excellentia ſanctiſsimæ Euchariſtiæ ſuper reliqua Sacramenta. *Caput* III.

COmmune hoc quidem eſt ſanctiſsimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem: verùm illud in ea excellens, & ſingulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm ſanctificandi vim habẽt, cùm quis illis vtitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor ante vſum eſt. nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret corpus ſuum eſſe, quod præbebat. & ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verúmque eius ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie vnà cum ipſius anima & diuinitate exiſtere: ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinẽ ſub vini ſpecie, ex vi verborum, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animámque ſub vtraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur. Diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem.

nem. Quapropter veriſsimum eſt tantundem ſub alterutra ſpecie, atque ſub vtráque contineri. totus enim,& integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius ſpeciei parte,totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit.

De Tranſubſtantiatione. Caput IIII.

QVoniam autem Chriſtus, Redemptor noſter, corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat,verè eſſe dixit: ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idq; nunc denuo ſancta hæc Synodus declarat,per conſecrationem panis & vini conuerſionē fieri totius ſubſtātiæ panis in ſubſtantiā corporis Chriſti Domini noſtri,& totius ſubſtantiæ vini in ſubſtātiam ſanguinis eius.quæ cōuerſio cōuenienter,& propriè à ſancta Catholica Eccleſia Tranſubſtantiatio,eſt appellata.

De cultu,& veneratione huic ſanctiſſimo Sacramento exhibenda. Caput V.

NVllus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto latriæ cultum,qui vero Deo debetur,huic ſanctiſsimo Sacramento in veneratione exhibeant,neque enim ideo minus eſt adorandum, quòd fuerit à Chriſto Domino,vt ſumatur,inſtitutum,namillum eundē Deum præſentē adeſſe credimus,quem Pater æternus introducens in orbem terrarum,dicit:Et adorent eum omnes Angeli Dei:quem Magi procidentes adorauerūt:quem deniq; in Galilæa ab Apoſtolis adoratū fuiſſe,Scriptura teſtatur.Declarat præterea ſancta Synodus,piè & religioſè admodum in Dei Eccleſiā inductū fuiſſe hunc morē, vt ſingulis annis peculiari quodā, & feſto die præcelſum hoc, & venerabile Sacramentū ſingulari veneratione,ac ſolēnitate celebraretur,vtq; in proceſſionibus reuerēter,& honorificè illud per vias & loca publica circunferretur:æquiſsimū eſt enim ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies,cū Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos,& memores teſtētur animos erga cōmunem Dominū,& Redemptorē pro tam ineffabili,& planè diuino beneficio,quo mortis eius victoria,& triumphus repræſentatur,atq; ſic quidē opportuit victricē veritatē de mendacio, & hæreſi triumphū agere, vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris,& in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti,vel debilitati,& fracti tabeſcant,vel pudore affecti,& confuſi aliquando reſipiſcant.

De aſſeruando ſacræ Euchariſtiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo. Caput VI.

CONsuetudo asseruandi in sacrario sanctam Eucharistiã, adeo antiqua est, vt eam seculũ etiã Nicæni Cõcilij agnouerit. Porrò deferri ipsam sacrã Eucharistiã ad infirmos, & hunc vsum diligenter in Ecclesiis cõseruari, præterquã quod cum summa æquitate, & ratione coniunctũ est, tum multis in Cõciliis præceptũ inuenitur, & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est obseruatũ. Quare sancta hæc Synodus retinendũ omnino salutarẽ hunc, & necessariũ morem statuit.

De præparatione, quæ adhibenda est, vt dignè quis sacram Eucharistiam percipiat. *Caput* VII.

SI non decet ad sacras vllas functiones quempiam accedere, nisi sanctè: certè quo magis sanctitas, & diuinitas cælestis huius Sacramenti viro Christiano cõperta est, eo diligentius cauere ille debet, ne absque magna reuerentia, & sanctitate ad id percipiendũ accedat, præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quare comunicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. quod à Christianis omnibus, etiã ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo seruandum esse decreuit, modo non desit illis copia confessoris. quod si, necessitate vrgente, sacerdos absque præuia confessione celebrauerit: quamprimum confiteatur.

De vsu admirabilis huius Sacramenti. *Cap.* VIII.

QVo ad vsum autem, rectè, & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, vt peccatores, alios tantùm spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum panem cælestem edentes, fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentiunt: tertios porrò sacramentaliter simul & spiritualiter. hi autẽ sunt, qui ita se prius probant, & instruunt vt vestem nuptialẽ induti ad diuinã hanc mensam accedant. In sacramentali autẽ sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt laici à sacerdotibus cõmunionem acciperẽt: sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent: qui mos, tanquã ex traditione Apostolica descendens, iure, ac merito retineri debet. Demum autem paterno affectu ad

ctu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, vt omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc vnitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo iam tadem aliquando conueniant, & eõcordent, memoréſq; tantæ maiestatis, & tam eximij amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectã animam suã in nostræ salutis pretiũ, & carnẽ suã nobis dedit ad manducandum: hæc sacra mysteria corporis, & sanguinis eius ea fidei constantia, & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate, & cultu credãt, & venerentur, vt panẽ illũ supersubstãtialem frequenter susc ipere possint, & is verè eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis: cuius vigore cõfortati, ex huius miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriã peruenire valeant: eundẽ panẽ Angelorũ, quem modò sub sacris velaminibus edunt, absque vllo velamine manducaturi.

Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur, & refellantur errores: placuit sanctæ Synodo hos Canones subiungere, vt omnes, iam agnita doctrina Catholica, intelligant quoque, quæ ab illis hæreses caueri, vitariq́ue debeant.

De sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

Canon I.

SI quis negauerit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vnà cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, vnà cum corpore, & sanguine Domini nostri, Iesu Christi: negauerit q; mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini: quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat: anathema sit.

Canon III.

Si quis negauerit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub vnaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta, totum Christum contineri: anathema sit.

Canon IIII.

Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sa-

cramento non esse corpus,& sanguinẽ Domini nostri Iesu Christi,sed tantùm in vsu,dum sumitur,non autem ante, vel post:& in hostiis,seu particulis consecratis, quæ post communionem reseruantur, vel supersunt,non remanere verum corpus Domini: anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit,vel præcipuũ fructũ sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionẽ peccatorũ,vel ex ea nõ alios effectꝰ prouenire: anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit,in sancto Eucharistiæ Sacramẽto Christum vnigenitũ Dei filiũ non esse cultu latriæ,etiã externo,adorandũ:atq; ideo nec festiua peculiari celebritate venerandũ:neq; in processionibus secundum laudabilẽ, & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem,solenniter circungestandum,vel non publicè,vt adoretur,populo proponendum,& eius adoratores esse idololatras:anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, non licere sacrã Eucharistiam in sacrario reseruari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam, aut non licere,vt illa ad infirmos honorificè deferatur: anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit,Christũ in Eucharistia exhibitũ,spiritualiter tantùm manducari,& non etiam sacramentaliter,ac realiter:anathema sit.

Canon IX.

Si quis negauerit,omnes,& singulos Christi fideles vtriusque sexus cùm ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis,saltem in Paschate,ad communicandum,iuxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ: anathema sit.

Canon X.

Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti se ipsum communicare:anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumẽdum sanctissimæ Eucharistię Sacramẽtum:anathema sit.Et ne tantum Sacramentum indignè,atque ideo in mortem,& condemnationẽ sumatur:statuit,atque declarat ipsa sancta Synodus,illis,quos cõscientia peccati mortalis grauat, quãtumcunq; etiam se cõtritos existimẽt, habita copia Confessoris,necessario præmittendam esse Cõfessionem sacramẽtalem.Si quis autem contrarium docere,prædicare,vel pertinaciter

naciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Decretum de Reformatione. *Caput* I.

EAdem sancta Tridentina Synodus, Præsidentibus in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nunciis, intendens nonnulla statuere, quæ ad iurisdictionem pertinent Episcoporum, vt iuxta proximæ Sessionis decretum, illi in commissis sibi ecclesiis eo libentius residant, quo facilius, & commodius sibi subiectos regere, & in vitæ, ac morum honestate continere potuerint: illud primum eos admonendos censet, vt se pastores, non percussores, esse meminerint, atque ita præesse sibi subditis oportere, vt non in eis dominentur, sed illos, tanquam filios, & fratres, diligant; elaborentq;, vt hortando, & monẽdo ab illicitis deterreant: ne, vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est eis seruanda præceptio: vt illos arguãt, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia: cùm sæpe plus erga corrigendos agat benecuolentia, quàm austeritas: plus exhortatio, quàm comminatio: plus charitas, quàm potestas. Sin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit: tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est: vt sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conseruetur: & qui correcti fuerint, emendentur: aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animaduersionis exemplo, à vitiis deterreantur: cùm sit diligentis, & pij simul pastoris officium, morbis ouium leuia primùm adhibere fomenta: pòst vbi morbi grauitas ita postulet, ad acriora, & grauiora remedia descendere: sin autem ne ea quidem proficiãt illis submouendis, cæteras saltem oues à contagionis periculo liberare. Cùm igitur rei criminum plerunque ad euitandas pœnas, & Episcoporum subterfugienda iudicia, querelas, & grauamina simulent: & appellationis diffugio iudicis processum impediant: ne remedio ad innocentiæ præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem abutantur: atque vt huiusmodi eorum calliditati, & tergiuersationi occurratur: ita statuit, & decreuit: In causis visitationis, & correctionis, siue habilitatis, & inhabilitatis, necnõ criminalibus, ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario generali, ante definitiuam sententiam, ab interlocutoria, vel alio quocunque grauamine, non appelletur: neque Episcopus, seu Vicarius appellationi huiusmodi, tanquam friuolæ, deferre teneatur: sed ea, ac quacunque inhibitione, ab appellationis

iudice emanata, necnon omni stylo, & cõsuetudine, etiam immemorabili, contraria non obstante, ad vlteriora valeat procedere: nisi grauamen huiusmodi per definitiuam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiua appellari non possit: quibus casibus sacrorum, & antiquorum Canonum statuta illibata persistant.

Caput II.

A Sententia Episcopi, vel ipsius in spiritualibus Vicarij generalis, in criminalibus appellationis causa, vbi appellationi locus fuerit, si Apostolica authoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano, seu illius etiã Vicario in spiritualibus generali: aut si ille aliqua de causa suspectus foret, vel vltra duas legales dietas distet, seu ab ipso appellatũ fuerit, vni ex vicinioribus Episcopis, seu illorum Vicariis, non autem inferioribus iudicibus committatur.

Caput III.

REus, ab Episcopo, aut eius Vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellans, coram iudice, ad quem appellauit, acta primæ instantiæ omnino producat: & iudex, nisi illis visis, ad eius absolutionem minime procedat. Is autem, à quo appellatum fuerit, intra triginta dies, acta ipsa postulanti gratis exhibeat: alioqui absque illis causa appellationis huiusmodi, prout iustitia suaserit, terminetur.

Caput IIII.

CVm verò tam grauia nonnunquam sint delicta, ab Ecclesiasticis commissa personis, vt ob eorum atrocitatem è sacris Ordinibus deponendæ, & curiæ sint tradendæ seculari: in quo secundum sacros Canones certus Episcoporum numerus requitur: quos si omnes adhibere difficile esset, debita iuris executio differretur: si quando autem interuenire possent, eorum residentia intermitteretur: propterea statuit, & decreuit: Episcopo per se, seu illius Vicarium in spiritualibus generalem, contra Clericum, in sacris etiam presbyteratus Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, necnon verbalem depositionem: & per se ipsum etiam ad actualem, atque solennem degradationem ab ipsis Ordinibus, & gradibus Ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum Episcoporum præsentia, in numero à Canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat: adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, vsum mitræ & baculi ex priuilegio Apostolico habentibus, si in ciuitate, aut diœcesi reperiri, & commodè interesse possint: alioquin aliis personis, in Ecclesiast

cleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graues, ac iuris ſcientia commendabiles exiſtant.

Caput V.

ET quoniam per fictas cauſas, quæ tamen ſatis probabiles videntur, interdum accidit, vt nonnulli eiuſmodi gratias extorqueãt, per quas pœnæ illis Epiſcoporum iuſta ſeueritate inflictæ, aut remittuntur omnino, aut minuuntur: cùm non ferendum ſit, vt mẽdacium, quod tãtopere Deo diſplicet, non modo ipſum impunitum ſit, verùm etiam alterius delicti veniam impetret mẽtienti: idcirco, vt ſequitur, ſtatuit, & decreuit: Epiſcopus apud Eccleſiam ſuam reſidens, de ſurreptione, & obreptione gratiæ, quæ ſuper abſolutione alicuius publici criminis, vel delicti, de quo ipſe inquirere cœperat: aut remiſſione pœnæ, ad quam criminoſus per eum condemnatus fuerit, falſis precibus impetratur, per ſe ipſum, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, etiam ſummariè cognoſcat, ipſamq; gratiam, poſtquam per falſi narrationem, aut veri taciturnitatem, obtentam eſſe, legitimè conſtiterit, non admittat.

Caput VI.

QVoniam verò ſubditi Epiſcopo, tametſi iure correpti fuerint, magnopere tamen eum odiſſe, & tanquam iniuria affecti ſint, falſa illi crimina obiicere ſolent, vt quoquo pacto poſsint, ei moleſtiã exhibeant, cuius vexationis timor plerunque illum ad inquirenda, & punienda eorum delicta ſegniorem reddit: idcirco, ne is magno ſuo & Eccleſiæ incommodo gregem ſibi creditum relinquere, ac non ſine Epiſcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita ſtatuit, & decreuit: Epiſcopus, niſi ob cauſam, ex qua deponendus ſiue priuandus venerit, etiam ſi ex officio, aut per inquiſitionem, ſeu denũciationem, vel accuſationem, ſiue alio quouis modo procedatur, vt perſonaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur.

Caput VII.

TEſtes in cauſa criminali ad informationem, vel indicia, ſeu aliâs in cauſa principali contra Epiſcopum, niſi cõteſtes, & bonæ conuerſationis, exiſtimationis, & famę fuerint, non recipiantur: & ſi odio, temeritate, aut cupiditate aliquid depoſuerint, grauibus pœnis multentur.

Caput VIII.

CAuſæ Epiſcoporũ, cùm pro criminis obiecti qualitate cõparere debeant, corã Pont. Max. referantur, ac per ipſum terminentur.

Decre-

Decretum Prorogationis, definitionis quatuor articulorum de Sacramento Eucharistiæ, & salui conductus, Protestantibus dandi.

EAdem sancta Synodus errores omnes, qui super hoc sanctissimo Sacramento repullularunt, tanquam vepres ex agro Dominico euellere, ac omnium fidelium saluti prospicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti piè oblatis, inter alios, ad hoc Sacramentum pertinentes articulos, diligentissima veritatis Catholicæ inquisitione tractatos, plurimis, accuratissimisque pro rerū grauitate disputationibus habitis, cognitis quoque præstantissimorum Theologorum sententiis, hos etiam tractabat: An necessarium sit ad salutem, & diuino iure præceptum, vt singuli Christi fideles sub vtraque specie ipsum venerabile Sacramentum accipiant. Et: Num minus sumat, qui sub altera, quàm qui sub vtraque communicat. Et: An errauerit sancta mater Ecclesia, laicos, & non celebrantes sacerdotes, sub panis specie dumtaxat communicando. Et, An paruuli etiam communicandi sint. Sed quoniam ex nobilissima Germaniæ prouincia ij, qui se Protestantes nominant, super his ipsis articulis, antequam definiantur, audiri à sancta Synodo cupiunt, & eam ob causam fidem publicam ab illa postularūt, vt ipsis tuto huc venire, & in hac vrbe commorari, ac liberè coram Synodo dicere, atque proponere quæ senserint, & posteà, cùm libuerit, recedere liceat: sancta ipsa Synodus, licet magno desiderio eorum aduentum multos anteà menses expectarit, tamen vt pia mater, quæ ingemiscit, & parturit, summopere id desiderans, ac laborans, vt in iis, qui Christiano nomine censentur, nulla sint schismata, sed quēadmodum eūdem omnes Deum, & Redemptorem agnoscunt, ita idē dicant, idē credant, idem sapiāt: confidens Dei misericordia, & sperans fore, vt illi in sanctissimā & salutarem vnius fidei, spei, charitatisque concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerēs, securitatem & fidem, vt petierunt, publicam, quam saluum conductum vocant, quod ad se pertinet, eius, qui infrascriptus erit, tenoris, dedit, atque concessit: & eorum causa definitionem illorum articulorum ad secundam Sessionem distulit: quam vt illi commodè ei interesse possent, in diem festum conuersionis D. Pauli, qui erit vigesima quinta die mensis Ianuarij, anni sequentis, indixit. Illúdque præterea statuit, vt in eadem Sessione de sacrificio Missæ agatur, propter magnā vtriusque rei connexionem: interea Sessione proxima de Pœnitentiæ, & Extremæ vnctionis Sacramentis tractandum: illam autem

die

die festo D. Catharinæ virginis, & martyris, qui erit vigesima quinta Nouembris, habendam esse decreuit, simúlque vt in vtraque materiam reformationis prosequatur.

Saluus conductus datus Protestantibus.

SAcrosancta generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolicæ, Legato & Nunciis, omnibus & singulis, siue Ecclesiasticis, siue secularibus personis vniuersæ Germaniæ, cuiuscunque gradus, status, conditionis, & qualitatis sint, quæ ad œcumenicum hoc, & generale Concilium accedere voluerint, vt de iis rebus quæ in ipsa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere, & tractare, ac ad ipsum œcumenicum Concilium liberè, & tuto venire, & in eo manere, & commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam scripto, quàm verbo, offerre, proponere, & cum Patribus, siue iis, qui ab ipsa sancta Synodo delecti fuerint, conferre, & absque vllis conuiciis, & contumeliis disputare, necnon, quando illis placuerit, recedere possint, & valeant, publicam fidem, & plenam securitatem, quam saluum conductum appellant, cum omnibus, & singulis clausulis, & decretis necessariis, & opportunis, etiam si specialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expressis haberi voluit, quantum ad ipsam sanctam Synodum spectat, concedit. Placuit præterea sanctæ Synodo, vt si pro maiori libertate, ac securitate eorum, certos tam pro commissis, quàm pro committendis per eos delictis, iudices eis deputari cupiant, illos sibi beneuolos nominent, etiam si delicta ipsa quantumcunque enormia, ac hæresim sapientia fuerint.

SESSIO XIIII. QVAE EST QVARTA sub Iulio III. Pontifice Maximo, celebrata die XXV. Nouembris,

M. D. LI.

Doctrina de sanctissimis Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis Sacramentis.

SACROSANCTA œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem sanctæ Apostolicæ Sedis Legato, & Nunciis, quamuis in Decreto de Iustificatione multus fuerit de Pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem, necessaria quadam ratione sermo interpositus: tanta nihilominus circa illud nostra hac ætate diuersorum errorum est multitudo, vt non parum publicæ vtilitatis retulerit, de eo exactiorem, & pleniorem definitionem tradidisse: in qua demõstratis, & conuulsis, Spiritus sancti præsidio, vniuersis erroribus, Catholica veritas perspicua, & illustris fieret: quam nunc sancta hæc Synodus Christianis omnibus perpetuo seruandam proponit.

De necessitate, & institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

Caput I.

SI ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, vt iustitiam, in Baptismo, ipsius beneficio & gratia susceptam constanter tuerentur: non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, diues in misericordia, cognouit figmentum nostrum: illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati seruitutem, & Dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ: quo lapsis post Baptismum, beneficiũ mortis Christi applicatur. Fuit quidem Pœnitẽtia vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petiuissent, vt peruersitate abiecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur, vnde Propheta ait: Conuertimini, & agite pœnitentiã ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: Nisi pœnitentiã egeritis, omnes similiter peribitis. Et princeps Apostolorũ Petrus peccatoribus

toribus Baptismo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat: Pœnitentiã agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm. Porro nec ante aduẽtum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post aduentum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autẽ Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse cõmunicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit. Et Nouatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica, tanquam hæreticos exposit, atque condẽnauit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum cõmenticias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Euangelium annunciandi, contra huiusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.

De differentia Sacramenti Pœnitentiæ & Baptismi. *Caput* II.

CAeterum hoc Sacramẽtũ multis rationibus à Baptismo differre dignoscitur: nam prẽterquam quod materia, & forma, quibus Sacraméti essentia perficitur, longissimè dissidet: cõstat certè Baptismi ministrum iudicem esse non oportere: cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt, iudicare? Seeus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lauacro Baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos, si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito Baptismo ablui, cùm id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal, tanquam reos, sisti voluit: vt per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitẽtes confugerint, possent liberari. Alius præterea est Baptismi, & alius Pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, noua prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem cõsequentes: ad quam tamen nouitatem & integritatem, per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, diuina id exigente iustitia, peruenire nequaquam possumus: vt merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit.

Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, vt nondum regeneratis ipse Baptismus.

De partibus, & fructu huius Sacramenti. *Caput* III.

DOcet præterea sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absoluo, &c. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur: ad ipsius tamen formę essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenámque, & perfectam peccatorũ remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione, Pœnitentiæ partes dicuntur. Sanè verò res, & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus, & effectu huius Sacramenti, sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui Pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt.

De Contritione. *Caput* IIII.

COntritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato cõmisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius: & in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum: si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramẽtum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus hanc Cõtritionem, non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, iuxta illud: Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis: & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et certè, qui illos sanctorum clamores considerauerit: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animę: & alios huius generis: facilè intelliget, eos ex vehemẽti quodam anteactæ vitæ odio, & ingẽti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, etsi Contritio

tritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ: declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem verùm etiam donũ Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramẽto Pœnitentiæ impetrãdam disponit. hoc enim timore vtiliter concussi Niniuitę, ad Ionę prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre: quod nũquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit, sed & falso docent, Contritionem esse extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam.

De Confessione. *Caput* v.

EX institutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicata, vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis iure diuino necessariã existere: quia Dominus noster Iesus Christus, è terris ascensurus ad cælos, sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tãquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quę Christi fideles ceciderint: quo pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient: constat enim, sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungẽdis seruare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere à pœnitẽtibus omnia peccata mortalia, quorũ post diligentem sui discussionẽ conscięntiam habẽt in Confessione recensęri, etiam si occultissima illa sint, & tantùm aduersus duo vltima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum grauiùs sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur, nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè, &

vtiliter, citráque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verùm, cùm vniuersa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant: necessum est omniũ etiam veniam, cum aperta, & verecunda confessione, à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri studeant, proculdubio omnia diuinæ misericordiæ agnoscenda exponunt: qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt: si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere: quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiã eas circunstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: quod sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant: & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè censere possint, & pœnã, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. vnde alienum à ratione est, docere circunstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut vnam tantùm circunstantiam confitendam esse, nempe peccasse fratrem. Sed & impiũ est, Confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. constat enim, nihil aliud in Ecclesia à pœnitẽtibus exigi, quàm vt postquam quisque diligentius sẽ excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata cõfiteatur, quibus se Dominũ & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum, eadem Confessione inclusa esse intelligũtur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis mũda me Domine. Ipsa verò huiusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegẽdi verecundia grauis quidẽ videri posset, nisi tot, tantisque commodis, & consolationibus leuaretur, quæ omnibus, dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur. Cæterũ, quoad modũ confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorũ exemplũ tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè cõfiteri possit: non est tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda. Vnde cum à sanctissimis & antiquissimis Patribus, magno, vnanimique consensu, secreta Confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta vsa est, & modò etiam vtitur, fuerit

semper

ſemper commendata:manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia,qui eam à diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe, atque à Patribus,in Concilio Lateranenſi congregatis,initium habuiſſe,docere non verentur. neque enim per Lateranenſe Conciliũ Eccleſia ſtatuit,vt Chriſti fideles confiterentur:quod iure diuino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat:ſed vt præceptum Confeſsionis,ſaltem ſemel in anno,ab omnibus,& ſingulis,cùm ad annos diſcretionis peruenirent,impleretur. Vnde iam in vniuerſa Eccleſia, cum ingẽti animarum fidelium fructu,obſeruatur mos ille ſalutaris confitendi, ſacro illo,& maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ:quem moremhæc ſancta Synodus maximè probat,& amplectitur, tanquam pium,& merito retinendum.

De miniſtro huius Sacramenti,& Abſolutione.

Caput VI.

CIrca miniſtrum autem huius Sacramenti, declarat ſancta Synodus,falſas eſſe, & à veritate Euangelij penitus alienas doctrinas omnes,quæ ad alios quoſuis homines, præter Epiſcopos, & ſacerdotes, Clauium miniſterium pernicioſè extendunt: putantes verba illa Domini: Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cælo:& quæcunque ſolueritis ſuper terram,erunt ſoluta & in cælo:& quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt:ad omnes Chriſti fideles indifferẽter, & promiſcuè, contra inſtitutionem huius Sacramenti, ita fuiſſe dicta, vt quiuis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem,ſi correptus acquieuerit: ſecreta verò per ſpontaneã Confeſsionem, cuicunque factam. Docet quoque, etiam ſacerdotes, qui peccato mortali tenẽtur,per virtutem Spiritus ſancti, in ordinatione collatam,tanquam Chriſti miniſtros,functionem remittendi peccata exercere,eóſque prauè ſentire, qui in malis ſacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. Quamuis autem Abſolutio ſacerdotis alieni beneficij ſit diſpenſatio:tamen non eſt ſolum nudũ miniſterium, vel annunciandi Euangeliũ,vel declarandi remiſſa eſſe peccata:ſed ad inſtar actus iudicialis,quo ab ipſo,velut à iudice ſententia pronuntiatur, atque ideo non debet pœnitens adeo ſibi de ſua ipſius fide blãdiri,vt etiã ſi nulla illa adſit contritio,aut ſacerdoti animus ſerio agẽdi,& verè abſoluendi, deſit:putet tamen ſe,propter ſuam ſolam fidẽ,verè,& coram Deo eſſe abſolutum, nec enim fides ſine Pœnitentia remiſsionem vllam peccatorum præſtaret. nec is eſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſ-

ſimus,

simus, qui sacerdotem ioco se absoluentem cognosceret: & non alium serio agentem, sedulo requireret.

De casuum reseruatione. Caput VII.

QVoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momẽti Absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, vt atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibusuis, sed à summis dumtaxat sacerdotibus absolue rentur, vnde merito Pontifices Maxim. pro suprema potestate, sibi in Ecclesia vniuersa tradita, causas aliquas criminum grauiores suo potuerunt peculiari iudicio reseruare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes, auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reseruationem, consonũ est diuinæ auctoritati, non tãtùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere, veruntamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitẽtes à quibusuis peccatis, & cẽsuris absoluere possint: extra quem articulum sacerdotes cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos iudices pro beneficio Absolutionis accedant.

De Satisfactionis necessitate & fructu Caput VIII.

DEmum, quoad Satisfactionem, quæ ex omnibus pœnitentię partibus, quemadmodum à Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata: ita vna maximè nostra ætate, summo pietatis prætextu, impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt. sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nũquam remitti, quin vniuersa etiam pœna cõdonetur, perspicua enim, & illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus, præter diuinam traditionem, hic error quàm manifestissimè reuincitur. Sanè & diuinæ iustitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui

qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter verò, qui ſemel à peccati, & Dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint. Et diuinã clementiã decet, ne ita nobis abſq; vlla ſatisfactione peccata dimittãtur, vt occaſione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij, & cõtumelioſi Spiritui ſancto, in grauiora labamur, theſaurizãtes nobis irã in die iræ. proculdubio enim magnopere à peccato reuocãt, & quaſi freno quodam coercẽt hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioréſque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè viuendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior vlla via in Eccleſia Dei vnquam exiſtimata fuit ad mouendam imminentem à Domino pœnam, quàm vt hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd, dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſsimam quoque inde arrham habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur. Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exoluimus, vt non ſit per Chriſtum Ieſum, nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil poſſumus: eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus: ita non habet homo vnde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt: in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus: facientes fructus dignos pœnitẽtiæ, qui ex illo vim habẽt: ab illo offerũtur Patri: & per illum acceptantur à Patre. Debent ergo ſacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & cõuenientes ſatisfactiones iniungere: ne, ſi forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſsima quædam opera pro grauiſsimis delictis iniungẽdo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt Satisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum: ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictã, & caſtigationem, nam Claues ſacerdotum non ad ſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent: nec propterea exiſtimarunt, Sacramentũ pœnitentiæ eſſe forũ iræ vel pœnarũ, ſicut nemo vnquam Catholicus ſenſit ex huiuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim meriti, & ſatisfactionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Nouatores intelligere volunt, ita optimam Pœnitentiam nouam vitam eſſe do-

cent,vt omnem Satisfactionis vim,& vsum tollant.

De operibus Satisfactionis. Caput IX.

DOcet præterea,tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumẽtum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus.

Doctrina de sacramento extremæ Vnctionis.

VIsum est autem sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adiungere ea, quæ sequuntur de sacramento extremæ Vnctionis: quod non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet,consummatiuum existimatũ est à Patribus. Primùm itaque,circa illius institutionem,declarat,& docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui seruis suis quouis tempore voluit de salutaribus remediis aduersus omnia omnium hostiũ tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparauit,quibus Christiani conseruare se integros, dum viuerent, ab omni grauiore spiritus incommodo possint: ita extremæ Vnctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio, muniuit. nam etsi aduersarius noster occasiones per omnem vitam quærat,& captet,vt deuorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ neruos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam,si possit,diuinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ prospicit.

De institutione Sacramenti extremæ Vnctionis Caput I.

INstituta est autem sacra hæc Vnctio infirmorum,tanquam verè,& propriè Sacramentum noui testamenti,à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem,fidelibus commendatum,ac promulgatum. Infirmatur,inquit,quis in vobis:inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum,vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum,& alleuiabit eum Dominus,& si in peccatis sit,dimittentur ei.Quibus verbis,vt ex Apostolica traditione, per manus accepta, Ecclesia didicit, docet materiam,formam,proprium ministrum, & effectum huius salutaris Sacramenti.intellexit enim Ecclesia,materiam esse oleum,ab Episcopo benedictum, nam Vnctio aptissimè Spiritus sancti gratiam qua inuisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsen-

tat:formam deinde esse illa verba, Per istam vnctionem, &c.

De effectu huius Sacramenti. Caput II.

REs porrò & effectus huius Sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei saluabit infirmum & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit,dimittentur ei.res etenim hæc gratia est Spiritus sancti: cuius Vnctio delicta,si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit:& ægroti animam alleuiat & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando qua infirmus subleuatus,& morbi incommoda,ac labores leuius fert:& tentationibus Dæmonis, calcaneo insidiantis,facilius resistit:& sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit,consequitur.

De ministro huius Sacramẽti,& tẽpore,quo dari debeat. Cap. III.

IAm verò,quod attinet ad præscriptionem eorum, qui & suscipere, & ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditum. nam & ostenditur illic, proprios huius Sacramenti ministros esse Ecclesiæ Presbyteros. quo nomine eo loco non ætate seniores,aut primores in populo intelligẽdi veniũt, sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis ritè ordinati,per impositionẽ manuum Presbyterij.Declaratur etiam esse hanc Vnctionem infirmis adhibendam,illis verò præsertim,qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur: vnde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.Quòd si infirmi post susceptam hanc Vnctionem conualuerint,iterum huius Sacramenti subsidio iuuari poterunt: cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi sunt,qui contra tam apertam, & dilucidam Apostoli Iacobi sententiã docent, hanc Vnctionem, vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem: & qui illam iam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiua Ecclesia referenda esset: & qui dicunt ritum, & vsum, quem sancta Romana Ecclesia in huius Sacramenti administratione obseruat, Iacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse: & denique,qui hanc extremam Vnctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant.hæc enim omnia manifestissimè pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profectò Ecclesia Romana, aliarum omnium mater,& magistra, aliud in hac administranda Vnctione quantum ad ea,quæ huius Sacramenti substantiam perficiũt,obseruat:quàm quod beatus Iacobus præscripsit. Nec verò tanti Sacramenti contemptus

absque ingenti scelere,& ipsius Spiritus sancti iniuria esse posset.

Hæc sunt,quæ de Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis Sacramentis hæc sancta œcumenica Synodus profitetur & docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda & tenenda proponit.Sequentes autem Canones inuiolabiliter seruandos esse tradit, & asserentes contrarium perpetuò damnat,& anathematizat.

De sanctissimo Pœnitentiæ Sacramento. Canon I.

SI quis dixerit,in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè,& propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum:anathema sit.

Canon II.

Si quis Sacramenta confundens,ipsum Baptismum,Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari:anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit,verba illa Domini Saluatoris: Accipite Spiritũ sanctum:quorum remiseritis peccata,remittuntur eis: & quorũ retinueritis,retenta sunt:non esse intelligenda, de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit:detorserit autem contra institutionẽ huius Sacramenti,ad auctoritatem prædicandi Euangelium:anathema sit.

Canon IIII.

Si quis negauerit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ,videlicet,Contritionem,Confessionem,& Satisfactionẽ,quę tres Pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit, duas tantùm esse Pœnitentiæ partes,terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato,& fidem conceptam ex Euangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata:anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit,eam Contritionem,quæ paratur per discussionem, collectionem,& detestationem peccatorum,qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderãdo peccatorum suorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ,

non

non esse verum & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum,& non liberum,ac voluntarium:anathema sit.

Canon VI.

Si quis negauerit,Confessionem sacramẽtalem vel institutam, vel ad salutẽ necessariam esse iure diuino:aut dixerit,modum secretè confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obseruauit & obseruat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inuentum esse humanum:anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessariũ non esse iure diuino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur,etiam occulta & quæ sunt contra duo vltima Decalogi præcepta,& circunstantias,quæ peccati speciẽ mutãt:sed eam Confessionem tantùm esse vtilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem,& olim obseruatã fuisse tantùm ad satisfactionem canonicam imponendam:aut dixerit,eos qui omnia peccata confiteri studeant,nihil relinquere velle diuinæ misericordiæ ignoscendum: aut demum, non licere confiteri peccata venialia:anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit,Confessionem omnium peccatorum,qualem Ecclesia seruat,esse impossibilem, & traditionem humanam à piis abolendam:aut ad eam non teneri omnes & singulos vtriusque sexus Christi fideles,iuxta magni Concilij Lateranensis constitutionem,semel in anno,& ob id suadendum esse Christi fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadragesimæ:anathema sit.

Canon IX.

Si quis dixerit, Absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem,sed nudum ministerium pronunciandi,& declarandi remissa esse peccata confitenti:modo tantùm credat, se esse absolutum:aut sacerdos non serio,sed ioco absoluat:aut dixerit non requiri Confessionem pœnitentis, vt sacerdos eum absoluere possit:anathema sit.

Canon X.

Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt,potestatem ligandi,& soluẽdi non habere:aut non solos sacerdotes esse ministros

absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum: Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quęcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absoluere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieuerit: secreta verò per spontaneam confessionem: anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuũ reseruationem non prohibere, quo minus sacerdos à reseruatis verè absoluat: anathema sit.

Canon XII.

Si quis dixerit, totam pœnã simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionémque pœnitentium non esse aliam quàm fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfeciſſe: anathema sit.

Canon XIII.

Si quis dixerit, pro peccatis, quo ad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à sacerdote iniunctis, sed neque spõte susceptis, vt ieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam, esse tantùm nouam vitam: anathema sit.

Canon XIIII.

Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christũ Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes: anathema sit.

Canon XV.

Si quis dixerit, Claues Ecclesiæ esse datas tantùm ad soluendũ, non etiam ad ligandum: & propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clauium, & contra institutionem Christi: & fictionem esse, quòd virtute Clauium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerunque exoluenda remaneat: anathema sit.

De Sacramento extremæ Vnctionis. *Canon* I.

SI quis dixerit, extremam Vnctionem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tãtum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum: anathema sit.

Canon

Canon II.

Si quis dixerit, ſacram infirmorum Vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos: ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantùm fuerit gratia curationum: anathema ſit.

Canon III.

Si quis dixerit, extremæ Vnctionis ritum & vſum, quem obſeruat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ beati Iacobi Apoſtoli, ideóque eum mutandum, poſſéque à Chriſtianis abſque peccato contemni: anathema ſit.

Canon IIII.

Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſię, quos beatus Iacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quauis communitate: ob idque proprium extremæ Vnctionis miniſtrum non eſſe ſolum ſacerdotem: anathema ſit.

Decretum de Reformatione.

PROOEMIVM.

CVm propriè Epiſcoporum munus ſit, ſubditorum omnium vitia redarguere: hoc illis præcipuè cauendum erit, ne Clerici, præſertim ad animarum curam cõſtituti, criminoſi ſint, néve inhoneſtam vitam, ipſis conuiuentibus, ducant: nam ſi eos prauis & corruptis moribus eſſe permittant: quo pacto laicos de ipſorum vitiis redarguent: qui vno ab eis ſermone conuinci poſſent, quòd Clericos ipſis patiantur eſſe deteriores? qua etiam libertate laicos corripere poterunt ſacerdotes, cùm tacitè ſibi ipſi reſpondeant, eadem ſe admiſiſſe, quæ corripiunt? Monebunt propterea Epiſcopi ſuos Clericos, in quocunque ordine fuerint, vt conuerſatione, ſermone, & ſcientia commiſſo ſibi Dei populo præeant: memores eius, quod ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum. Et iuxta Apoſtoli vocẽ: Nemini dent vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium eorum: ſed in omnibus exhibeant ſe, ſicut miniſtros Dei: ne illud prophetæ dictum impleatur in eis: Sacerdotes Dei contaminãt ſancta, & reprobant legem. Vt autem ipſi Epiſcopi id liberiùs exequi, ac quoquam prætextu deſuper impediri nequeant: eadem ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legato, & Nunciis, hos, qui ſequuntur, Canones ſtatuendos & decernendos duxit.

Cap

Caput I.

CVm honestius,ac tutius sit subiecto,debitam Præpositis obedien tiam impendendo,in inferiori ministerio deseruire, quàm cum Præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem: ei cui ascensus ad sacros ordines à suo Prælato, ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extraiudicialiter fuerit interdictus: aut qui à suis Ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus:nulla contra ipsius Prælati volun tatem concessa licentia de se promoueri faciendo:aut ad priores Ordines,gradus,& dignitates,siue honores restitutio suffragetur.

Caput II.

ET,quoniam nonnulli Episcopi Ecclesiarum,quæ in partibus infidelium consistunt,clero carentes & populo Christiano,cùm fe re vagabundi sint,& permanentem sedem non habeant,non quæ Iesu Christi, sed alienas oues inscio proprio Pastore quærentes, dum per hanc sanctam Synodum se Pontificalia officia in alterius diœcesi,nisi de loci Ordinarij expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm, exercere prohibitos vident, in legis fraudem,& contemptum, quasi Episcopalem cathedram in loco nullius diœcesis sua temeritate eligunt:& quoscunque ad se venientes, etiam si suorum Episcoporum,seu Prælatorum literas commendaticias non habeant, clericali charactere insignire, & ad sacros etiam presbyteratus Ordines promouere præsumunt:quo plerumque fit,vt minus idonei & rudes ac ignari, & qui à suo Episcopo tanquam inhabiles & indigni reiecti fuerunt ordinati,nec diuina officia peragere,nec ecclesiastica Sacramenta rectè valeant ministrare:Nemo Episcoporum, qui Titulares vocantur,etiam si in loco nullius diœcesis etiam exẽpto, aut aliquo monasterio cuiusuis ordinis resederint,aut moram traxerint, vigore cuiusuis priuilegij sibi de promouẽdo quoscunque ad se venientes pro tempore concessi,alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprij Prælati expresso consensu,aut literis dimissoriis ad aliquos sacros aut minores ordines,vel primam tonsuram promouere seu ordinare valeat: contrà faciens ab exercitio Pontificalium per annum,taliter verò promo tus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit,ipso iure sint suspensi.

Cap

Caput III.

EPiscopus quoscunque suos Clericos, præsertim in sacris constitutos, absque suo præcedenti examine, & commendaticiis literis, quacunque authoritate promotos, licet tanquam habiles ab eo, à quo ordinati sunt probatos, quos tamen ad diuina officia celebranda, seu Ecclesiastica Sacramenta ministranda minus idoneos & capaces repererit, à susceptorum Ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere, & illis, ne in altari aut aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

Caput IIII.

OMnes ecclesiarum Prælati, qui ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent, & à quibus nullus Clericus per huius sanctæ Synodi statuta, cuiusuis priuilegij prætextu, tutus censetur, quo minus iuxta canonicas sanctiones visitari, puniri & corrigi possit: si in ecclesiis suis resederint, quoscunque seculares Clericos, qualitercunque exemptos, qui aliàs suæ iurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus & delictis, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tanquam ad hoc Apostolicæ Sedis delegati, corrigẽdi & castigandi facultatẽ habeant: quibuscunque exẽptionibus, declarationibus, cõsuetudinibus, sentẽtiis, iuramẽtis, cõcordiis, quę tãtùm suos obligent authores, ipsis Clericis ac eorum consanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus & aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione & intuitu minime suffragantibus.

Caput V.

INsuper, cùm nonnulli, qui sub prætextu quòd super bonis & rebus ac iuribus suis diuersæ eis iniuriæ ac molestiæ inferantur, certos iudices per literas Cõseruatorias deputari obtinẽt, qui illos à molestiis & iniuriis huiusmodi tueantur ac defendãt, & in possessione, seu quasi, bonorum, rerum, ac iurium suorum manuteneant, & conseruent: nec super illis eos molestari permittant: eiusmodi literas in plerisque contra concedentis mentem in reprobum sensum detorqueant: idcir co nemini omnino, cuiuscunque dignitatis, & conditionis sit, etiam si Capitulum fuerit, Conseruatoriæ literæ, cum quibuscunque clausulis aut decretis, quorumcunque iudicum deputatione, quocunque etiam alio prętextu aut colore concessæ, suffragẽtur ad hoc, vt coram suo Episcopo, siue alio Superiore ordinario, in criminalibus & mixtis causis accusari & conueniri, ac contra eum inquiri & procedi non possit: aut quo minus, si quæ iura ei ex cessione competierint, super

illis liberè valeat apud iudicium ordinarium conueniri. In ciuilibus etiam cauſis, ſi ipſe actor extiterit, aliquem ei apud ſuos Cõſeruatores iudices in iudicium trahere minime liceat. Quòd ſi his cauſis, in quibus ipſe reus fuerit, contigerit, vt electus ab eo Conſeruator, ab actore ſuſpectus eſſe dicatur: aut ſi qua inter ipſos iudices, Conſeruatorem, & Ordinarium, controuerſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit: nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros, in forma iuris electos, ſuper ſuſpicione, aut iuriſdictionis competentia fuerit iudicatum. Familiaribus verò eius qui huiuſmodi literis Conſeruatoriis tueri ſe ſolent, nihil illæ proſint, præterquam duobus dumtaxat: ſi tamen illi propriis eius ſumptibus vixerint. Nemo etiam ſimilium literarum beneficio vltra quinquennium gaudere poſsit. Non liceat quoque Conſeruatoribus iudicibus vllum habere tribunal erectum. In cauſis verò mercedum, aut miſerabilium perſonarum huius ſanctę Synodi ſuper hoc decretum in ſuo robore permaneat. Vniuerſitates autem generales, ac collegia Doctorum, ſeu ſcholarium, & regularia loca, necnon hoſpitalia actu hoſpitalitatem ſeruantia, ac Vniuerſitatum, Collegiorum, locorum & hoſpitalium huiuſmodi perſonæ in præſenti Canone minime comprehenſæ, ſed exemptæ omnino ſint & eſſe intelligantur.

Caput VI.

QVia verò, etſi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre, vt per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant: tanta autem hodie aliquorum inoleuit temeritas, religioníſque contemptus, vt propriam dignitatem & honorem clericalem parui pendentes, veſtes etiam deferant publicè laicales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis alterũ in carnalibus: propterea omnes eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcunque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacunque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi, poſteaquã ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtũ habitum clericalẽ, illorum ordini & dignitati congruentem, & iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus ac officio & beneficio, ac fructibus, redditibus & prouentibus ipſorum beneficiorum, necnon, ſi, ſemel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per priuationẽ officiorum & beneficiorum huiuſmodi coerceri poſsint, & debeant: conſtitutionem Clementis Quinti, in Concilio Viennenſi edi

si editam, quæ incipit: Quoniam, innouando & ampliando.

Caput VII.

CVm etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari auelli debeat: qui sua voluntate homicidium perpetrauit, etiam si crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit: nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiã si curam non habeãt animarum, conferre liceat: sed omni Ordine, ac beneficio Ecclesiastico perpetuo careat: si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, vt quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur: quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcunque ac dignitates, iure quodam modo dispensatio debeatur: committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo: qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

Caput VIII.

PRæterea, quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri sunt Pastores, ac proprias oues habent, alienis etiam ouibus præesse quęrunt, & ita alienis subditis quandoque intendunt, vt suorum curam negligãt: quicunque, etiam Episcopali præditus dignitate, qui alienos subditos puniendi priuilegium habuerit, contra Clericos sibi non subditos, præsertim in sacris constitutos, quorumcunque etiam atrocium criminum reos, nisi cum propriis ipsorum Clericorum Episcopi, si apud ecclesiam suam resederit, aut personæ ab ipso Episcopo deputandæ, interuentu, nequaquam procedere debeat: aliàs processus & inde secuta quæcunque viribus omnino careant.

Caput IX.

ET, quia iure optimo distinctæ fuerunt diœceses & parochiæ, ac vnicuique gregi propriis attributi Pastores, & inferiorum ecclesiarum Rectores, qui suarum quisque ouium curam habeant: vt ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut vna & eadem Ecclesia duarum quodam modo diœcesum fiat, non sine graui eorum incommodo, qui illi subditi fuerint: beneficia vnius diœcesis, etiam si parochiales Ecclesiæ, Vicariæ perpetuæ, aut simplicia beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum diuinum, aut numerum beneficiatorum, aut alia quãcunque de causa, alterius diœcesis beneficio, aut monasterio, seu collegio, vel loco etiam

pio perpetuo non vniantur: decretum huius sanctæ Synodi super huiusmodi vnionibus in hoc declarando.

Caput X.

REgularia beneficia, in titulum Regularibus professis prouideri consueta, cùm per obitum, aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantùm illius ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino lanáque contextam induant, conferantur.

Caput XI.

QVia verò Regulares, de vno ad alium ordinem translati, facilè à suo Superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi, & apostatandi occasio tribuitur: nemo cuiuscunque ordinis Prælatus, vel Superior vigore cuiusuis facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere possit, nisi vt in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuò maneat, ac taliter translatus, etiam si canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia secularia, etiam curata omnino incapax existat.

Caput XII.

NEmo, etiam cuiusuis dignitatis ecclesiasticæ, vel secularis, quacunque ratione, nisi ecclesiam, beneficium, aut cappellam de nouo fundauerit & construxerit, seu iam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotauerit: ius patronatus impetrare aut obtinere possit aut debeat. In casu autem fundationis aut dotationis, huiusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reseruetur.

Caput XIII.

NOn liceat præterea patrono cuiusuis priuilegij prætextu aliquē ad beneficia sui iuris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario ad quem prouisio seu institutio ipsius beneficij, cessante priuilegio, iure pertineret, quoquo modo præsentare: aliàs præsentatio, ac institutio, forsan secutæ, nullæ sint, & esse intelligantur.

Caput XIIII.

Declarat præterea sancta Synodus, in futura Sessione, quā ad xxv. diem Ian. subsequentis anni M. D. LII. habendam esse iam decreuit: vnà cum sacrificio Missæ agendum, & tractandum etiam esse de Sacramento Ordinis, & prosequendam esse materiam de reformatione.

SESSIO

SESSIO XV. QVAE EST QVINTA sub Iulio III. Pontifice Maximo, celebrata die vigesimaquinta Ianuar.

M. D. LII.

Decretum prorogationis Sessionis.

CVM ex eo, quod proximis Sessionibus decretum fuit: sancta hæc,& vniuersalis Synodus per hos dies accuratissimè,diligentissiméque tractauerit ea,quæ ad sanctissimum Missæ sacrificium, & ad Sacramentum Ordinis spectant, vt hodierna Sessione, quemadmodum Spiritus sanctus suggessisset, decreta de his rebus, & quatuor præterea articulos ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinentes, in hanc tandem Sessionem dilatospublicaret: atque interim affuturos esse putauerit, ad hoc sacrosanctum Concilium eos qui Protestantes se vocant:quorum causa eorum publicationem articulorũ distulerat, & vt liberè,ac sine cunctatione vlla huc venirent, fidem eis publicam, siue saluũ conductum concesserat:tamen,cùm illi nondum venerint: & eorum nomine supplicatum huic sanctæ Synodo fuerit,vt publicatio quæ hodierno die facienda fuerat, in sequentem Sessionem differatur,certa spe allata affuturos eos esse omnino multo ante illam Sessionem,saluo cõductu amplioris formæ interim accepto.Eadem sancta Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, iisdem Legato, & Nunciis præsidẽtibus,nihil magis optans,quàm ex præstantissima natione Germanica omnes de religione dissensiones & schismata tollere,ac eius quieti, paci,otióque consulere: parata ipsos, si venerint, & humaniter excipere,& benignè audire: cõfidensque eos non fidei Catholicæ pertinaciter opugnandæ,sed veritatis cognoscendæ studio esse venturos,&,vt Euangelicæ veritatis studiosos decet, sanctæ matris Ecclesiæ decretis,ac disciplinæ ad extremũ esse acquieturos: sequentem Sessionem ad edenda & publicanda ea,quæ suprà commemorata sunt,in diem festum sancti Ioseph,qui erit die x i x. mensis Martij,distulit:vt satis illi temporis & spatij habeant, non solùm ad veniendum, verum etiam ad ea quæ voluerint,antequam is dies veniat,proponenda. Quibus vt omnem cunctandi diutius causam adimat,fidem publicam,siue saluum conductum eius, qui recitabitur, tenoris & sententiæ libenter dat & concedit. Interea verò de Matrimonij Sacramen-

to agendum,& de eo præter ſuperiorum decretorum publicationem, definiendum eſſe eadem Seſsione ſtatuit & decernit,& proſequẽdam eſſe materiam reformationis.

Saluus conductus datus Proteſtantibus.

SAcroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus,in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Legato, & Nunciis, inhærendo ſaluo conductui,in penultima Seſsione dato, & illum iuxta tenorem infraſcriptum, ampliãdo,Vniuerſis fidem facit,quòd omnibus, & ſingulis ſacerdotibus, Electoribus,Principibus,Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militaribus, popularibus, & aliis quibuſcunque viris,cuiuſcunque ſtatus,& conditionis,aut qualitatis exiſtant, Germanicæ prouinciæ & nationis,ciuitatibus, ac aliis locis eiuſdẽ, & omnibus aliis Eccleſiaſticis,& ſecularibus,præſertim Auguſtanæ confeſsionis perſonis,qui, aut quæ vnà cum ipſis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecturi ſunt, aut hucuſque venerunt,quocunque nomine cenſeantur aut valeant nuncupari, tenore præſentiũ publicam fidem & pleniſsimam,veriſsimámque ſecuritatem,quam ſaluum conductum appellant,liberè ad hanc ciuitatem Tridentinam veniendi,ibidémque manendi,ſtandi,morandi, proponendi,loquendi, vnà cum ipſa Synodo de quibuſcunque negociis tractandi,examinandi,diſcutiendi:& omnia quæcunque ipſis libuerit,ad articulos quoſlibet tam ſcripto, quàm verbo liberè oſferendi, propalandi,eóſque Scripturis ſacris,& beatorum Patrum verbis, ſententiis, & rationibus declarandi,aſtruendi,& perſuadendi,& ſi opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij generalis reſpondendi,& cum iis qui à Concilio delecti fuerint, diſputandi, aut charitatiuè abſque omni impedimento conferendi, opprobriis, cõtumeliis & conuiciis penitus ſemotis:& ſignanter,quod cauſæ controuerſæ, ſecundum ſacram Scripturam,& Apoſtolorum traditiones,probata Concilia, & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrũ auctoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur: illo etiam addito, vt religionis prætextu aut delictorum circa eam commiſſorum,aut committendorum minime puniantur, impartitur,ac omnino cõcedit,ſic etiam,vt propter illorum præſentiam neque in itinere, aut quocunque locorum eundo, manendo,aut redeundo,nec in ipſa ciuitate Tridentina à diuinis officiis quouis modo ceſſetur. Et vt his peractis,vel non peractis,quandocunque ipſis libuerit: aut maiorum ſuorum mandato, & aſſenſu ad

propria

propria reuerti optabunt: aut aliquis eorum optabit: mox absque vlla renitentia, & occasione, aut mora, saluis rebus eorum, & suorum pariter honore, & personis, vice versa, possint iuxta beneplacitū liberè, & securè redire: de scientia tamen ab eadem Synodo deputandorum: vt tunc opportunè eorum securitati, absque dolo & fraude, prouideatur. Vult etiam sancta Synodus in hac publica fide, saluóque cōductu, omnes quascūq; clausulas includi, ac cōtineri, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena, efficaci, & sufficienti securitate, in eundo, stando, & redeundo, necessariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam, ad maiorem securitatem, & pacis, ac conciliationis bonum, exprimens, quòd, si quispiam aut illorum aliqui, siue in itinere, Tridentum veniendo, siue ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicæ, & assecurationis beneficium, eis concessum, annullari, aut cassari: vult & concedit, vt in huiusmodi facinore deprehensi, ab ipsis dumtaxat, & non ab aliis condigna animaduersione cum emenda sufficienti, per partē ipsius Synodi merito approbanda & laudanda mox puniantur: illorum assecurationis forma, conditionibus, & modis omnium manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, vt si quisquam, vel aliqui ex ipsa Synodo, siue in itinere, aut manendo, aut redeundo aliquod enorme, quod absit, egerint, aut commiserint, quo posset, huius fidei publicæ & assecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli: in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsa Synodo dumtaxat, & non ab aliis condigna animaduersione & emenda sufficienti, per partem Dominorum Germanorum Augustanæ confessionis, tunc hîc præsentium merito laudanda, & approbanda, mox puniantur: præsenti assecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Vult præterea ipsa Synodus, quòd liceat ipsis Ambasciatoribus omnibus & singulis toties, quotiescūque opportunum fuerit seu necessarium, ad auram capiendā exire de ciuitate Tridētina & reuerti ad eandem, necnon nuncium vel nuncios suos ad quæcūque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis liberè mittere, seu destinare, ac ipsos missos seu destinatos, seu missum & destinatū suscipere toties, quoties eis videbitur expedire: ita quòd aliqui, vel aliquis per deputādos Concilij sociētur, qui eorum securitati prouideāt, vel prouideat. Qui quidē saluus cōductus, & securitates stare ac durare debēt, & à tēpore, & per tēpus, quo in ipsius Synodi, & suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & vsque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, & rursum post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierū præmisso

missō,cùm ipsi petierint,aut Concilium,habita huiusmodi audientia, ipsis receſſum indixerit,à Tridento vsque in quem quisque elegerit sibi locum tutum Deo fauente reſtituet, dolo & fraude prorsus excluſis. Quæ quidē omnia pro vniuersis, & singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus, tam Eccleſiaſticis, quàm Secularibus quibuscunque,atque omnibus aliis Eccleſiaſticis,ac ſecularibus perſonis,cuiuſcunque ſtatus, & conditionis exiſtant,aut quocunque nomine cenſeantur,inuiolabiliter obſeruāda eſſe promittit, & bona fide ſpondet.

Inſuper omni fraude, & dolo excluſis,vera, & bona fide promittit ipſam Synodum nullam vel manifeſtè vel occultè occaſionem quæſituram:aut aliqua auctoritate,potentia,iure, vel ſtatuto, priuilegio legum,vel Canonum,aut quorumcunque Conciliorū, præſertim Conſtantienſis,& Senenſis,quacunque forma verborū expreſſa,in aliquod huius fidei publicæ & pleniſsimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ ipſis per ipſam Synodum conceſſæ, præiudiciū quouis modo vſuram,aut quemquam vti permiſſuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quòd ſi ſancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel ſuis, cuiuſcunque conditionis, vel ſtatus,aut præeminentiæ exiſtens,præſcriptæ aſſecurationis, & ſalui conductus formam & modum in quocunque puncto vel clauſula violauerit,quod tamen dignetur auertere omnipotens, & ſufficiens emenda non fuerit mox ſubſecuta,& ipſorum arbitrio merito approbāda & laudanda:habeant ipſam Synodum, & habere poterunt, incidiſſe in omnes pœnas,quas iure diuino & humano,aut conſuetudine huiuſmodi ſaluorum conductuum violatores incurrere poſſunt, abſque omni excuſatione,aut quauis in hac parte contradictione.

SESS

SESSIO XVI. QVAE EST SEXTA & vltima sub Iulio III. Pontifice Maximo, celebrata die XXVIII. April. M. D. LII.

Decretum suspensionis Concilij.

SAcrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea Reuerendissimis Dominis, Sebastiano, Archiepiscopo Sipontino, & Aloysio, Episcopo Veronensi, Apostolicis Nunciis, tam eorum proprio, quàm Reuerendissimi, & Illustrissimi Domini Marcelli, tit. S. Marcelli sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Crescentij, Legati, ob aduersam eius grauissimam valetudinem absentis nomine, non dubitat Christianis omnibus patere, hoc Concilium œcumenicum Tridentum primò à Paulo fel. rec. conuocatum, & collectum fuisse: deinde à Sanctissimo Domino nostro, Iulio III. efflagitante Carolo Quinto, Augustissimo Imperatore, ea præcipuè de causa fuisse restitutum, vt religionem in multis orbis partibus & præsertim in Germania, in diuersas opiniones miserabiliter distractam, in statum pristinum reuocaret, abusus & mores Christianorum corruptissimos emendaret, cúmque ad hoc agendum quamplurimi Patres nulla laborum suorum, periculorúmque habita ratione, è diuersis regionibus alacriter confluxissent: réfq; strenuè, magno fidelium concursu felicitérque procederet: ac spes esset non leuis, illos Germanos qui eas nouitates excitarant, in Concilium venturos, sic animatos, vt veris Ecclesiæ rationibus vnanimiter acquiescerent: lux denique quædam rebus affulsisse videretur caputque attollere inciperet profligata anteà, & afflicta Respublica Christiana: ij repente tumultus, ea bella hostis generis humani versutia exarserunt, vt Concilium velut hærere, ac suum cursum interrumpere satis incommodè cogeretur: spéfque omnis vlterioris progressus hoc in tempore tolleretur: tantúmque aberat, vt sancta Synodus Christianorum malis & incommodis mederetur, vt multorum mentes, præter sui animi sententiam, irritaret potius, quàm placaret. Cùm igitur ipsa sancta Synodus, omnia, & præcipuè Germaniam armis ardere & discordiis videret, omnes fere Episcopos Germanos, præsertim Princi-

pes Electores, suis consultum ecclesiis è Concilio abiisse: decreuit tantæ necessitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere: vt Patres, quod eis nũc agere non licet, suis ouibus prospectum ad suas ecclesias regredi valerent: ne diutius vtrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam sic temporum conditio tulit, huius œcumenici Concilij Tridentini progressum per biennium suspendendum fore decernit, prout præsenti Decreto suspendit: ea tamen lege, vt si citius pacata res sit, ac tranquilitas pristina reuertatur, quod sperat Dei Optimi Maximi beneficio non longo fore spatio futurum, ipsius Concilij progressus eodemmet tempore suam vim, firmitatem, vigorémque habere censeatur. Sin autem, quod Deus auertat, peracto biennio prædicta legitima impedimenta non fuerint submota: cùm primum cessauerint, talis suspensio eo ipso sublata esse intelligatur, ac suus vigor, & robur Concilio sit restitutum, & esse intelligatur, sine alia noua Cõcilij conuocatione, accedente ad hoc Decretum consensu, & auctoritate Sanctitatis suæ & sanctæ Sedis Apostolicæ.

Interea tamen eadem sancta Synodus exhortatur omnes Principes Christianos, & omnes Prælatos, vt obseruent, & respectiuè, quatenus ad eos spectat, obseruare faciant in suis regnis, dominiis, & ecclesiis omnia, & singula, quæ per hoc sacrum œcumenicum Concilium fuerunt hactenus statuta, & decreta.

BVLLA CELEBRATIONIS CONCILII TRIDENTINI, SVB PIO IIII. PONT. MAX.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ad Ecclesiæ regimen, licet tanto oneri impares, sola Dei dignatione vocati, statim circunferentes mentis oculos per omnes Reipublicæ Christianæ partes, cernentesque non sine magno horrore: quàm lõgè, lateq; pestis hæresum, & schismatis peruasisset, & quanta Christiani populi mores correctione indigerent: in eam curam & cogitationem pro suscepti muneris officio incumbere cœpimus, quemadmodũ ipsas hæreses extirpare, tantúmq; & tam pernicioſum schisma tollere, moréſq; adeo corruptos, & deprauatos emendare possemus. Cùm autem intelligeremus, ad hæc sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta hæc Sedes adhibere consueuisset, œcumenici generalisq; Concilij: eius congregandi, &

di,& Deo iuuãte celebrandi consiliũ cepimus. Indictũ illud quidẽ anteà fuit à fel.rec. Paulo III. & eius successore Iulio, prædecessoribus nostris: sed variis de causis sæpius impeditum & interpellatum perfici non potuit. Siquidem Paulus, cùm id primo in vrbem Mantuam, deinde Vincentiam indixisset: quasdã ob causas in literis eius expressas, id primò suspendit, posteà Tridentum transtulit: deinde cùm quibusdam de causis ibi quoque eius celebrandi tempus dilatum fuisset: tandem suspensione sublata in eadem ciuitate Tridentina inchoatum fuit. Verùm Sessionibus aliquot habitis, & nonnullis decretis factis, ipsum se postea Concilium aliquibus de causis, accedente etiam Sedis Apostolicæ auctoritate, Bononiam transtulit. Iulius autem qui ei successit, in eandem ciuitatem Tridentinam id reuocauit: quo quidem tempore facta alia quædam decreta sunt. Sed cùm noui in propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuissent: & bellum in Italia & Gallia grauissimum exarsisset: rursus Concilium suspensum, & dilatum fuit, aduitente nimirum humani generis hoste, aliasque ex aliis difficultates & impedimenta obiiciente, vt tantum Ecclesiæ commodum quod prorsus auferre non poterat, saltem quàm diutissimè retardaret. Quantopere verò interea auctæ fuerint & multiplicatæ ac propagatæ hæreses, quantopere schisma creuerit, sine maximo animi dolore nec meminisse possumus, nec referre. Sed tandem pius, & misericors Dominus, qui nunquam ita irascitur, vt misericordiæ obliuiscatur: Regibus, & Principibus Christianis pacem, & vnanimitatẽ donare dignatus est. Qua nos occasione oblata maximam in spem venimus, ipsius misericordia freti fore, vt his tantis quoque Ecclesiæ malis eadem Concilij via finis imponatur. Nos itaque ad schisma, hæresésque tollendas, ad corrigendos & reformandos mores, ad pacem inter Christianos Principes conseruandam, celebrationem eius non esse duximus diutius differendam. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatione matura, factis etiam consilij nostri certioribus charissimis in Christo filiis nostris, Ferdinando Romanorum Imperatore electo, & aliis Regibus, atque Principibus, quos quidem, sicut de eorum summa pietate & sapientia nobis pollicebamur, paratissimos ad ipsius Concilij celebrationem adiuuandam inuenimus: ad Dei omnipotentis laudem, honorem & gloriam, atque vniuersalis Ecclesiæ vtilitatem, de eorundem fratrum nostrorum consilio, & assensu sacrum œcumenicum & generale Concilium ex auctoritate eiusdem Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, qua nos quo

que in terris fungimur, freti & subnixi, in ciuitate Tridentina, ad sacratissimum diem Resurrectionis Dominicæ proximè futurum indicimus, & ibi celebrandum sublata suspensione quacunque statuimus atque decernimus. Quocirca venerabiles fratres nostros, omnibus ex locis Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, cæterósque, quibus in Concilio generali sedere & sententiam dicere iure communi, vel ex priuilegio, vel ex antiqua consuetudine licet, vehementer in Domino hortamur & monemus, atque etiam districtè præcipiendo mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ, in vi quoque iuramenti quod præstiterunt, & sub pœnis quas in eos qui ad Concilia generalia cõuenire neglexerint, sacris sciunt esse Canonibus constitutas, vt ad Concilium ibi celebrandum conueniant intra eam diem: nisi forte impedimento fuerint legitimo præpediti, quod tamen impedimentum per legitimos procuratores Synodo probare debebunt. Monemus præterea omnes, & singulos, quorum interest interesséve poterit, vt in Concilio adesse ne negligant. Charissimos verò in Christo filios nostros, Romanorum Imperatorem electum, cæterósque Reges, & Principes, quos optãdum sanè esset Concilio interesse posse, hortamur & rogamus, vt si ipsi Concilio interesse non potuerint, at Oratores suos prudentes, graues & pios viros vtique mittant, qui ipsorum nomine illi intersint, curéntque diligenter pro sua pietate, vt ex eorum regnis atque dominiis Prælati sine recusatione, ac mora, tam necessario tempore, Deo & Ecclesiæ officium suum præstent: eosdem etiam curatores esse minime dubitantes, vt per ipsorum regna, & dominia tutum, ac liberũ iter Prælatis, eorúmque familiaribus, comitibus & aliis omnibus ad Concilium euntibus & ab illo redeuntibus pateat: benignéque, ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur: sicut quod ad nos attinet, ipsi quoque curabimus: qui nihil omnino prætermittere decreuimus, quod ad tam pium & salutare opus perficiendum, à nobis in hoc loco constitutis, præstari possit: nihil, vt Deus scit, quærentes aliud: nihil propositum habentes in hoc Concilio celebrando, nisi honorẽ ipsius Dei, dispersarum ouium reductionẽ ac salutem, & perpetuã Christianæ Reipublicæ tranquilitatẽ ac quietẽ. Vt verò hæ literæ, & quæ in eis continẽtur ad omniũ quorũ oportet, notitiã perueniãt: nec quisquã ea excusatione vti possit quòd illa ignorauerit, præsertim cũ non ad omnes, quos de his literis certiores fieri oporteret, tutus forsitan pateat aditus: volumus & mandamus, vt in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi tunc, cùm in eis populus, vt Missarũ solennibus

bus interſit,congregari ſolet, palàm clara voce à Curiæ noſtræ curſoribus,ſeu notariis aliquibus publicis recitentur:& poſtquam recitatæ fuerint,ad valuas earum eccleſiarum,itémque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito Campi Floræ affigantur, ibíque quo legi & omnibus innoteſcere poſsint, aliquandiu relinquantur:cùm autem inde amouebuntur,earum exempla in eiſdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem & affixionem omnes & ſingulos,qui his literis comprehenduntur, poſt duos menſes à die publicationis, & affixionis earum, volumus perinde aſtrictos & obligatos eſſe, ac ſi ipſiſmet illæ coram editæ,& lectæ fuiſſent. Tranſumptis quoque earum, quæ manu publici alicuius notarij ſcripta,ſubſcriptáve, & ſigillo ac ſubſcriptione alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, vt ſine dubitatione vlla fides habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis, ſtatuti, decreti, præcepti, admonitionis & adhortationis infrigere:vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit : indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ, M. D. LX. III. Kal. Dec. Pontificatus noſtri anno primo.

Antonius Florebellus Lauellinus.

Barengus.

SACROSANCTI OECVMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI,

SESSIO XVII. QVÆ EST PRIMA sub Pio IIII. Pontifice Maximo, celebrata die XVIII. Ianuarij, M. D. LXII.

Decretum de celebrando Concilio.

PLACET ne vobis ad laudem, & gloriam sanctę ac individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ad incrementum & exaltationem fidei, & religionis Christianæ sacrum œcumenicum, & generale Concilium Tridentinum, in Spiritu sancto legitimè congregatum, ab hodierno die qui est XVIII. mensis Ianuarij, anni à Natiuitate Domini M. D. LXII. Cathedræ Romanæ beati Petri Apostolorum Principis consecrato, sublata quacunque suspensione, iuxta formam & tenorem literarum Sanctissimi Domini nostri Pij IIII. Pontificis Maximi celebrari, & in eo ea debito seruato ordine tractari, quę proponentibus Legatis ac Præsidentibus, ad horum temporum leuandas calamitates, sedandas de religione controuersias, coercendas linguas dolosas, deprauatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram atque Christianam pacem conciliandam apta & idonea ipsi sanctæ Synodo videbuntur? *Respondérunt, Placet.*

Indictio futuræ Sessionis.

PLACE'T ne vobis, proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse feria quinta, post secundam Dominicam Quadragesimæ, quæ erit die XXVI. mensis Februarij? *Respondérunt, Placet.*

SESS

SESSIO XVIII. QVÆ EST SECUNDA sub Pio IIII. Pontifice Maximo, celebrata die XXV. Febr. M. D. LXII.

Decretum de librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica inuitandis.

SACROSANCTA œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem sanctæ Apostolicæ Sedis Legatis, non humanis quidem viribus confisa, sed Domini nostri Iesu Christi, qui os & sapientiam Ecclesiæ daturum se promisit, ope & auxilio freta, illud præcipuè cogitat, vt Catholicæ fidei doctrinam, multorum inter se dissidetium opinionibus pluribus locis inquinatam & obscuratam, in suam puritatem & splendorem aliquando restituat: & mores, qui à veteri instituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem reuocet: corque patrum ad filios, & cor filiorum ad patres conuertat. Cùm itaque omnium primum animaduertit, hoc tempore suspectorum, ac pernicioſorum librorum quibus doctrina impura continetur, & longè latéque diffunditur, numerum nimis excreuisse: quod quidem in causa fuit, vt multæ cēsuræ in variis prouinciis & præsertim in alma vrbe Roma, pio quodam zelo editæ fuerint: neque tamen huic tam magno ac pernicioſo morbo salutarem vllam profuisse medicinā: censuit, vt delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris, libríſque quid facto opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eandem sanctam Synodum suo tempore referrent: quo facilius ipsa possit varias & peregrinas doctrinas, tanquam zizania, à Christianæ veritatis tritico separare: déque his commodius deliberare, & statuere quæ ad scrupulum ex complurium animis eximendum & tollendas multarum querelarum causas magis opportuna videbuntur. Hæc autem omnia ad notitiam quorumcunque deducta esse vult, prout etiam præsenti Decreto deducit: vt si quis ad se pertinere aliquo modo putauerit, quæ vel de hoc librorū & censurarum negotio, vel de aliis quæ in hoc generali Concilio tractanda prædixit: non dubitet à sancta Synodo se benignè auditum iri.

Quoniam verò eadem sancta Synodus ex corde optat, Deúmque enixè

enixè rogat,quæ ad pacem ſunt Eccleſiæ,vt vniuerſi communem matrem in terris agnoſcentes, quæ quos peperit, obluiſci non poteſt, vnanimes,vno ore,glorificemus Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti: per viſcera miſericordiæ eiuſdem Dei & Domini noſtri, omnes qui nobiſcum communionem non habent, ad concordiam & reconciliationem, & vt ad hanc ſanctam Synodum veniant, inuitat atque hortatur: vtq; charitatem, quod eſt vinculum perfectionis,amplectantur:pacémque Chriſti exultantem in cordibus ſuis, præ ſe ferant,in quam vocati ſunt,in vno corpore. Hanc ergo non humanam, ſed Spiritus ſancti vocem audientes,ne obdurent corda ſua,ſed in ſuo ſenſu non ambulantes neque ſibi placentes,ad tam piam & ſalutarem matris ſuæ admonitionem excitentur & conuertãtur:omnibus enim charitatis officiis ſancta Synodus eos vt inuitat,ita complectetur.

Inſuper eadem ſancta Synodus decreuit, fidem publicam in Congregatione generali concedi poſſe, & eandem vim habituram, eiuſdémque roboris & momenti futuram, ac ſi in publica Seſsione data & decreta fuiſſet.

Indictio futuræ Seſsionis.

EADEM Sacroſancta Tridentina Synodus,in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis,ſtatuit & decernit, proximam futuram Seſsionem habendam & celebrandam eſſe feria quinta,poſt ſacratiſsimum feſtum Aſcenſionis Domini:quæ erit die XIIII. menſis Maij.

Saluus conductus conceſſus Germanicæ nationi, in Congregatione generali, die quarta Martij,

M. D. LXII.

SAcroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata,præſidentibus in ea eiſdẽ Apoſtolicæ Sedis Legatis,vniuerſis fidem facit, quòd omnibus & ſingulis ſacerdotibus, Electoribus,Principibus,Ducibus,Marchionibus,Comitibus,Baronibus,Nobilibus,militaribus, popularibus, & aliis quibuſcunque viris,cuiuſcunque ſtatus & conditionis aut qualitatis exiſtãt, Germanicæ prouinciæ & nationis, ciuitatibus, ac aliis locis eiuſdem, & omnibus aliis Eccleſiaſticis & ſecularibus, perſertim Auguſtanæ confeſsionis perſonis,qui,aut quæ vnà cum ipſis ad hoc generale Tridenti

dentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecturi sunt, aut hucusque venerunt, quocunque nomine censeantur aut valeant nuncupari, tenore præsentium publicam fidem & plenissimam, verissimamque securitatem, quam saluum conductum appellant, liberè ad hanc ciuitatem Tridentinam veniendi, ibidémque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, vnà cum ipsa Synodo de quibuscunque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, & omnia quęcunque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet, tam scripto, quàm verbo liberè offerendi, propalandi, eósque Scripturis sacris & beatorum Patrum verbis, sententiis, & rationibus declarandi, astruendi & persuadendi, & si opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij generalis respondendi, & cum iis, qui à Concilio delecti fuerint, disputandi, aut charitatiuè absque omni impedimento conferendi, opprobriis, conuiciis, ac contumeliis penitus semotis: & signanter, quod causæ controuersæ secundum sacrā Scripturam & Apostolorum traditiones, probata Concilia & Catholicæ Ecclesiæ consensum, & sanctorum Patrum authoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur: illo etiam addito, vt religionis prætextu aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum minime puniantur, impertitur ac omnino concedit: sic etiam, vt propter illorum præsentiam neque in itinere aut quocunque locorum eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipsa ciuitate Tridentina à diuinis officiis quouis modo cessetur. Et vt his peractis vel non peractis, quandocunque ipsis libuerit, aut maiorum suorum mandato, & assensu ad propria reuerti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox absque vlla renitentia & occasione, aut mora, saluis rebus eorum & suorum pariter honore & personis, vice versa, possint iuxta beneplacitum liberè, & securè redire: de scientia tamen ab eadem Synodo deputandorum: vt tunc opportunè eorum securitati, absque dolo & fraude, prouideatur. Vult etiam sancta Synodus in hac publica fide, saluóque conductu omnes quascunque clausulas includi ac contineri, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena efficaci & sufficienti securitate, in eundo, standō, & redeundo, necessariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam, ad maiorem securitatem, & pacis ac conciliationis bonum exprimens, quòd si quispiam, aut illorum aliqui, siue in itinere, Tridentum veniendo, siue ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicæ & assecurationis beneficium eis concessum annullari aut cassari: vult & concedit, vt in huiusmodi facinore deprehensi, ab ipsis dumtaxat & non ab aliis condigna animaduersione cum emenda

ſufficienti per partem ipſius Synodi merito approbanda & laudanda, mox puniantur: illorum aſſecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, vt ſi quiſquam, vel aliquis ex ipſa Synodo, ſiue in itinere, aut manendo, aut redeũdo, aliquod enorme, quod abſit, egerit aut cõmiſerit, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli: in huiuſmodi facinore deprehenſi ab ipſa Synodo dũtaxat & non ab aliis condigna animaduerſione & emenda ſufficienti, per partem Dominorum Germanorum Auguſtanę confeſsionis tunc hîç præſentium, merito laudanda & probanda, mox puniantur: præſenti aſſecurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Vult præterea ipſa Synodus, quòd liceat ipſis Ambaſciatoribus, omnibus & ſingulis, toties, quotieſcũque opportunum fuerit, ſeu neceſſarium, ad auram capiendam, exire de ciuitate Tridẽtina & reuerti ad eandẽ, necnon nuncium vel nuncios ſuos ad quæcunque loca pro ſuis neceſſariis negotiis ordinandis liberè mittere ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere toties, quoties eis videbitur expedire: ita quod aliqui vel aliquis per deputandos Concilij ſocientur, qui eorũ ſecuritati prouideant, vel prouideat. Qui quidem ſaluus conductus & ſecuritates ſtare, ac durare debeant & à tẽpore & per tempus, quo in ipſius Synodi & ſuorum tuitionis curam ipſos ſuſcipi contigerit, & vſque ad Tridentum perduci, ac toto tempore manſionis eorum ibidem: & rurſum poſt ſufficientem audientiam habitam, ſpatio viginti dierum præmiſſo, cùm ipſi petierint, aut Concilium habita huiuſmodi audientia, ipſis receſſum indixerit, à Tridento vſque in quem quiſque elegerit ſibi locum tutum, Deo fauente, reſtituet, dolo & fraude prorſus excluſis. Quæ quidem omnia pro vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, pro omnibus Principibus, tam eccleſiaſticis quàm ſecularibus quibuſcunque, atque omnibus aliis eccleſiaſticis ac ſecularibus perſonis: cuiuſcunque ſtatus, & conditionis exiſtant, aut quocunque nomine cenſeantur, inuiolabiliter obſeruanda eſſe promittit, & bona fide ſpondet.

Inſuper, omni fraude & dolo excluſis, vera & bona fide promittit, ipſam Synodum nullam vel manifeſtè, vel occultè occaſionem quæſituram, aut aliqua authoritate, potentia, iure, vel ſtatuto, priuilegio legum, vel Canonum, aut quorumcunque Conciliorũ, præſertim Conſtantienſis, & Senenſis, quacunque forma verborum expreſſa, in aliquod huius fidei publicæ & pleniſsimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ ipſis per ipſam Synodum conceſſæ præiudicium,

quouis

quouis modo vsuram, aut quemquam vti permissuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quòd si sancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel suis, cuiuscũque conditionis, vel status, aut præeminentiæ existẽs, præscriptæ assecurationis & salui conductus formam & modum in quocunque puncto vel clausula violauerit: quod tamen auertere dignetur Omnipotens: & sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, & ipsorum arbitrio merito approbanda & laudanda: habeant ipsam Synodum, & habere poterunt, incidisse in omnes pœnas, quas iure diuino & humano, aut consuetudine, huiusmodi saluorum cõductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione, aut quauis in hac parte contradictione.

Extensio ad alias nationes.

EADEM sacrosancta Synodus, in Spiritu sancto legitimè cõgregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis de latere Legatis, omnibus, & singulis aliis, qui nobiscum in iis, quæ sunt fidei, communionem non habent, ex quibuscunque regnis, nationibus, prouinciis, ciuitatibus, ac locis, in quibus publicè, & impunè prædicatur, vel docetur, siue creditur contrarium eius, quod sancta Romana sentit Ecclesia, dat fidem publicam, siue saluum conductum sub eadem forma, & eisdem verbis, quibus datur Germanis.

SESSIO XIX. QVÆ EST TERTIA sub Pio IIII. Pontifice Maximo, celebrata die XXIIII. Martij, M. D. LXII.

Decretum prorogationis Sessionis.

SAcrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in spiritu sancto legitimè congregata, præsidẽtibus in ea eisdẽ Apostolicæ Sedis Legatis, Decreta ea, quæ hodie in præsenti Sessione statuẽda ac sancienda erãt, iustis nõnullis ac honestis causis in feriam quintã post proximam solennitatẽ Corporis Christi, quæ erit pridie nonas Iunij, proroganda esse censuit, ac prorogat: dictaque die Sessionem habendam esse ac celebrandã, omnibus indicit. Interea rogãdus est Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, auctor pacis, vt sanctificet corda omnium: quo adiuuante, sancta Synodus & nunc & semper meditari atque peragere valeat, quæ ad eius laudem & gloriam pertineant.

SESSIO XX. QVÆ EST QVARTA

sub Pio IIII. Pontifice Maximo, celebrata die quarta Iunij,

M. D. LXII.

Decretum prorogationis Sessionis.

SAcrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè cõgregata, præsidẽtibus in ea eisdẽ Apostolicæ Sedis Legatis, propter varias difficultates ex diuersis causis exortas, atq; etiã vt cõgruentius, maioríq; cum deliberatione omnia procedãt, nẽpe vt dogmata cum iis, quæ ad reformationem spectãt simul tractentur, & sanciantur ea quæ statuẽda videbũtur, tam de reformatione, quàm de Dogmatibus, in proxima Sessione, quam omnibus indicit in diem sextam decimam subsequentis mensis Iulij, definienda esse decreuit: Hoc tamen adiecto, quòd dictum terminum ipsa sancta Synodus pro eius arbitrio & voluntate, sicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in generali Congregatione, restringere & prorogare liberè possit & valeat.

SESSIO XXI. QVÆ EST QVINTA

sub Pio IIII. Pontifice Maximo, celebrata die XVI. Iulij,

M. D. LXII.

Doctrina de Communione sub vtraque specie, & paruulorum.

SAcrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, cùm de tremendo & sanctissimo Eucharistiæ Sacramento varia diuersis in locis errorum monstra nequissimi Dæmonis artibus circunferantur, ob quæ in nonnullis prouinciis multi à Catholicæ Ecclesiæ fide atque obedientia videantur discessisse: censuit

ſuit ea quæ ad Communionem ſub vtraque ſpecie, & paruulorũ pertinent, hoc loco exponenda eſſe. Quapropter cunctis Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de iis aliter vel credere, vel docere, vel prædicare audeant, quàm eſt his decretis explicatum atque definitum.

Laicos, & Clericos non conficientes, non aſtringi iure diuino ad communionem ſub vtraque ſpecie Caput I.

ITaque ſancta ipſa Synodus, à Spiritu ſancto, qui ſpiritus eſt ſapientiæ & intellectus, ſpiritus concilij & pietatis, edocta atque ipſius Eccleſiæ iudicium & conſuetudinem ſecuta, declarat ac docet, nullo diuino præcepto Laicos & Clericos non conficiẽtes obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum: neque vllo pacto, ſalua fide, dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei Communio ad ſalutem ſufficiat. nam, etſi Chriſtus Dominus in vltima cæna venerabile hoc ſacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit: non tamen illa inſtitutio & traditio eò tendunt, vt omnes Chriſti fideles ſtatuto Domini ad vtramque ſpeciem accipiendam aſtringantur. Sed neque exſermone illo apud Ioannem ſexto, rectè colligitur vtriuſque ſpeciei Communionem à Domino præceptam eſſe, vtcunque iuxta varias ſanctorum Patrum, & doctorum interpretationes intelligatur. namque qui dixit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: dixit quoque: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: Et qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, habet vitam æternam: dixit etiam: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Et denique qui dixit: Qui maducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

Eccleſiæ poteſtas circa diſpenſationem Sacramenti Euchariſtiæ. Caput II.

PRæterea declarat, hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorũ Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire iudicaret, id autem Apoſtolus non obſcurè viſus eſt innuiſſe, cùm ait: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. atque ipſum quidem hac poteſtate vſum eſſe ſatis conſtat, cum in multis aliis, tum in hoc ipſo Sacramẽto, cùm, ordina-

tis nonnullis circa eius vsum, Cætera, inquit, cùm venero, disponam. Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hãc suam in administratione sacramentorum auctoritatẽ, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens vtriusque speciei vsus fuisset: tamen progressu temporis, latissimè iam mutata illa consuetudine, grauibus & iustis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbauit, & pro lege habendam decreuit: quam reprobare aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

Totum & integrum Christum, ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi. *Caput* III.

INsuper declarat, quamuis redemptor noster, vt anteà dictũ est, in suprema illa cœna hoc Sacramentum in duadus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit: tamen fatendum esse etiam sub altera tantùm specie totum atque integrũ Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam speciem solam accipiunt.

Paruulos non obligari ad Communionem sacramentalem. *Caput* IIII.

DEnique eadem sancta Synodus docet paruulos vsu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramẽtalem Eucharistiæ communionẽ: siquidem per Baptismi lauacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam iam filiorũ Dei gratiã in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquãdo seruauit. Vt enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilẽ causam pro illius temporis ratione habuerũt: ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine cõtrouersia credendum est.

De communione sub vtraque specie, & paruulorum. *Canon* I.

SI quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles vtrãque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere: anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, vt Laicos atque etiam Clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communi caret: aut in eo erasse: anathema sit.

Canon

Canon III.

Si quis negauerit, totum & integrum Christum, omniũ gratiarum fontem & auctorem, sub vna panis specie sumi, quia vt quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub vtraque specie sumatur: anathema sit.

Canon IIII.

Si quis dixerit, paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem: anathema sit.

Duos verò articulos, aliàs propositos, hos nõdum tamen excussos, videlicet: An rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, vt communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes, sub vna tantùm panis specie, ita sint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vsus cuiquam sit permittendus: &, An, si honestis & Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis vsus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit: & quænam sint illæ: Eadem sancta Synodus in aliud tempus, oblata sibi quamprimùm occasione, examinandos atque definiendos reseruat.

Decretum de reformatione.

PROOEMIVM

EAdem sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, ad Dei omnipotentis laudem, & sanctæ Ecclesiæ ornamentum, ea quæ sequuntur, de reformationis negotio in præsenti statuenda esse censuit.

Caput I.

QVoniam ab Ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis Tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatũ, Episcopi & alij Ordinum collatores, aut eorum ministri quouis prætextu accipiant. Notarij verò in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis cõsuetudo nihil accipiẽdi, pro singulis literis dimissoriis, autte stimonialibus, decimam tantùm vnius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullũ salarium sit constitutũ pro officio exercẽdo: nec Episcopo ex notarij cõmodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè vel indirectè prouenire possit. tunc enim gratis ope

tis operā ſuam eos præſtare omnino teneri decernit: contrarias tamen, ac ſtatuta & conſuetudines, etiam immemorabiles, quorumcunque locorum, quæ potius abuſus & corruptelæ ſimoniacæ prauitati fauentes nuncupari poſſunt, penitus caſſando & interdicēdo: & qui ſecus fecerint, tam dantes, quàm accipientes, vltra diuinam vltionem, pœnas à iure inflictas ipſo facto incurrant.

Caput II.

CVm non deceat eos, qui diuino miniſterio aſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere, compertúmque ſit, complures pleriſque in locis ad ſacros Ordines nullo fere delectu admitti: qui variis artibus ac fallaciis confingunt ſe beneficium eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: ſtatuit ſancta Synodus, ne quis deinceps Clericus ſecularis, quāuis aliàs ſit idoneus moribus, ſcientia & ætate, ad ſacros Ordines promoueatur, niſi prius legitimè conſtet, eum beneficium eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſsidere. Id verò beneficium reſignare non poſsit, niſi facta mentione, quòd ad illius beneficij titulum ſit promotus. neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito quòd aliunde viuere commodè poſsit: & aliter facta reſignatio nulla ſit. Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes, ordinari poſthac non poſsint, niſi illi, quos Epiſcopus iudicauerit aſſumendos pro neceſsitate, vel commoditate eccleſiarum ſuarum: eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem verè ab eis obtineri, taliāque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentādam ſatis ſint: atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint: donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti: vel aliunde habeant vnde viuere poſsint: antiquorum Canonum pœnas ſuper his innouando.

Caput III.

CVm beneficia ad diuinum cultum, atque eccleſiaſtica munia obeunda ſint conſtituta: ne qua in parte minuatur diuinus cultus, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur: ſtatuit ſancta Synodus in Eccleſiis tam cathedralibus, quàm collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, vt veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuū & quorumcunque prouentuum & obuentionum, tam dignitatum quam canonicatuū, perſonatuum, portionum & officiorum, ſeparari debere, & in diſtributiones quotidianas conuerti, quæ inter dignitates obtinentes & cæteros diuinis intereſſen

tereſſentes: etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegato, in ipſa prima fructuum deductione facienda, diuidantur: ſaluis tamen conſuetudinibus earum eccleſiarum, in quibus non reſidentes ſeu non ſeruientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt: non obſtantibus exemptionibus ac aliis cõſuetudinibus, etiam immemorabilibus, & appellationibus quibuſcunque. Creſcentéque non ſeruientium contumacia, liceat contra eos procedere iuxta iuris ac ſacrorum Canonum diſpoſitionem.

Caput IIII.

EPiſcopi etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, in omnibus eccleſiis parochialibus vel baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, vt vnus Rector non poſsit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui diuino peragendo: cogant Rectores vel alios ad quos pertinet, ſibi tot ſacerdotes ad hoc munus adiungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum. In iis verò, in quibus ob locorum diſtantiam, ſiue difficultatem parochiani ſine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & diuina officia audienda accedere non poſſunt: nouas parochias, etiã inuitis Rectoribus, iuxta formam conſtitutionis Alexandri III. quæ incipit, Ad audientiam, conſtituere poſsint. Illis autem ſacerdotibus, qui de nouo erunt eccleſiis nouiter erectis præficiendi, competens aſſignetur portio arbitrio Epiſcopi ex fructibus ad eccleſiam matricem quomodocunque pertinentibus: & ſi neceſſe fuerit, compellere poſsit populum ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiant ad vitam dictorum ſacerdotum ſuſtentandam: quacunque reſeruatione generali vel ſpeciali, vel affectione, ſuper dictis eccleſiis, non obſtantibus. Neque huiuſmodi ordinationes & erectiones poſsint tolli, nec impediri, ex quibuſcunque prouiſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſuis aliis derogationibus vel ſuſpenſionibus.

Caput V

VT etiam eccleſiarum ſtatus, vbi ſacra Deo officia miniſtrantur, ex dignitate conſeruetur: poſsint Epiſcopi etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, iuxta formam iuris, ſine tamen præiudicio obtinentium facere vniones perpetuas quarumcunque eccleſiarum parochialium & baptiſmalium, & aliorum beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis, propter earum paupertatem, & in cæteris caſibus à iure permiſsis, etiam ſi dictæ eccleſiæ vel beneficia eſſent generaliter vel ſpecialiter reſeruata, aut qualitercunque affecta. Quæ

vniones etiam non possint reuocari, nec quoquo modo infringi vigore cuiuscunque prouisionis: etiam ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis

Caput VI.

QVia illiterati & imperiti parochialium ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis: & alij propter eorum vitæ turpitudinem potius destruunt, quàm ædificant: Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, eisdem illiteratis & imperitis, si aliàs honestæ vitæ sint, coadiutores aut Vicarios pro tẽpore deputare, partémque fructuũ eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter prouidere possint: quacunque appellatione & exemptione remota. Eos verò, qui turpiter & scandalosè viuunt, postquam præmoniti fuerint, coerceãt ac castigent: & si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseuerent, eos beneficiis, iuxta sacrorum Canonum constitutiones, exemptione & appellatione quacunque remota, priuandi facultatem habeant.

Caput VII.

CVm illud quoque valde curandum sit, ne ea quæ sacris ministeriis dedicata sunt, temporum iniuria obsolescãt, & ex hominum memoria excidant: Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, ex ecclesiis quæ vetustate, vel aliàs collapsæ sint, & ob eorũ inopiam nequeant instaurari, vocatis iis quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorũ, arbitrio suo: atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub eisdem inuocationibus, vel in iam erecta altaria, vel capellas transferant cum omnibus emolumentis & oneribus prioribus ecclesiis impositis. Parochiales verò ecclesias, etiam si iuris patronatus sint, ita collapsas refici & instaurari procurent ex fructibus & prouentibus quibuscunque ad easdem ecclesias quomodocunque pertinentibus. qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos & alios, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis prouenientes percipiunt: aut in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacunque appellatione, exemptione & contradictione remota. Quòd si nimia egestate omnes laborent: ad matrices seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales, quàm alias ecclesias dirutas, in profanos vsus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, conuertendi.

Cap.

Caput VIII.

QVæcunque in diœcesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis vbi oportet, prouideri æquum est. Propterea commendata monasteria, etiam Abbatiæ, prioratus, & Præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis obseruantia: necnon beneficia tam curata, quàm non curata, secularia & regularia, qualitercunque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, etiam tanquàm Apostolicæ Sedis delegatis, annis singulis visitentur: curéntque iidem Episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationē fructuum vt quæ renouatione indigent, aut restauratione, reficiantur: & cura animarum, si qua illis vel eorum annexis immineat, aliáque debita obsequia rectè exerceantur: appellationibus quibuscunque, priuilegiis, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore præscriptis, conseruatoriis, iudicum deputationibus, & eorum inhibitionibus non obstantibus. Et si in eis vigeret obseruantia Regularis, prouideant Episcopi paternis admonitionibus, vt eorum Regularium Superiores iuxta eorum Regularia instituta debitam viuendi rationem obseruent & obseruari faciant, & sibi subditos in officio contineant ac moderentur. Quòd si admoniti intra sex menses eos non visitauerint, vel correxerint, tunc iidem Episcopi, etiam vt delegati Sedis Apostolicæ, eos visitare possint, & corrigere, prout ipsi Superiores possent, iuxta eorum instituta: quibuscunque appellationibus, priuilegiis, & exemptionibus penitus remotis, & non obstantibus.

Caput IX.

CVm multa à diuersis anteà Conciliis, tam Lateranensi, ac Lugdunensi, quàm Viennensi, aduersus prauos eleemosynarū Quæstorū abusus remedia tūc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia: potiúsque eorū malitia ita quotidie magno fideliū omnium scādalo, & querela excrescere deprehēdatur, vt de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur: statuit, vt posthac in quibuscūque Christianæ religionis locis eorū nomen, atque vsus penitus aboleatur: nec ad officiū huiusmodi exercendum vllatenus admittantur: non obstātibus priuilegiis, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis, & quibuslibet cuiuscūque gradus, status & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiā immemorabilibus. Indulgētias verò, aut alias spirituales gratias, quib⁹ nō ideo Christi fideles decet priuari, deinceps per Ordinarios locorū adhibitis duobus de Capitulo, debitis

temporibus populo publicandas esse decernit. quibus etiam eleemosynas, atque oblata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur: vt tandem cælestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes verè intelligant.

Indictio futuræ Sessionis.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, statuit & decreuit, proximam futuram Sessionem habendam & celebrandam esse feria quinta, post octauam festi Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, quæ erit XVII. mensis Septembris, proximè futuri. Hoc tamen adiecto, quòd dictum terminum, ac vnicuique Sessioni in posterum præfigendum, ipsa sancta Synodus pro eius arbitrio, & voluntate, sicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in generali Congregatione, restringere, & prorogare liberè possit, & valeat.

SESSIO XXII. QVÆ EST SEXta sub Pio IIII. Pontifice Maximo, celebrata die XVII. Septemb. M. D. LXII.

Doctrina de sacrificio Missæ.

SAcrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, vt vetus absoluta atque omni ex parte perfecta de magno Eucharistiæ mysterio in sancta Catholica Ecclesia fides atque doctrina retineatur: & in sua puritate, propulsatis erroribus atque hæresibus, conseruetur: de ea, quatenus verum & singulare sacrificium est, Spiritus sancti illustratione edocta, hæc quæ sequuntur, docet, declarat, & fidelibus populis prædicanda decernit.

Caput I.

QVoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Leuitici sacerdotij imbecillitatē consummatio non erat: oportuit, Deo patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinē Melchisedech surgere, Dominū nostrum Iesu Christum,

ſtum,qui poſſet omnes,quotquot ſanctificandi eſſent,conſummare & ad perfectum adducere. Is igitur Deus,& Dominus noſter etſi ſemel ſe ipſum in ara Crucis,morte intercedente,Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat:in cœna nouiſsima,qua nocte tradebatur,vt dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile,ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur:eiúſque memoria in finem vſq; ſeculi permaneret:atq; illius ſalutaris virtus in remiſsionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur,peccatorum applicaretur:ſacerdotem ſecũdum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarãs,corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit: ac ſub earundem rerum ſymbolis, Apoſtolis quos tunc noui teſtamenti ſacerdotes conſtituebat,vt ſumerent,tradidit:& eiſdem,eorúmque in ſacerdotio ſucceſſoribus,vt offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem: vti ſemper Catholica Eccleſia intellexit & docuit:nam celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Iſrael immolabat,nouum inſtituit Paſcha,ſe ipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, eripuítque de poteſtate tenebrarum,& in regnum ſuum tranſtulit.Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: quam non obſcurè innuit Apoſtolus Paulus, Corinthiis ſcribens,cùm dicit: Non poſſe eos, qui participatione menſæ Dæmoniorum polluti ſint,menſæ Domini participes fieri:per menſam altare vtrobique intelligens. Hæc denique illa eſt, quæ per varias ſacrificiorum,naturæ & legis tempore, ſimilitudines figurabatur:vtpote quę bona omnia per illa ſignificata,velut illorum omnium conſummatio & perfectio complectitur.

Caput II.

ET quoniam in diuino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruentè obtulit: docet ſancta Synodus,ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe,per ipſúmque fieri,vt ſi cum vero corde & recta fide,cum metu & reuerentia,contriti,ac pœniten-

tes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit: vna enim eademque est hostia, idem nũc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa. Cuius quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur: tantum abest, vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondũ ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apostolorum traditionem, offertur.

Caput III.

ET quamuis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueuerit: non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronauit: vnde nec sacerdos dicere solet, Offero tibi sacrificiũ Petre, vel Paule: sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.

Caput IIII.

ET cùm sancta sanctè administrari cõueniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium: Ecclesia Catholica, vt dignè reuerentérque offerretur ac perciperetur, sacrum Canonem multis antè seculis instituit, ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mẽtesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

Caput V.

CVmque natura hominum ea sit, vt non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli: propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, vt scilicet quædam summissa voce, alia verò elatiore, in Missa pronunciarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, vt mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliáque id genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione, quo & maiestas tanti sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Caput

Caput VI.

OPtaret quidem sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior proueniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos Sacramentaliter communicat, vt priuatas & illicitas damnat: sed probat atque adeo commendat, siquidem illæ quoque Missæ verè communes censeri debent, partim quòd in eis populus spiritualiter communicet, partim verò quòd à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

Caput VII.

MOnet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cùm aquæ in Apocalypsi beati Ioannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cùm capite Christo vnio repræsentatur.

Caput VIII.

ETsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem: non tamen expedire visum est Patribus, vt vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento vbique cuiusque Ecclesiæ antiquo, & à sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre & magistra probato ritu, ne oues Christi esuriant, néve paruuli panem petant, & non sit qui frangat eis: mandat sancta Synodus Pastoribus & singulis curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant: atque inter cætera sanctissimi huius sacrificij mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & festis.

Caput IX.

QVia verò aduersus veterem hanc in sacrosancto Euangelio, Apostolorum traditionibus, sanctorúmque Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multáque à multis docentur atque disputantur: sacrosancta Synodus, post multos grauésq; his de rebus maturè habitos tractatus, vnanimi Patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei sacræque doctrinæ aduersan

uersantur, damnare, & sancta Ecclesia eliminare per subiectos hos Canones constituit.

De sacrificio Missæ. *Canon* I.

SI quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium: aut quòd offerri nõ sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam cõmemorationem: Christum non instituisse Apostolos sacerdotes: aut non ordinasse, vt ipsi, aliíque sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum: anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti: neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit.

Canon IIII.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto, per Missæ sacrificium: aut illi per hoc derogari: anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, impostura esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit: anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideóque abrogandum esse: anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica vtitur, irritabula impietatis esse magis, quàm officia pietatis: anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideóque abrogandas: anathema sit.

Canon

Canon IX.

Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse: aut lingua tantùm vulgari Missam celebrari debere: aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quòd sit contra Christi institutionem: anathema sit.

Decretum de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.

QVanta cura adhibenda sit, vt sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur: quiuis facilè existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris literis eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quòd si necessario fatemur, nullum aliud opus adeò sanctum ac diuinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium, quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur: satis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendā esse, vt quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori deuotionis, ac pietatis specie peragatur. Cùm igitur multa iam siue temporum vitio, siue hominum incuria & improbitate irrepsisse videantur, quæ à tanti sacrificij dignitate aliena sunt: vt ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam & fidelis populi ædificationem restituatur: decernit sancta Synodus, vt Ordinarij locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulo curēt, ac teneantur: quę vel auaritia, idolorum seruitus, vel irreuerentia, quæ ab impietate vix seiuncta esse potest: vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit. Atque, vt multa paucis comprehendantur: in primis, quod ad auaritiam pertinet, cuiusuis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis nouis celebrandis datur: necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quàm postulationes, aliáque huiusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant. Deinde, vt irreuerentia vitetur, singuli in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat. Neminem præterea, qui publicè & notoriè criminosus sit: aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant: néve patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis disignanda & visitanda, sanctum

hoc sacrificium à secularibus aut Regularibus quibuscunque peragi: ac nisi prius qui interſint, decenter composito corporis habitu, declarauerint se mente etiam ac deuoto cordis affectu, non solùm corpore, adesse. Ab Ecclesiis verò musicas eas, vbi siue organo, siue cantu lasciuum aut impurũ aliquid miscetur, item seculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, vt domus Dei verè domus orationis esse videatur, ac dici possit. Postremo, ne superstitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propositis caueant, ne sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent, né ve ritus alios, aut alias cærimonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili vsu receptæ fuerint. Quarundã verò Missarum & candelarum certum numerũ, qui magis à superstitioso cultu, quàm à vera religione inuentus est, omnino ab Ecclesia remoueant: doceántque populum, quis sit & à quo potissimũ prouenerit sanctissimi huius sacrificij tam pretiosus ac cælestis fructus. Moneant etiam eundem populum, vt frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedant. Hæc igitur omnia quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, vt non solùm ea ipsa, sed quæcunque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi à sacrosancta Synodo potestate, ac etiam, vt delegati Sedis Apostolicę, prohibeãt, mandent, corrigant, statuant: atq; ad ea inuiolatè seruanda censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis, quę illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant: non obstantibus priuilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscunque.

Decretum de Reformatione.

EAdem sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidẽtibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, vt reformationis negotium prosequatur: hæc, in præsenti Sessione, statuenda censuit.

Caput I.

NIhil est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Cùm enim à rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur: in eos tanquam speculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, morésque suos omnes componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil, nisi graue

graue,moderatum ac religione plenum, præ se ferant:leuia etiam delicta,quæ in ipsis maxima essent, effugiant: vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cùm igitur, quo maiore in Ecclesia Dei & vtilitate & ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sint obseruanda:statuit sancta Synodus,vt quæ aliâs à summis Pontificibus, & à sacris Conciliis de Clericorum vita,honestate, doctrináque retinenda, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus,ac quibuscunque criminibus, necnon secularibus negotiis fugiendis copiosè, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel maioribus, arbitrio Ordinarij imponendis obseruentur: nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua verò ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in vsum reuocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant:non obstantibus consuetudinibus quibuscunque: ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persoluant.

Caput II.

QVicunque posthac ad ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solùm natalibus,ætate, moribus & vita, ac aliis quæ à sacris Canonibus requiruntur,plenè sit præditus, verùm etiam in sacro Ordine anteà,saltem sex mensium spatio,constitutus:quarum rerum instructio,si eius notitia nulla aut recens in Curia fuerit,à Sedis Apostolicæ Legatis,seu Nunciis prouinciarum,aut eius Ordinario,eóque deficiente,à vicinioribus Ordinariis sumatur.Scientia verò præter hæc eiusmodi polleat,vt muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere:ideóq; anteà in Vniuersitate Studiorum Magister, siue Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel iure canonico merito sit promotus, aut publico alicuius Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quòd si Regularis fuerit,à Superioribus suæ religionis similem fidem habeat. Prædicti autem omnes,vnde instructio,seu testificatio erit sumēda,hæc fideliter & gratis referre teneantur: alioquin eorum conscientias grauiter oneratas esse scient: ac Deum & Superiores suos habebunt vltores.

Caput III.

EPiscopi, etiam tanquam delegati Apostolici ex fructibus & prouentibus quibuscunque omnium dignitatum, personatuum, & officiorum, in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis existentium,tertiam partem in distributiones, eorum arbitrio assignandas diuidere

possint: vt scilicet qui eas obtinent, si personaliter competens ibi seruitium iuxta formam, ab eisdem Episcopis præscribendam quolibet die statuto non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant, sed fabricæ ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarij applicetur. Crescente verò contumacia, contra eos iuxta sacrorum Canonum constitutiones procedant. Quòd si alicui ex prædictis dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, de iure, seu consuetudine, iurisdictio, administratio, vel officium non competat, sed extra ciuitatem in diœcesi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit: tunc pro tempore, quo in curata Ecclesia resederit: ac ministrauerit, tanquam præsens sit, ac diuinis interfit, in Ecclesiis cathedralibus, ac collegiatis habeatur. Hæc in iis tantùm Ecclesiis constituta intelligantur, in quibus nulla est consuetudo, vel statutum, vt dictæ dignitates non seruientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem dictorum fructuum & prouentuum ascendat: non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus, & constitutionibus, etiam iuramento, & quauis authoritate firmatis.

Caput IIII.

QVicunque in cathedrali, vel collegiata, seculari, vel regulari Ecclesia diuinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit: vocem in huiusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat, etiam si hoc sibi ab aliis liberè fuerit concessum. Ij verò, qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia beneficia in dictis Ecclesiis obtinent aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet vt alij Missas, alij Euangelium, alij Epistolas dicant, seu cantent: quocunque ij priuilegio, exemptione, prærogatiua, generis nobilitate sint insigniti, teneantur, iusto impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos: alioquin pœnas incurrant iuxta constitutionem Concilij Viennensis, quæ incipit, Vt ij, qui: quam præsenti decreto innouat: cogántque Episcopi eos diebus statutis dictos Ordines per se ipsos exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu diuino præstare, sub eisdem & aliis, etiam grauioribus pœnis, arbitrio eorum imponendis. Nec aliis in posterum fiat prouisio: nisi iis, qui iam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur: aliter irrita sit prouisio.

Caput

Caput V.

DIspensationes quacunque auctoritate concedendæ, si extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetrauerint. Eæ verò, quæ gratiosè concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tanquam delegatis Apostolicis, summariè tantùm & extraiudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis, vel obreptionis vitio non subiacere.

Caput VI.

IN commutationibus vltimarum voluntatum, quæ non nisi ex iusta & necessaria causa fieri debent, Episcopi tanquam delegati Sedis Apostolicæ, summariè & extraiudicialiter cognoscant, nihil in precibus, tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes prædictæ executioni demandentur.

Caput VII.

LEgati, & Nuncij Apostolici, Patriarchæ, Primates, & Metropolitani in appellationibus ad eos interpositis, in quibusuis causis, tam in admittendis appellationibus, quàm in concedendis inhibitionibus post appellationem, seruare teneantur formam & tenorem sacrarum constitutionum, & præsertim Innocentij IIII. quæ incipit, Romana: quacunque consuetudine, etiam immemorabili, aut stylo vel priuilegio, in contrarium non obstantibus: aliter inhibitiones & processus, & inde secuta quæcunque sint ipso iure nulla.

Caput VIII.

EPiscopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus à iure cõcessis omnium piarum dispositionum tam in vltima voluntate, quàm inter viuos, sint executores: habeant ius visitandi hospitalia, collegia quæcunque, ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas, siue quocunque alio nomine vocant; non tamen quæ sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia: eleemosynas Montis pietatis, siue charitatis, & pia loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiam si prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis priuilegio sint munita: ac omnia quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo iuxta sacrorum Canonum statuta

cognoscant & exequantur: non obstantibus, quacunque consuetudine, etiam immemorabili, priuilegio, aut statuto.

Caput IX.

ADministratores, tam ecclesiastici, quàm laici, fabricæ cuiusuis ecclesiæ, etiam Cathedralis, hospitalis, Confraternitatis, eleemosynæ Montis pietatis, & quorumcunque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario: consuetudinibus & priuilegiis quibuscunque in contrarium sublatis: nisi secus forte in institutione, & ordinatione talis ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum esset. Quòd si ex consuetudine, aut priuilegio, aut ex cõstitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddẽda esset: tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius: & aliter factæ liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.

Caput X.

CVm ex notariorum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriatur: possit Episcopus quoscunque notarios, etiam si Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint: etiam tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari: illisque non idoneis repertis, aut quandocunque in officio delinquentibus, officij eius in negotiis, litibus & causis ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi vsum perpetuo, aut ad tempus prohibere. Neque eorum appellatio interdictionem Ordinarij suspendat.

Caput XI.

SI quem clericorum, vel laicorum, quacunque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius ecclesiæ, seu cuiusuis secularis vel regularis beneficij, Montium pietatis, aliorúmque piorũ locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent: per se, vel alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut laicorum, seu quacũque arte, aut quocunque quæsito colore in proprios vsus conuertere, illósque vsurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur: is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus, quos

occu

occupauerit, vel quiad eum quomodocunque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, peruenerint, eccleſiæ eiúſque adminiſtratori, ſiue beneficiato integrè reſtituerit: ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quòd ſi eiuſdem eccleſiæ patronus fuerit: etiam iure patronatus vltra prædictas pœnas eo ipſo priuatus exiſtat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & vſurpationis huiuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubiaceat: necnon quibuſcunque beneficiis priuatus ſit, & ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur: & à ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui Ordinarii arbitrio ſuſpendatur.

Decretum ſuper petitione conceſſionis Calicis.

INſuper, cùm eadem ſacroſancta Synodus ſuperiore Seſsione duos articulos, aliàs propoſitos, & tum nondum diſcuſſos, videlicet: An rationes, quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, vt communicaret laicos, atque etiam non celebrãtes ſacerdotes, ſub vna panis ſpecie, ita ſint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vſus cuiquam ſit permittendus: &, An, ſi honeſtis & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis vſus videatur, ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit, & quænam illæ ſint: in aliud tempus, oblata ſibi occaſione, examinandos atque definiendos reſeruauerit: nunc eorum, pro quibus petitur, ſaluti optimè conſultum volens, decreuit integrũ negotium ad Sanctiſsimum Dominum noſtrum eſſe referendum, prout præſenti decreto refert: qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod vtile Reip. Chriſtianæ, & ſalutare petentibus vſum Calicis, fore iudicauerit.

Indictio futuræ Seſsionis.

INSVPER eadem ſacroſancta Tridentina Synodus diem futuræ Seſsionis ad feriam quintam, poſt octauam feſtiuitatis omnium Sanctorum, quæ erit dies XII. menſis Nouemb. indicit: & in ea decernetur de Sacramento Ordinis, & de Sacramento Matrimonij, &c.

Prorogata fuit Seſsio vſque ad diem decimamquintam Iulij,
Anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio.

SESS.

SESSIO XXIII. QVÆ EST SEPTIma sub Pio IIII. Pontifice Maximo, celebrata die XV. Iulij, M. D. LXIII.

Vera & Catholica doctrina de Sacramento Ordinis, ad condemnandos errores nostri temporis, à Sancta Synodo Tridentina decreta & publicata Sessione septima.

Caput I.

SAcrificium, & sacerdotiũ ita Dei ordinatione coniuncta sunt, vt vtrumque in omni lege extiterit. Cùm igitur in nouo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit: fateri etiam oportet, in ea nouum esse visibile & externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Saluatore nostro institutũ esse, atque Apostolis eorúmque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem eius; necnon & peccata dimittendi & retinendi, sacræ literæ ostendunt, & Catholicę Ecclesiæ traditio semper docuit.

Caput II.

CVm autem diuina res sit tam sancti sacerdotij ministerium, consentaneum fuit, quo dignius & maiori cum veneratione exerceri posset, vt in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diuersi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deseruirent: ita distributi, vt qui iam clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent, nam non solùm de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ literæ apertam mentionem faciunt: & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, grauissimis verbis docent: & ab ipso ecclesiæ initio sequentium Ordinũ nomina, atque vniuscuiusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarij in vsu fuisse cognoscuntur: quamuis non pari gradu, nam Subdiaconatus ad maiores ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissimè legimus.

Cap.

Caput III.

CVm Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum vnanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram ordinationem quæ verbis,& ſignis exterioribus perficitur,gratiam conferri:dubitare nemo debet, Ordinem eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis. Inquit enim Apoſtolus: Admoneo te,vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris,ſed virtutis & dilectionis, & ſobrietatis.

Caput IIII.

QVoniam verò in Sacramento Ordinis, ſicut & in Baptiſmo & Confirmatione,character imprimitur,qui nec deleri nec auferri poteſt,merito ſancta Synodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt noui Teſtamenti ſacerdotes temporariam tantummodo poteſtatem habere:& ſemel ritè ordinatos,iterum laicos effici poſſe,ſi verbi Dei miniſterium non exerceant. Quòd ſi quis omnes Chriſtianos promiſcuè noui Teſtamenti ſacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet:nihil aliud facere videtur,quàm Eccleſiaſticam hierarchiam,quæ eſt vt caſtrorum acies ordinata,confundere:perinde ac ſiè contra beati Pauli doctrinam omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ,omnes Euangeliſtæ,omnes Paſtores, omnes ſint doctores. Proinde ſacroſancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus,Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere: & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait,à Spiritu ſancto,regere Eccleſiã Dei: eóſque Preſbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre: miniſtros Eccleſiæ ordinare,atque alia pleraque peragere ipſos poſſe: quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.Docet inſuper ſancta Synodus,in ordinatione Epiſcoporũ,Sacerdotum & cæterorum Ordinum nec populi, nec cuiuſuis ſecularis poteſtatis & magiſtratus conſenſum, ſiue vocationem, ſiue auctoritatem ita requiri,vt ſine ea irrita ſit ordinatio: quin potius decernit,eos qui tantummodo à populo,aut ſeculari poteſtate,ac magiſtratu vocati & inſtituti, ad hæc miniſteria exercenda aſcendũt:& qui ea propria temeritate ſibi ſumunt: omnes non Eccleſiæ miniſtros, ſed fures & latrones,per oſtium non ingreſſos,habendos eſſe.Hæc ſunt,quæ generatim ſacræ Synodo viſum eſt Chriſti fideles, de Sacramento Ordinis

docere. His autem contraria, certis & propriis Canonibus in hunc qui sequitur, modum damnare constituit: vt omnes, adiuuante Christo, fidei regula vtentes, in tot errorum tenebris Catholicam veritatem facilius agnoscere & tenere possint.

De Sacramento Ordinis. *Canon* I.

Si quis dixerit, non esse in nouo Testamento sacerdotium visibile & externum: vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum corpus & sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi: sed officium tantùm, & nudum ministerium prædicandi Euangelium: vel eos qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes: anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & maiores & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur: anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, Ordinem, siue sacram ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum: vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantùm ritum quendam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum: anathema sit.

Canon IIII.

Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctũ: ac proinde frustrà Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum: aut per eam non imprimi characterem: vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse: anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, sacram Vnctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione vtitur, non tantùm non requiri, sed contemnendam & perniciosam esse: similiter & alias Ordinis cærimonias: anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris: anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi: vel eam, quam habent, illis

illis esse cum Presbyteris communem: vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis secularis consensu, aut vocatione irritos esse: aut eos, qui nec ab ecclesiastica & canonica potestate ritè ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros: anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum: anathema sit.

Decretum de Reformatione.

EAdem sacrosancta Tridentina Synodus, reformationis materiam prosequens, hæc, quæ sequuntur, in præsenti decernenda esse statuit, & decernit.

Caput I.

CVm præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura cõmissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarúmque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio & veritate pascant & regant. Ne verò ea, quæ de residẽtia sanctè, & vtiliter iam anteà sub fel. rec. Paulo III. sancita fuerunt, in sensus à sacrosancta Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat: illis inhærendo, declarat sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac cathedralibus ecclesiis quibuscunque, quocunque nomine & titulo præfectos, etiã si sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalẽ in sua ecclesia vel diœcesi residẽtiã, vbi in iũcto sibi officio defungi teneãtur: neq; abesse posse, nisi ex causis & modis infrascriptis. Nam cùm Christiana charitas, vrgẽs necessitas, debita obediẽtia, ac euidens Ecclesiæ, vel Reip. vtilitas aliquos nonnunquã abesse postulẽt & exigãt: decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas à beatissimo Romano Pontifice, aut à Metro-

Munia propria Curatorum. 6.

politano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbãdas, nisi cùm absentia inciderit propter aliquod munus & Reip. officium Episcopatibus adiunctum: cuius quoniam causæ sunt notoriæ & interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit: ad eũdem tamen cum Concilio prouinciali spectabit iudicare de licentiis à se, vel Suffraganeo datis: & videre, ne quis eo iure abutatur, & vt pœnis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri, ita ouibus suis prouidendum, vt quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autẽ quia aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videtur abesse, quia statim reuersuri sunt: sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spacium singulis annis, siue cõtinuum, siue interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere: & haberi rationem, vt id æqua ex causa fiat & absque vllo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam & timoratã fore, cùm Deo corda pateant: cuius opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici aduẽtus, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item & Corporis Christi diebus, quibus reficiantur maximè, & in Domino gaudere pastoris præsentia oues debeant, ipsi ab ecclesia sua Cathedrali vllo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua diœcesi eos aliò vocent.

Si quis autem (quod vtinam nunquam eueniat) contra huius decreti dispositionem abfuerit: statuit sacrosancta Synodus, præter alias pœnas aduersus non residentes sub Paulo III. impositas & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit: eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere: nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse: sed teneri aut ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum illos fabricæ ecclesiarũ, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacunque conuẽtione, vel compositione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur: ex qua etiam prædicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur: non obstantibus quibuscunque priuilegiis cuicunque Collegio, aut fabricæ concessis.

Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuũ, & pœnas de curatis inferioribus & aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticũ curam animarum habens obtinent, sacrosancta Synodus declarat & decernit: ita tamen, vt quandocunque eos, causa prius

sa prius per Episcopum cognita & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam vltra bimestre tempus, nisi ex graui causa, non obtineāt. Quòd si per edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint: liberum esse vult Ordinariis, per censuras ecclesiasticas & sequestrationem & subtractionem fructuum, aliáque iuris remedia, etiam vsq; ad priuationem, compellere: nec executionem hāc, quolibet priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuscunque beneficij, pactione, statuto, etiam iuramento vel quacunque authoritate confirmato, consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela cēsenda est, siue appellatione, aut inhibitione etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianę constitutionis suspēdi possē. Postremo, tam decretum illud sub Paulo tertio, quàm hoc ipsum in Conciliis prouincialibus & Episcopalibus publicari sancta Synodus præcipit: cupit enim, quæ adeò ex Pastorum munere, animarúmque salute sunt, frequenter omnium auribus, mentibúsque infigi: vt in posterum, Deo iuuante, nulla temporum iniuria, aut hominum obliuione, aut desuetudine aboleantur.

Caput II.

Ecclesiis cathedralibus, seu superioribus, quocunque nomine ac titulo prę fecti, etiam si sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si intra totidem menses posteà id facere neglexerint, ecclesiis ipso iure sint priuati. Consecratio verò, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia ad quam promoti fuerint, aut in prouincia, si commodè fieri poterit, celebretur.

Caput III.

Episcopi per semetipsos Ordines conferant: quòd si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quàm iam probatos & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.

Caput IIII.

Prima Tonsura non initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimēta edocti non fuerint: quíque legere, & scribere nesciant: & de quibus probabilis coniectura non sit eos non secularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Caput V.

AD minores Ordines promouendi bonum à Parocho,& à magistro scholæ, in qua educantur,testimonium habeant. Hi verò, qui ad singulos maiores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, vt nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoueri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinãdorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat: & literas testimoniales ipsam inquisitionẽ factam continẽtes,ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.

Caput VI.

NVllus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus cõstitutus,ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat:aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat: vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Vniuersitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versetur. In Clericis verò coniugatis seruetur constitutio Bonifacij octaui, quæ incipit, Clerici, qui cum vnicis: modo hi Clerici, alicuius Ecclesiæ seruitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ seruiant, vel ministrent:& Clericali habitu & Tonsura vtantur:nemini, quoad hoc,priuilegio vel consuetudine, etiam immemorabili,suffragante.

Caput VII.

SAncta Synodus, antiquorum Canonum vestigiis inhærendo, decernit, vt quando Episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur,ad ciuitatem euocentur. Episcopus autem sacerdotibus & aliis prudentibus viris peritis diuinæ legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi ascitis,ordinãdorum genus,personam,ætatem,institutionem,mores, doctrinam & fidem diligenter inuestiget,& examinet.

Caput VIII.

ORdinationes sacrorum Ordinum, statutis à iure temporibus,ac in cathedrali Ecclesia, vocatis præsentibúsque ad id Ecclesiæ Canonicis,publicè celebrentur:si autem in alio diœcesis loco,præsente Clero loci,dignior,quantum fieri poterit,Ecclesia semper adeatur. Vnusquisq; autem à proprio Episcopo ordinetur.Quòd si quis ab alio

promo

promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiuſuis generalis aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur: niſi eius probitas ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur: ſi ſecus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.

Caput IX.

EPiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triēnium ſecum fuerit commoratus: & beneficium, quacunque fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat: conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante.

Caput X.

ABbatibus ac aliis quibuſcunque, quantumuis exemptis, non liceat in poſterum, intra fines alicuius diœceſis conſiſtentibus, etiam ſi nullius diœceſis, vel exempta eſſe dicantur, cuiquam qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre: nec ipſi Abbates & alij exempti, aut Collegia vel Capitula quæcunque, etiam eccleſiarum cathedralium, literas dimiſſorias aliquibus Clericis ſecularibus, vt ab aliis ordinentur, concedant: ſed horum omnium ordinatio, ſeruatis omnibus quæ in huius ſanctæ Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtāt, pertineat: non obſtantibus quibuſuis priuilegiis, prę ſcriptionibus, aut cōſuetudinibus etiam immemorabilibus. Pœnam quoque impoſitam iis, qui contra huius ſanctæ Synodi ſub Paulo tertio, decretum à Capitulo Epiſcopali, Sede vacante, literas dimiſſorias impetrant: ad illos, qui eaſdem literas nō à Capitulo, ſed ab aliis quibuſuis, in iuriſdictione Epiſcopi loco Capituli, Sede vacante ſuccedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimiſſorias contra formam decreti, ab officio & beneficio per annum ſint ipſo iure ſuſpenſi.

Caput XI.

MInores Ordines iis, qui ſaltem Latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur: vt eo accuratius, quantum ſit huius diſciplinæ pōdus, poſſint edoceri: ac in vnoquoque munere, iuxta præſcriptum Epiſcopi, ſe exerceāt, idque in ea, cui adſcripti erūt, Eccleſia, niſi forte ex cauſa ſtudiorum abſint: atque ita de gradu in gradum aſcēdant, vt in eis cum ætate vitæ & bonorū meritū, & doctrina maior accreſcat:

quod

quod morum exemplum & assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga Presbyteros & superiores Ordines reuerentia,& crebrior quàm antea, corporis Christi Communio maximè comprobabunt. Cúmq; hinc ad altiores gradus & sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes maioribus Ordinibus dignum ostendat. Hi verò non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoueantur: nisi necessitas,aut Ecclesiæ vtilitas,iudicio Episcopi,aliud exposcat.

Caput XII.

NVllus in posterũ ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum,ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueatur. Sciant tamen Episcopi non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi,sed dignos dumtaxat,& quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori ætate,nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur: priuilegiis quibuscunque, quoad hoc, penitus exclusis.

Caput XIII.

SVbdiaconi, & Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium,& in minoribus Ordinibus iam probati,ac literis,& iis,quæ ad Ordinem exercendum pertinent,instructi. Qui sperent, Deo authore, se continere posse, Ecclesiis quibus ascribentur, inseruiant, sciántque maximè decere, si saltem diebus Dominicis & solennibus, cùm altari ministrauerint,sacram Communionem perceperint. Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittãtur. Duo sacri Ordines non eodem die,etiam Regularibus conferantur: priuilegiis,ac indultis quibusuis concessis, non obstantibus quibuscunque.

Caput XIIII.

QVi piè & fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinem assumuntur,bonum habeant testimonium: & hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur,ministrauerint: sed etiam ad populum docendum ea,quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente,idonei comprobentur: atque ita pietate, ac castis moribus conspicui, vt præclarum bonorum operum exem

exemplum,& vitæ monita ab eis posſint expectari. Curet Epiſcopus, vt ij ſaltem diebus Dominicis,& feſtis ſolennibus(ſi autem curam habuerint animarum,tam frequenter,vt ſuo muneri ſatisfaciant)Miſſas celebrẽt.Cum promotis per ſaltum,ſi non miniſtrauerint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſsit diſpenſare.

Caput XV.

QVamuis Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant:decernit tamen ſancta Synodus,nullum, etiam Regularem, poſſe confeſsiones ſecularium etiam ſacerdotum audire:nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficiũ, aut ab Epiſcopis per examẽ,ſi illis videbitur eſſe neceſſariũ,aut aliâs idoneus iudicetur:& approbationem,quæ gratis detur, obtineat:priuilegiis & conſuetudine quacũque, etiã immemorabili, non obſtantibus.

Caput XVI.

CVm nullus debeat ordinari,qui iudicio ſui Epiſcopi non ſit vtilis aut neceſſarius ſuis eccleſiis: ſancta Synodus veſtigiis ſexti Canonis Concilij Chalcedonenſis inhærendo ſtatuit, vt nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cuius neceſsitate aut vtilitate aſſumitur,non aſcribatur: vbi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quòd ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit:ei ſacrorum exercitium interdicatur. Nullus præterea clericus peregrinus ſine commendaticiis ſui Ordinarij literis ab vllo Epiſcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur.

Caput XVII.

VT ſanctorum Ordinum à Diaconatu ad Oſtiariatum functiones,ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ & pluribus in locis aliquandiu intermiſſæ, in vſum iuxta ſacros Canones reuocentur:nec ab hæreticis tanquam otioſæ traducantur: illius priſtini moris reſtituendi deſiderio flagrans ſancta Synodus, decernit, vt in poſterum huiuſmodi miniſteria non niſi per conſtitutos in dictis Ordinibus exerceantur, omnéſque & ſingulos Prælatos Eccleſiarum in Domino hortatur,& illis præcipit, vt quãtum fieri commodè poterit, Eccleſiis cathedralibus, collegiatis & parochialibus ſeu diœceſis ſi populus frequens,& Eccleſiæ prouentus id ferre queãt, huiuſmodi functiones curent reſtituendas, & ex aliqua parte reddituum aliquorũ ſimplicium beneficiorum,vel fabricæ Eccleſiæ,ſi prouentus ſuppetãt:aut vtriſque illorum eas functiones exercentibus ſti-

pendia assignent: quibus, si negligentes fuerint, Ordinarij iudicio aut ex parte multari, aut in totum priuari possint. Quòd si ministeriis quatuor minorum Ordinũ exercendis Clerici cælibes præsto non erunt: sufficici possint etiam coniugati, vitæ probatæ: dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui Tonsuram & habitum clericalem in Ecclesia gestent.

Caput XVIII.

CVm adolescentium ætas, nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas: & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotẽtis auxilio in disciplina ecclesiastica perseueret: sancta Synodus statuit, vt singulæ cathedrales, Metropolitanæ, atque his maiores Ecclesiæ, pro modo facultatum, & diœcesis amplitudine certum puerorũ ipsius ciuitatis & diœcesis, vel eius prouinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco conuenienti, ab Episcopo eligendo, alere ac religiosè educare, & ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc verò collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sunt, ac legere & scribere cõpetenter nouerint: & quorũ indoles, & voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inseruituros. Pauperum autem filios præcipuè eligi vult: nec tamen ditiorum excludit: modo suo sumptu alantur, & studium præ se ferant Deo & Ecclesiæ inseruiendi. Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur, diuisos iuxta eorũ numerũ, ætatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum, partim cùm ei opportunũ videbitur, ecclesiarum ministerio addicet: partim in collegio erudiendos retinebit: aliósque in locum eductorũ sufficiet: ita vt hoc collegiũ Dei ministrorum perpetuum seminarium sit. Vt verò in eadẽ disciplina ecclesiastica commodius instituantur, Tonsura statim atque habitu clericali semper vtentur: grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarúmque bonarum artium disciplinam discent: sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, ac cæremoniarum formas ediscent. Curet Episcopus, vt singulis diebus Missæ sacrificio intersint: ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & iuxta confessoris iudicium sumant corpus Domini nostri Iesu Christi: cathedrali & aliis loci ecclesiis diebus festis inseruiant

seruiant. Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna, & necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum & grauiorũ, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent: eaque vt semper obseruentur, sæpius visitando operam dabunt. Discolos & incorrigibiles, ac malorũ morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellẽdo: omniáque impedimenta auferentes, quæcunque ad conseruandum & augendum tam pium & sanctum institutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad collegij fabricam instituendam, & ad mercedem præceptoribus & ministris soluendam, & ad alendam iuuentutẽ, & ad alios sumptus certi redditus erunt necessarij: vltra ea, quæ ad instituendos vel alẽdos pueros sunt in aliquibus ecclesiis & locis destinata, quæ eo ipso huic Seminario sub eadem Episcopi cura applicata censeantur: iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur: itémque duorum de Clero ciuitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius verò ad Clerum pertineat: ex fructibus integris mensæ Episcopalis & Capituli, & quarumcunq; dignitatum, personatuum, officiorum, præbendarum, portionum, Abbatiarum, & Prioratuum, cuiuscunque Ordinis, etiam Regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, & hospitalium, quæ dantur in titulum vel administrationem, iuxta constitutionem Concilij Viennensis, quę incipit, Quia contingit: & beneficiorum quorumcunque etiam Regularium, etiam si iuris patronatus cuiuscunque fuerint, etiam si exempta, etiam si nullius diœcesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis & hospitalibus, & aliis quibuslibet locis piis, etiam exemptis annexa, & ex fabricis ecclesiarum, & aliorum locorũ, etiam ex quibuscunque aliis ecclesiasticis redditibus, seu prouentibus, etiam aliorum collegiorum: in quibus tamen Seminaria discentium, vel docentium ad commune Ecclesiæ bonum promouendum actu non habentur (hæc enim exempta esse voluit) præterquam ratione redditũ, qui superflui essent vltra conuenientem ipsorum Seminariorum sustentationem, seu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis scholæ appellantur, & omnium monasteriorum, non tamẽ mendicantium, etiam ex decimis quacunque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solui solent, & milites cuiuscunque militiæ aut ordinis pertinẽtibus (fratribus sancti Ioannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis) partem aliquam vel portionem detrahent: & eam portionem sic detractam, necnon beneficia aliquot simplicia, cuiuscũque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia, vel præstimo-

niales portiones, etiam ante vocationem nuncupatas, sine cultus diuini, & illa obtinentium præiudicio, huic collegio applicabunt & incorporabunt, quod locum habeat, etiam si beneficia sint reseruata vel affecta: nec per resignationem ipsorum beneficiorum, vniones & applicationes suspendi, vel vllo modo impediri possint, sed omnino quacunque vacatione, etiam si in Curia effectum suum sortiantur, quacunque constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem soluendam, beneficiorum, dignitatum, personatuum, & omnium & singulorum suprà commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus soluerent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis pensionibus illis erit soluendum, ab Episcopo loci per censuras Ecclesiasticas, ac alia iuris remedia compellantur: etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachij secularis: quibusuis quoad omnia & singula supradicta, priuilegiis, exemptionibus, etiam si specialem derogationē requirerent, consuetudine, etiam immemorabili, & quauis appellatione & allegatione, quæ executionem impediat, non obstantibus. Succedente verò casu, quo per vniones effectum suum sortientes, vel aliter Seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur: tunc portio ex singulis beneficiis, vt suprà, detracta & incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. Quòd si cathedralium & aliarum maiorum ecclesiarum Prælati in hac Seminarij erectione, eiúsque conseruatione negligentes fuerint, ac suam portionem soluere detrectauerint: Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum & Superiores Synodus prouincialis acriter corripere, eósque ad omnia supradicta cogere debeat: & vt quamprimum hoc sanctum & pium opus, vbicunque fieri poterit, promoueatur, studiosè curabit. Rationes autem reddituum huius Seminarij Episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus à Capitulo, & totidem à Clero ciuitatis deputatis.

Deinde, vt cum minori impensa huiusmodi scholis instituendis prouideatur: statuit sancta Synodus, vt Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & alij locorum Ordinarij, scholasterias obtinētes, & alios, quibus est electionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituēdos, per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneos substitutos, ab eisdem scholasticis eligendos & ab Ordinariis approbandos, etiam per subtractionem fructuum cogant & compellant. Quòd si iudicio Episcopi digni non fuerint: alium qui dignus sit, nominēt, omni appellatione remota: quod si neglexerint, Episcopus ipse

deputet

deputet. Docebunt autem prædicti, quæ videbũtur Episcopo expedire. De cætero verò officia vel dignitates illæ, quæ scholasteriæ dicuntur, non nisi Doctoribus vel Magistris aut Licentiatis in sacra pagina, aut in iure canonico, & aliàs personis idoneis, & qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur: & aliter facta prouisio nulla sit & inualida: non obstantibus quibusuis priuilegiis & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Si verò in aliqua prouincia Ecclesiæ tanta paupertate laborent, vt collegium in aliquibus erigi non possit: Synodus prouincialis, vel Metropolitana cum duobus antiquioribus Suffraganeis in ecclesia Metropolitana, vel alia prouinciæ ecclesia commodiori vnum aut plura collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium ecclesiarum, in quibus singulis collegium commodè institui non potest, erigenda curabit, vbi pueri illarum ecclesiarum educentur.

In ecclesiis autem, amplas diœceses habentibus, possit Episcopus vnum vel plura in diœcesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria: quæ tamen ab illo vno, quod in ciuitate erectum & constitutum fuerit, in omnibus dependeant.

Postremo si vel pro vnionibus, seu proportionum taxatione vel assignatione & incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatẽ aliquam oriri contigerit, ob quam huius Seminarij institutio vel conseruatio impediretur aut perturbaretur: Episcopus cum suprà deputatis, vel Synodus prouincialis pro regionis more, pro ecclesiarum & beneficiorũ qualitate, etiam suprà scripta, si opus fuerit, moderando aut augendo, omnia & singula, quæ ad felicem huius Seminarij profectum necessaria & opportuna videbuntur, decernere ac prouidere valeat.

Indictio futuræ Sessionis.

INSVPER, eadem sacrosancta Tridentina Synodus proximam futuram Sessionem in diem decimam sextam mensis Septembris indicit: in qua agetur de Sacramento Matrimonij, & de aliis, si qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quæ expediri possint: item de prouisionibus Episcopatuum, dignitatum, aliorúmque beneficiorum ecclesiasticorum, ac de diuersis reformationis articulis.

Prorogata fuit Sessio ad diem vndecimam Nouembris,
Anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio.

SESSIO XXIIII. QVÆ EST OCTAua sub Pio IIII. Pontifice Maximo, celebrata die XI. Nouembris,

M. D. LXIII.

Doctrina de Sacramento Matrimonij.

MATRIMONII perpetuum, indissolubilémque nexum primus humani generis parens diuini Spiritus instinctu pronunciauit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrẽ, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & coniungi, Christus Dominus apertiùs docuit, cùm postrema illa verba, tanquam à Deo prolata referens, dixit: Itaque iam non sunt duo, sed vna caro: statimque eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto antè pronunciatam, his verbis confirmauit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Gratiam verò quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem vnitatem confirmaret, coniugésque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit: quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea: mox subiungens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

Cùm igitur Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet: merito inter nouæ legis Sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, Concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt: aduersus quam impij homines huius seculi insanientes, non solùm perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt, sed de more suo prætextu Euangelij libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, & ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto & verbo asseruerũt, non sine magna Christi fidelium iactura: quorum temeritati sancta, & vniuersalis Synodus cupiens occurrere, insigniores prædictorũ schismaticorum hæreses & errores, ne plures ad se trahat pernicioſa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos, eorúmque errores decernens anathematismos.

De

De Sacramento Matrimonij. Canon I.

SI quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè vnum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum: neque gratiam conferre: anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum: anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum: nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere, vt plures impediant & dirimant: anathema sit.

Canon IIII.

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, propter hæresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse matrimonij vinculum: anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solennem religionis professionem alterius coniugum non dirimi: anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit & docet iuxta Euangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non posse dissolui: & vtrumq; vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente aliud matrimonium contrahere: mœchariq; eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero alij nupserit: anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter coniuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertúmve tempus fieri posse decernit: anathema sit.

Canon

Canon IX.

Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos: vel Regulares, castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractúmque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto: & oppositum nil aliud esse, quàm damnare matrimonium: posséque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam vouerint, habere donum: anathema sit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, ne patiatur nos supra id quod possumus, tentari.

Canon X.

Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quàm iungi matrimonio: anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, prohibitionem solennitatis nuptiarum certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam: aut benedictiones & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis vtitur, damnauerit: anathema sit.

Canon XII.

Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos: anathema sit.

Decretum de reformatione Matrimonij.

Caput I.

TAmetsi dubitandum non est, clãdestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde iure damnandi sint illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negãt: quique falso affirmant, matrimonia à filiis familiâs sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes eà rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. Verùm cum sancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse: & grauia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore cum qua clàm contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt.

Cui

Cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: Idcirco sacri Lateranensis Concilij, sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, vt in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in ecclesia inter Missarum solennia publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur: vbi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vel aliis vtatur verbis, iuxta receptũ vniuscuiusque prouinciæ ritum. Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes: tunc vel vna tantùm denunciatio fiat: vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde, ante illius cõsummationem denunciationes in ecclesia fiant: vt si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ & iudicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt: eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat. Insuper Parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Præterea eadem sancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadẽ domo non cohabitent: statuítque benedictionem à proprio Parocho fieri: neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij sacerdoti concedi posse: quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel priuilegio, non obstante. Quòd si quis Parochus vel alius sacerdos, siue Regularis, siue secularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochiæ licentia matrimonio cõiungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ob Ordinario eius Parochi,

qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. Habeat Parochus librum, in quo coniugum & testium nomina, diemque & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant. Si quæ prouinciæ aliis vltra prædictas, laudabilibus consuetudinibus & cærimoniis hac in re vtuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne verò hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, vt cùm primum poterint, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum diœcesum parochialibus ecclesiis: idque in primo anno quàm sæpissimè fiat, deinde verò quoties expedire viderint. Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem parochia factæ, numerandos.

Caput II.

DOcet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia: in quibus vel non sine magno peccato perseueratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo prouidere, & à cognationis spiritualis impedimẽto incipiẽs, statuit vt vnus tantùm siue vir, siue mulier, iuxta sacrorũ Canonũ instituta, vel ad summum vnus & vna baptizatum de Baptismo suscipiant: inter quos, ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrẽ tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferẽdum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant: & eum vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittat: & in libro eorum nomina describat: doceatque eos quã cognationẽ contraxerint: ne ignorantia vlla excusari valeant. Quòd si alij vltra designatos, baptizatum tetigerint: cognationem spiritualẽ nullo pacto contrahant: constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Si Parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit: arbitrio Ordinarij puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiúsque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas huius spiritualis cognatio

gnationis impedimentis omnino ſublatis.

Caput III.

IVſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, vbi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit: vbi autem valida fuerint primum gradum non excedant: quoniam in vlterioribus gradibus iam non poteſt huiuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſeruari.

Caput IIII.

PRæterea ſancta Synodus, eiſdem & aliis grauiſsimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit: ad eos tantùm, qui in primo & ſecundo gradu coniunguntur, reſtringit. In vlterioribus verò gradibus ſtatuit huiuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere.

Caput V.

SI quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit: ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequēdæ careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantùm matrimoniū contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quòd ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolennitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubiiciatur pœnis: non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cuius ſalubria præcepta temere contempſit. Si verò, ſolennitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſteà ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit: tunc facilius cum eo & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò: idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

Caput VI.

DEcernit ſancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit: eam raptor in vxorem habeat: & nihilominus raptor ipſe ac omnes illi conſilium, auxilium & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniúmque dignitatum incapaces: & ſi clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam,

siue eam vxorem duxerit, siue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.

Caput VII.

MVlti sunt, qui vagantur, & incertas habent sedes, & vt improbi sunt ingenij, prima vxore relicta aliam & plerumque plures illa viuente, diuersis in locis ducunt, cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facilè recipiant: magistratus etiam seculares hortatur, vt eos seuerè coerceant: Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis interfint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

Caput VIII.

GRaue peccatum est, homines solutos concubinas habere: grauissimum verò, & in huius magni Sacramenti singularem contemptum admissum, vxoratos quoque in hoc damnationis statu viuere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum vxoribus alere & retinere: quare vt huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis prouideat, statuit huiusmodi concubinarios, tam solutos quàm vxoratos, cuiuscunque status, dignitatis & conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, séque ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse: à qua non absoluantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quòd si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint: contra eos ab Ordinario seuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, siue coniugatæ siue solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinariis publicè viuunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur: & extra oppidum vel diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, inuocato si opus fuerit, brachio seculari, eiiciantur: aliis pœnis contra adulteros & concubinarios infligendis, in suo robore permanentibus.

Caput IX.

ITa plerumque temporalium Dominorum, ac Magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, vt viros & mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maximè diuites vel spem magnæ hereditatis habentes, minis & pœnis adigant cum iis matrimonium inuitos contrahere, quos ipsi Domini vel Magistratus illis

illis præscripserint. Quare cùm maximè nefarium sit matrimonij libertatem violare, & ab eis iniurias nasci, à quibus iura expectantur: præcipit sancta Synodus omnibus, cuiuscunque gradus, dignitatis, & conditionis existāt, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrāt, ne quouis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant.

Caput X.

A B aduentu Domini nostri Iesu Christi vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque in octauam Paschatis inclusiuè, antiquas solennium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari sancta Synodus præcipit: in aliis verò temporibus nuptias solenniter celebrari permittit: quas Episcopi, vt ea qua decet modestia & honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum. Tempora Nuptiis prohibita

Decretum de Reformatione.

E Adem sacrosancta Synodus, reformationis materiam prosequēs, hæc in præsenti Sessione statuenda decernit.

Caput I.

S I in quibuslibet Ecclesię gradibus prouidenter, scientérque curandum est, vt in Domini domo nihil sit inordinatum, nihílque præposterum: multo magis elaborandum est, vt in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur: nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inuenia tur in capite: vnde, & si aliâs sancta Synodus de promouendis ad cathedrales & superiores Ecclesias nonnulla vtiliter decreuit: hoc tamen munus huiusmodi esse censet, vt si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, vt cùm primum Ecclesia vacauerit, supplicationes ac preces publicè, priuatímque habeantur: atque à Capitulo per ciuitatem & diœcesim indicantur: quibus Clerus, populúsque bonum à Deo pastorem valeat impetrare. Omnes verò & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcunque ius, quacunque ratione, à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innouando, hortatur & monet, vt in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem vtilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant: eósque alienis peccatis communicantes mortaliter

peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint: & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina, atq; aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ iuxta sacros Canones, & Tridentinæ huius Synodi decreta requiruntur. Quoniam verò in sumendo de prædictis omnibus qualitatibus graui, idoneóq; bonorum & doctorum virorum testimonio, non vniformis ratio vbique ex nationum, populorum, ac morum varietate potest adhiberi: mandat sancta Synodus, vt in prouinciali Synodo per Metropolitanum habenda, præscribatur quibusque locis & prouinciis propria examinis, seu inquisitionis, aut institutionis faciendæ forma, Sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis vtilis, atque opportuna esse videbitur: ita tamen, vt, cùm deinde hoc examen, seu inquisitio de persona promouenda perfecta fuerit: ea in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio ac professione fidei ab ea facta, quamprimum ad Sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur: vt ipse summus Pontifex, plena totius negotij ac personarum notitia habita, pro gregis Dominici commodo de illis, si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, Ecclesiis possit vtiliùs prouidere. Omnes verò inquisitiones, informationes, testimonia ac probationes, quæcunque de promouendi qualitatibus, & Ecclesiæ statu à quibuscunque, etiam in Romana Curia habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Cõsistorio, & alios tres Cardinales diligenter examinentur: ac relatio ipsa Cardinalis relatoris & trium Cardinalium subscriptione roboretur: in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirment, se adhibita accurata diligentia, inuenisse promouẽdos qualitatibus à iure & ab hac sancta Synodo requisitis prædictos: ac certo existimare sub periculo salutis æternæ idoneos esse, qui Ecclesiis præficiantur: ita vt relatione in vno Consistorio facta, quò maturiùs interca de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Consistorium iudicium differatur: nisi aliud Beatissimo Pontifici videbitur expedire. Ea verò omnia & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina & cæteris qualitatibus aliàs in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem etiam in creatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiam si Diaconi sint, exigenda: quos sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commodè fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet. Postremo, eadem sancta

Syno

Synodus tot grauissimis Ecclesiæ incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quàm vt Beatissimus Romanus Pontifex, quam solicitudinem vniuersæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hîc potissimum impendat, vt lectissimos tantùm sibi Cardinales asciscat: & bonos maximè atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eo magis, quòd ouium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium & sui officij immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus de manibus eius sit requisiturus.

Caput II.

PRouincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controuersiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis renouentur. Quare Metropolitani per ipsos seu (illis legitimè impeditis) Coepiscopus antiquior intra annum ad minus à fine præsentis Concilij, & deinde quolibet saltem triennio post octauam Paschæ Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, seu alio commodiori tẽpore pro more prouinciæ non prętermittat Synodum in prouincia sua cogere: quo Episcopi omnes, & alij qui de iure vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, conuenire omnino teneantur. Nec Episcopi comprouinciales prætextu cuiuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere inuiti compellantur. Itidem Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subiiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant: in cuius Synodo prouinciali cum aliis interesse debeant: & quæ ibi ordinata fuerint, obseruent ac obseruari faciant. In reliquis omnibus eorum exemptio & priuilegia salua atque integra maneant. Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur: ad quas exempti etiam omnes qui aliâs cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur, ratione tamen parochialium, aut aliarum secularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ij qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse. Quòd si in his tam Metropolitani, quàm Episcopi, & alij suprascripti negligẽtes fuerint: pœnas sacris Canonibus sancitas incurrant.

Caput III.

PAtriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam diœcesim per se ipsos, aut, si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut Visitatorem, si quotannis totam propter eius

latitu

latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen, vt tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. A Metropolitanis verò, etiam post plenè visitatam propriam diœcesim, non visitentur cathedrales Ecclesiæ, neque diœceses suorum comprouincialium, nisi causa cognita, & probata in Concilio prouinciali. Archidiaconi autem, Decani & alij inferiores in iis Ecclesiis, vbi hactenus visitationem exercere legitimè consueuerunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantùm ibidem visitare. Visitatores etiam à Capitulo deputandi, vbi Capitulum ius visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur: sed non ideo Episcopus, vel, eo impedito, eius Visitator easdem Ecclesias seorsum ab his visitare prohibeatur: cui ipsi Archidiaconi vel alij inferiores, visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones testium ac integra acta ei exhibere teneantur: non obstantibus quacunque consuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus, & priuilegiis quibuscunque. Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, suam, orthodoxámque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere: bonos mores tueri, prauos corrigere: populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiámque accendere: cætera, prout locus, tempus & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructũ constituere. Quæ vt facilius, feliciúsque succedant, monentur prædicti omnes & singuli, ad quos visitatio spectat, vt paterna charitate, Christianóque zelo omnes amplectantur: ideóque modesto contenti equitatu famulatúque studeant quam celerrimè (debita tamen cum reuerentia) visitationem ipsam absoluere. Interímque caueant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graues, onerosíve sint: néve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios vsus, præter id quod ex relictis piis iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant: non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tamen victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter, moderatéque pro temporis tantùm necessitate & non vltrà, erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum qui visitantur, si malint soluere, id quod erat ab ipsis anteà solui, certa pecunia taxata, consuetum: an verò prædicta victualia subministrare: saluo item iure conuentionum antiquarum cum monasteriis aliísve piis locis, aut Ecclesiis non parochialibus inito, quod illæsum permaneat. In iis verò locis, seu prouincis, vbi

consue

consuetudo est, vt nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant: ibi id obseruetur. Quòd si quisquam (quod absit) aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit: is præter dupli restitutionem, intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis iuxta Constitutionem Concilij generalis Lugdunensis, quæ incipit, Exigit: necnon & aliis pœnis in Synodo prouinciali arbitrio Synodi, absque vllâ spe veniæ multetur. Patroni verò in iis, quæ ad Sacramẽtorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere: neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum prouentibus immiscеant: nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat: sed Episcopi ipsi hęc faciant, & fabricarum redditus in vsus Ecclesiæ necessarios & vtiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.

Caput IIII.

PRædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiẽs sancta Synodus, quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri: Canones aliâs super hoc editos, sub felicis recordationis Paulo tertio, aptius præsentium temporum vsui accommodando, mandat, vt in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument, in aliis autem Ecclesiis per Parochos, siue iis impeditis, per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur vel solent, deputandos in ciuitate, aut in quacunque parte diœcesis censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis, & solennibus diebus festis: tempore autem Ieiuniorum, Quadragesimæ & aduentus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas, diuinámque legem annuncient: & aliâs quotiescũque id opportunè fieri posse iudicauerint. Moneátque Episcopus populum diligenter, teneri vnumquenque parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem secularis siue Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prędicare pręsumat. Idem etiam saltem Dominicis & aliis festiuis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabũt: & si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent: non obstantibus priuilegiis & consuetudinibus. In reliquis, ea quæ de prædicationis munere sub eodem Paulo tertio decreta fuerunt, suum robur obtineant.

Supra Session. Reforma. 2. Et infra fol. [illegible]

Caput V.

CAusæ criminales grauiores contra Episcopos, etiam hæresis (quod absit) quæ depositione aut priuatione dignæ sunt, ab ipso tantùm summo Romano Pontifice cognoscantur & terminentur. Quòd si eiusmodi sit causa, quæ necessario extra Romanam Curiam sit committenda: nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis aut Episcopis à Beatissimo Papa eligẽdis. Hæc verò commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata: nec vnquam plus his tribuat, quàm vt solam facti instructionẽ sumant, processúmque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant: reseruata eidem Sanctissimo sententia definitiua. Cętera aliâs sub felicis recordationis Iulio tertio, super his decreta, necnon & constitutio sub Innocentio tertio, in Concilio Generali, quæ incipit, Qualiter & quando: quam sancta Synodus in præsenti innouat: ab omnibus obseruetur. Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tantùm prouinciali cognoscantur & terminentur, vel à deputandis per Concilium prouinciale.

Caput VI.

LIceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quę oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in diœcesi sua per se ipsos aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum.

Caput VII.

VT fidelis populus ad suscipienda Sacramenta maiori cum reuerentia, atque animi deuotione accedat: præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus, vt non solùm cùm hæc per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim, & vsum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem à singulis Parochis piè prudentérque etiam lingua vernacula, si opus sit & commodè fieri poterit, seruari studeãt, iuxta formam à sancta Synodo in Catechesi singulis Sacramentis præscribẽdam: quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt; necnon vt inter Missarum solennia, aut diuinorum celebrationem sacra eloquia & salutis monita

monita eadem vernacula lingua singulis diebus festis vel solennibus explanẽt: eadémque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.

Caput VIII.

APostolus monet, publicè peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum cõspectu crimen commissum fuerit, vnde alios scandalo offensos commotósque fuisse, non sit dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet: vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretũ poterit commutare, quando ita magis iudicauerit expedire. In omnibus etiam cathedralibus Ecclesiis, vbi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum vnione præbendæ proximè vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licẽtiatus in Theologia, vel in Canonico, & annorũ quadraginta, seu aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum cõfessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur.

Caput IX.

QVæ aliàs sub felicis recordationis Paulo tertio, & nuper sub Beatissimo Domino nostro, Pio quarto, in hoc eodem Cõcilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiorum, etiam exemptorum visitatione constituta sunt, eadem etiam in iis Ecclesiis secularibus obseruentur quæ in nullius diœcesi esse dicuntur: vt ab Episcopo cuius cathedralis Ecclesia est proximior, si id possit, alioquin ab eo qui semel in Concilio prouinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, visitentur: non obstantibus priuilegiis & consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorabilibus.

Caput X.

EPiscopi, vt aptius quem regunt populum, possint in officio atque obedientia continere, in omnibus iis quæ ad visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant, ius & potestatem habeant, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, iuxta Canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac diœcesis suæ vtilitate necessaria videbuntur. Nec in his, vbi de visitatione aut morum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibitio,

appellatio,seu querela,etiam ad Sedem Apostolicam,interposita,executionem eorum, quæ ab eis mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat,aut suspendat.

Caput XI.

QVoniam priuilegia & exemptiones, quæ variis titulis plerisq; conceduntur hodie perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare,& exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur:decernit sancta Synodus,vt si quando iustis,grauibus, & fere necessariis suadentibus causis, aliquos honorariis titulis Protonotariatus,Acolythatus,Comitis Palatini,Capellani Regij,aut aliis huiusmodi in Romana Curia,vel extra,insignibus decorandos esse placuerit:necnon alios,cuicunque monasterio oblatos, vel quomodocũque addictos,aut sub nomine seruientium militiis,seu monasteriis, hospitalibus,collegiis,aut quocunque alio titulo assumi:nihil ex iis priuilegiis detractum esse Ordinariis intelligatur: quo minus ij, quibus ea iam concessa sunt, vel in posterum concedi contigerit, ipsis Ordinariis, tanquam Apostolicæ Sedis delegatis,plenè in omnibus,& quoad Capellanos Regios, iuxta Constitutionem Innocentij tertij, quæ incipit,Cum Capellæ,subiecti existant: exceptis tamen iis,qui prædictis locis aut militiis actu seruiunt,& intra eorum sepia ac domos residẽt, súbque eorum obedientia viuunt: siue iis, qui legitimè, & secundum regulam earundem militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat: non obstantibus priuilegiis quibuscunque, etiam religionis sancti Ioannis Hierosolymitani, & aliarum militiarum. Quæ verò priuilegia residentibus in Curia Romana vigore Eugenianæ Constitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere solent:ea in iis qui beneficia ecclesiastica obtinent, ratione prædictorum beneficiorum minime intelligantur: sed Ordinarij iurisdictioni subiecti permaneant: non obstantibus quibuscunque inhibitionibus.

Caput XII.

CVm dignitates, in Ecclesiis præsertim cathedralibus, ad conseruãdam augendámque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ:vt qui eas obtinerẽt,pietate pręcellerẽt,aliisque exẽplo essent, atque Episcopos opera & officio iuuarent: merito qui ad eas vocantur,tales esse debent,qui suo muneri respondere possint.Nemo igitur deinceps ad dignitates quascũque,quibus animarum cura subest,promoueatur,nisi qui saltem xxv. suæ ætatis annum attigerit & in Clericali

cali Ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria ac morum integritate commendetur, iuxta Constitutionem Alexandri Tertij, in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, Cum in cunctis. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus ecclesiis, vbi fieri poterit Magistri in Theologia seu Doctores, aut Licentiati in iure Canonico. Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & xxii. annis non minores, asciscantur. Prouisi etiam de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionē: & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant ac iurent. Prouisi autem de canonicatibus & dignitatibus, in ecclesiis cathedralibus non solùm coram Episcopo, seu eius officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes prouisi, vt suprà, fructus non faciant suos: nec illis possessio suffragetur. Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo Ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit: aut in tali ætate, vt infra tempus à iure & ab hac sancta Synodo statutum initiari valeat. In omnibus verò ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterij, Diaconatus, vel Subdiaconatus. Episcopus autē cum consilio Capituli designet, ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque Ordo ex sacris annexus in posterū esse debeat: ita tamen, vt dimidia saltem pars Presbyteri sint, cæteri verò Diaconi, aut Subdiaconi. Vbi verò cōsuetudo laudabilior habet, vt plures vel omnes sint Presbyteri, omnino obseruetur. Hortatur etiam sancta Synodus, vt in prouinciis, vbi id commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars canonicatuum, in cathedralibus ecclesiis & collegiatis insignibus, conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel iure canonico. Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti aut cōsuetudinis vltra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse: saluis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius seruitij tempus requirunt: alioquin primo anno priuetur vnusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residētiæ fecit suos. Quòd si iterum eadem fuerit vsus negligentia, priuetur omnibus fructibus

quos eodem anno lucratus fuerit: crescente verò contumacia, contra eos, iuxta sacrorum Canonum constitutiones, procedatur. Distributiones verò qui statis horis interfuerint, recipiãt: reliqui, quauis collusione, aut remissione excluſa, his careant, iuxta Bonifacij VIII. decretum, quod incipit, Consuetudinem: quod sancta Synodus in vsum reuocat, non obstantibus quibuscũque statutis, & cõsuetudinibus. Omnes verò diuina per se & non per substitutos, compellantur obire officia: & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, adsistere & inseruire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotéque laudare. Vestitu insuper decenti tam in ecclesia quàm extra, assiduo vtantur: ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibúsque abstineant: atque ea morum integritate polleant, vt merito Ecclesiæ Senatus dici possit. Cætera, quæ ad debitum in diuinis officiis regimen spectant: déque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conueniendi, & permanendi, simúlque de omnibus ecclesiæ ministris, quæ necessaria erunt, & si qua huiusmodi: Synodus prouincialis, pro cuiusque prouinciæ vtilitate & moribus, certam cuique formulam præscribet. Interea verò Episcopus non minus, quàm cum duobus Canonicis, quorum vnus ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur, in iis quæ expedire videbuntur, proterit prouidere.

Caput XIII.

QVoniam pleræque Cathedrales Ecclesiæ tam tenuis redditus sunt & angustæ, vt Episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque ecclesiarum necessitati sufficiant: examinet Concilium prouinciale, vocatis iis quorum interest, & diligenter expendat, quas propter angustias, tenuitatémque vicinis vnire, vel nouis prouentibus augere expediat: confectáque de præmissis instrumenta ad summum Romanum Pontificem mittat, quibus instructus summus Pontifex ex prudentia sua, prout expedire iudicauerit, aut tenues inuicem vniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat. Interim verò, donec prædicta effectum sortiantur, huiusmodi Episcopis, qui fructuum subuentione pro diœcesis suæ tenuitate indigent: poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint, nec dignitates, seu canonicatus, & præbendæ, nec monasteria, in quibus viget Regularis obseruantia, vel quæ Capitulis generalibus, & certis Visitatoribus subduntur, à summo Romano Pontifice prouideri. In Parochialibus etiam ecclesiis, quarum

rum fructus æquè adeo exigui sunt: vt debitis nequeant oneribus satisfacere: curabit Episcopus, si per beneficiorum vnionem, non tamen regularium, id fieri non possit, vt primitiarum vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola aut collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, ac parochiæ necessitate decenter sufficiat. In vnionibus verò quibuslibet seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscunque, aut abbatiis, seu dignitatibus, siue præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, siue aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non vniantur: & quæ vnitæ sunt, reuideantur ab Ordinariis, iuxta aliâs decretum in eadem Synodo, sub fel. rec. Paulo III. quod etiam in vnitis ab eo tẽpore citrà æquè obseruetur: non obstantibus in iis, quibuscunque verborum formis, quæ hîc pro sufficienter expressis habeantur. Ad hæc in posterum, omnes hæ cathedrales ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, & parochiales, quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reseruationibus fructuum grauentur. In iis quoque ciuitatibus, ac locis, vbi parochiales ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscuè petentibus Sacramenta administrant: mandat sancta Synodus Episcopis pro tutiori animarũ eis commissarum salute, vt distincto populo in certas, propriasque parochias, vnicuique suum perpetuum peculiarémque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat: & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant: aut alio vtiliori modo, prout loci qualitas exegerit, prouideant. Idémque in iis ciuitatibus ac locis, vbi nullæ sunt parochiales, quam primum fieri curent: non obstantibus quibuscunque priuilegiis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Caput XIIII.

IN pluribus ecclesiis, tam cathedralibus, quàm collegiatis, & parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex praua consuetudine obseruari intelligitur, vt in electione, præsentatione, nominatione, institutione, cõfirmatione, collatione vel alia prouisione, siue admissione ad possessione alicuius cathedralis ecclesiæ, vel beneficii, canonicatuum, aut præbendarum, vel partẽ prouentuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ cõditiones, seu deductiones ex fructib⁹, solutiones, promissiones, compensationésve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus

ecclę

ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur: Hæc cùm sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, vt quæcunque huiusmodi in vsus pios non conuertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis aut sordidæ auaritiæ suspicionē habent, fieri non permittant: ipsique diligenter de eorum constitutionibus, siue consuetudinibus super prædictis cognoscant: & illis tantùm, quas vt laudabiles probauerint, exceptis, reliquas vt prauas ac scandalosas reiiciāt & aboleant. Eos verò, qui aduersus hæc in præsenti decreto cōprehensa, quauis ratione cōmiserit, pœnis contra simoniacos editis, sacris Canonibus, & variis summorum Pontificum Constitutionibus, quas omnes innouat, teneri decernit: non obstantibus quibuscunque statutis, constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis: de quarum subreptione, obreptione, & intentionis defectu Episcopus, tanquā Apostolicæ Sedis delegatus, cognoscere possit.

Caput XV.

IN Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus, vbi frequentes adeóque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, vt sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci & personarum qualitate non sufficiāt: liceat Episcopis cum consensu Capituli vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis vnire, vel si hac ratione prouideri non possit, aliquibus ex iis supressis, cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quarum fructus, & prouentus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere: ita tamen, vt tot supersint, quæ diuino cultui celebrando, ac dignitati ecclesiæ commodè valeant respondere: non obstantibus quibuscunque constitutionibus, & priuilegiis, aut quacunque reseruatione generali, vel speciali, aut affectione: neque prædictæ vniones, aut suppressiones tolli, seu impediri possint ex quibuscunque prouisionibus, etiam vigore resignationis aut quibusuis aliis derogationibus, vel suspensionibus.

Caput XVI.

CApitulum, Sede vacante, vbi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum vnum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum, & prouentuum curam gerant: quorum rationem ei, ad quem pertinebit sint reddituri. Item Officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi cōstituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in iure canonico

nonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs, quantum fieri poterit, idoneus, si secus factum fuerit, ad Metropolitanũ deputatio huiusmodi deuoluatur. Et si ecclesia Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulúmque, vt præfertur, negligens fuerit: tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Oeconomum & Vicarium idoneos posit constituere. Episcopus verò ad eandem ecclesiam vacantem promotus ex iis, quæ ad eum spectant, ab eisdem Oeconomo, Vicario, & aliis quibuscunque officialibus, & administratoribus, qui Sede vacante fuerunt à Capitulo vel ab aliis in eius locum constituti, etiam si fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, iurisdictionis, administrationis, aut cuiuscunque eorum muneris: posítque eos punire, qui in eorũ officio, seu administratione deliquerint: etiam si prædicti officiales, redditis rationibus, à Capitulo, vel à deputatis ad eodem, absolutionem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Episcopo teneatur Capitulum de scripturis ad ecclesiam pertinentibus, si quæ ad Capitulum peruenerunt, rationem reddere.

Caput XVII.

CVm ecclesiasticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum: sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi. Verùm quoniã multi improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum decipientes, ea, quæ bene cõstituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt: sancta Synodus debitã regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscunque personis quocunque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeant, mandat obseruari: statuit vt in posterum vnum tantùm beneficium ecclesiasti- um singulis conferatur: quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat: liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam secularia quàm regularia quæcunque, etiam commendata, pertineant, cuiuscũque tituli ac qualitatis existant. Illi verò, qui in præsenti plures parochiales ecclesias, aut vnam cathedralem & aliam parochialem obtinent: cogantur omnino, quibuscunque dispensationibus ac vnionibus ad vitam non obstantibus, vna tantùm parochiali, vel sola cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere: alioquin tam paro-

chiales, quàm beneficia omnia, quæ obtinent, ipso iure vacare censeantur: ac tanquam vacantia liberè aliis idoneis conferantur: nec ipsi anteà illa obtinentes, tuta conscientia, fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta Synodus, vt resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout summo Pontifici videbitur, prouideatur.

Caput XVIII.

EXpedit maximè animarum saluti, à dignis atque idoneis Parochis gubernari. Id vt diligẽtius ac rectius perficiatur, statuit sancta Synodus, vt cùm parochialis ecclesiæ vacatio, etiam si cura ecclesiæ vel Episcopo incumbere dicatur, & per vnum vel plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus, seu receptiuis nuncupatis, in quibus consueuit Episcopus vni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter quomodocunque contigerit, etiam si ipsa parochialis ecclesia reseruata, vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti, seu priuilegij in fauorẽ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, seu Abbatum, vel Capitulorum: debeat Episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere: qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore prouideatur. Porrò Episcopus, & qui ius patronatus habet, intra decem dies vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos nouerint, eorum nomina deferre, vt possit postea de cuiuslibet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo, aut Synodo prouinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, siue eo impedito, ab eius Vicario generali, atq; ab aliis examinatoribus non paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in diœcesana Synodo ab Episcopo, vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Aduenientéque vacatione cuiuslibet ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus

ſcopus,qui cum eo examen perficiant: indéque ſuccedente alia vacatione,aut eoſdem, aut alios tres,quos maluerit, ex prædictis illis ſex eligat. Sin verò hi examinatores,Magiſtri,ſeu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut iure canonico, vel alij Clerici, ſeu Regulares, etiam ex ordine mendicantium,aut etiam ſeculares,qui ad id videbuntur magis idonei, iuréntque omnes ad ſancta Dei Euangelia ſe, quacunque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros. Caueántque ne quidquam prorſus occaſione huius examinis nec antè,nec pòſt accipiant: alioqui ſimoniæ vitium tam ipſi quàm alij dantes incurrãt:à qua abſolui nequeant,niſi dimiſsis beneficiis, quæ quomodocunque etiam anteà obtinebant:& ad alia in poſterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non ſolùm coram Deo,ſed etiam Synodo prouinciali,ſi opus erit,rationem reddere teneantur:à qua, ſi quid contra officium eos feciſſe compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri poſsint. Peracto deinde examine renunciẽtur, quotcunque ab his idonei iudicati fuerint ætate,moribus, doctrina, prudentia,& aliis rebus ad vacantem eccleſiam gubernandam opportunis,ex hiſque Epiſcopus eum eligat,quem cæteris magis idoneum iudicauerit: atque illi,& non alteri collatio eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre. Si verò iurispatronatus eccleſiaſtici erit: ac inſtitutio ad Epiſcopum,& non aliùm pertineat: is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Epiſcopo præſentare teneatur,vt ab eo inſtituatur. Cùm verò inſtitutio ab alio,quàm ab Epiſcopo,erit facienda:tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorẽ,quem patronus ei præſentet,ad quem inſtitutio ſpectat. Quòd ſi iurispatronatus laicorum fuerit:debeat qui à patrono præſentatus erit, ab eiſdẽ deputatis,vt ſuprà,examinari,& non,niſi idoneus repertus fuerit, admitti. In omnibúſque ſupradictis caſibus non cuiquam alteri, quàm vni ex prædictis examinatis & ab examinatoribus approbatis, iuxta ſupradictam regulam, de eccleſia prouideatur: nec prædictorum examinatorum relationem,quo minus executionem habeat,vlla deuolutio aut appellatio, etiam ad Sedem Apoſtolicam, ſiue eiuſdem Sedis Legatos,aut Vicelegatos,aut Nuncios,ſeu Epiſcopos,aut Metropolitanos,Primates, vel Patriarchas interpoſita, impediat aut ſuſpendat: alioquin Vicarius, quem eccleſiæ vacãti anteà Epiſcopus arbitrio ſuo ad tempus deputauit, vel forſan poſteà deputabit:ab eius eccleſiæ cuſtodia & adminiſtratione nõ amoueatur,donec aut eidẽ,aut alteri,qui probatus & electus fuerit,vt ſuprà, ſit prouiſum:aliàs prouiſiones omnes,ſeu inſtitutiones præter ſupradictam formã,factæ,ſubreptitiæ eſſe

censeantur: non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis priuilegiis, præuentionibus, affectionibus, nouis prouisionibus, indultis concessis quibuscunque Vniuersitatibus, etiam ad certã summam, & aliis impedimentis quibuscunque. Si tamen adeo exigui redditus dictæ parochialis fuerint, vt totius huius examinationis operam non ferant: aut nemo sit, qui se examini quærat subiicere: aut ob apertas factiones, seu disidia, quæ in aliquibus locis reperiũtur, facilè grauiores rixæ, ac tumultus possint excitari, poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa priuatum aliud examen, cæteris tamen vt suprà seruatis, adhibere. Licebit etiam Synodo prouinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda, remittendáve esse censuerit, prouidere.

Caput XIX.

DEcernit sancta Synodus, Mandata de prouidendo, & gratias, quæ Expectatiuæ dicuntur, nemini amplius, etiam Collegiis, Vniuersitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quouis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquã vti licere. Sed nec reseruationes mentales, nec aliæ quæcũque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas ecclesias, vel monasteria alicui, etiam ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, concedãtur: & hactenus concessa, abrogata esse censeantur.

Caput XX.

CAusæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino, saltem infra biennium à die motæ litis, terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum iudices superiores, aliàs tamen competentes adire: qui causam in eo statu quo fuerit, assumant, & quamprimum terminari curent: nec anteà aliis committantur, nec auocentur: neque appellationes ab eisdem interpositæ, per Superiores quòscunque recipiantur: eorúmve commissio aut inhibitio fiat, nisi à definitiua vel à definitiuæ vim habente: & cuius grauamen per appellationem à definitiua reparari nequeat. Ab his excipiantur causæ, quæ iuxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ: vel quas ex vrgenti rationabilique causa iudicauerit summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum Signaturæ Sanctitatis suæ manu propria subscribendum, committere aut auocare.

re. Ad hæc causæ matrimoniales, & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & iurisdictioni relinquantur: etiam si in præsenti inter Episcopum & Decanum, seu Archidiaconum aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacunque instantia pendeat: coram quo si pars verè paupertatem probauerit, non cogatur extra prouinciam, nec in secunda, nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare: nisi pars altera & alimenta & expensas litis velit subministrare. Legati quoque, etiam de latere, Nuncij, Gubernatores ecclesiastici, aut alij quarumcunque facultatum vigore, non solùm Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorũ iurisdictionem iis præripere, aut turbare non præsumãt: sed nec etiam cõtra Clericos, aliásve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eóque negligẽte, procedant: aliâs eorum processus, ordinationésve nullius momenti sint: atque ad damni satisfactionem partibus illati, teneantur. Præterea, si quis in casibus à iure permissis appellauerit: aut de aliquo grauamine cõquestus fuerit: seu aliâs ob lapsum bienij (de quo suprà) ad alium iudicem recurrerit: teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen Episcopo prius admonito, vt si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit iudici appellationis significare. Quòd si appellatus cõpareat: cogatur tunc is quoque actorum quę translata sunt, expensas, pro portione sua (si illis vti voluerit) subire: nisi aliter ex loci consuetudine seruetur, vt scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porrò ipsam actorũ copiã teneatur notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius & ad minus intra mensem exhibere. Qui notarius si in differenda exhibitione fraudem fecerit: ab officij administratione arbitrio Ordinarij suspendatur: & ad dupli pœnam (quanti ea lis fuerit) inter appellantẽ & pauperes loci distribuendam, compellatur. Iudex verò si & ipse impedimenti huius conscius, particépsve fuerit, alitérve obstiterit, ne appellanti integrè acta intra tempus traderẽtur, ad eandẽ dupli pœnam (prout suprà) teneatur: non obstãtibus quoad omnia suprascripta priuilegiis, indultis concordiis, quæ suos tantùm teneant authores, & aliis quibuscunque consuetudinibus.

Caput XXI.

CVpiẽs sancta Synodus, vt ex decretis ab ea editis nulla vnquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa posita

in decreto, publicato Sessione prima sub Beatissimo Domino nostro Pio quarto, videlicet: Quæ proponentibus Legatis ac Præsidentibus, ad horum temporum leuandas calamitates, sedãdas de religione controuersias, coercendas linguas dolosas, deprauatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram & Christianam pacem conciliandam apta & idonea ipsi sanctæ Synodo videbuntur: explicando declarat, mentis suæ non fuisse, vt ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis vlla ex parte immutaretur: neque noui quidquam præter id quod à sacris Canonibus, vel generalium Synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur, vel detraheretur.

Indictio futuræ Sessionis.

INSVPER eadem sacrosancta Synodus proximam futuram Sessionem feria quinta post cõceptionem beatæ Mariæ virginis, quæ erit dies nona mensis Decembris proximè venturi, habendam esse statuit & decernit, cum potestate etiam abbreuiandi. In qua Sessione tractabitur de sexto nunc in eam dilato capite, & de reliquis reformationis capitibus iam exhibitis, déque aliis ad eam pertinentibus. Si verò opportunum videbitur, & tempus patietur, poterit etiam de nonnullis Dogmatibus tractari, prout suo tempore in Congregationibus proponetur.

Abbreuiata est dies Sessionis.

SESSIO XXV. QVÆ EST NONA, ET vltima sub Pio IIII. Pontifice Maximo, Cœpta die tertia, absoluta die quarta Decembris, M. D. LXIII.

Decretum de Purgatorio.

CVM Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex sacris literis & antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, & nouissimè in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse: animásque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio iuuari, præcipit sancta Synodus Episcopis, vt sanam de Purgatorio doctri

doctrinam,à ſanctis Patribus & ſacris Conciliis traditam, à Chriſti fidelibus credi,teneri,doceri, & vbique prædicari diligenter ſtudeant. Apud rudē verò plebē difficiliores ac ſubtiliores quęſtiones,quæq; ad ædificationem non faciūt,& ex quibus plerunque nulla fit pietatis acceſsio,à popularibus cōcionibus ſecludātur. Incerta itē vel quę ſpecie falſi laborant,euulgari ac tractari non permittant. Ea verò,quæ ad curioſitatem quandam aut ſuperſtitionem ſpectant,vel turpe lucrum ſapiunt:tanquam ſcandala & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Epiſcopi,vt fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia,orationes,eleemoſynæ,aliáque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri conſueuerunt, ſecundū Eccleſiæ inſtituta piè & deuotè fiant:& quæ pro illis ex teſtatorū fundationibus, vel alia ratione debentur,non perfunctoriè,ſed à ſacerdotibus & Eccleſiæ miniſtris,& aliis qui hoc præſtare tenentur, diligenter & accuratè perſoluantur.

De inuocatione, veneratione, & Reliquijs Sanctorum & ſacris imaginibus.

MAndat ſancta Synodus omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus curámque ſuſtinentibus,vt iuxta Catholicę & Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum à primæuis Chriſtianæ religionis temporibus receptum, ſanctorúmque Patrum conſenſionem, & ſacrorum Conciliorum decreta in primis de Sanctorum interceſsione, inuocatione, Reliquiarum honore, & legitimo imaginum vſu, fideles diligēter inſtruant,docentes eos, Sanctos vnà cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre: bonum atque vtile eſſe ſuppliciter eos inuocare: & ob beneficia impetranda à Deo per filium eius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & ſaluator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliúmque confugere: illos verò,qui negant Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes inuocandos eſſe: aut qui aſſerunt, vel illos pro hominibus non orare: vel eorum,vt pro nobis etiā ſingulis orent,inuocationē eſſe idololatriam: vel pugnare cum verbo Dei: aduerſarique honori vnius mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti: vel ſtultum eſſe,in cælo regnantibus voce vel mente ſupplicare:impiè ſentire.

Sanctorum quoque Martyrum & aliorum cum Chriſto viuētium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus ſancti: ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda,à fi-

delibus

delibus veneranda esse: per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur: ita vt affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi: vel eas, aliáque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari: atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustrà frequentari: omnino damnandos esse, prout iampridem eos damnauit,& nunc etiam damnat Ecclesia. Imagines porrò Christi, Deiparæ virginis,& aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas, eísque debitum honorem, & venerationem impertiendam: non quòd credatur inesse aliqua in iis diuinitas, vel virtus propter quam sint colendæ: vel quòd ab eis sit aliquid petendum: vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda: veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita vt per imagines, quas osculamur & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus: & Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Illud verò diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, eruditi & confirmari populum in articulis fidei commemorandis,& assiduè recolẽdis: tũ verò ex omnibus sacris imaginibus magnũ fructum percipi: non solùm quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt: sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur: vt pro iis Deo gratias agant: ad Sanctorúmque imitationem vitam, mórésque suos componant: excitentúrque ad adorandum ac diligẽdum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit: anathema sit.

In has autem sanctas & salutares obseruationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit: ita vt nullæ falsi Dogmatis imagines & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur. Quòd si aliquando historias, & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit: doceatur populus, non propterea diuinitatem figurâri, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porrò superstitio in Sanctorum inuocatione, Reliquiarum veneratione,& imaginum sacro vsu tollatur: omnis turpis quæstus eliminetur: omnis deinde lasciuia vitetur: ita vt procaci venustate ima

te imagines non pingantur, nec ornentur: & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur: quasi festi dies in honorē Sanctorum per luxum, ac lasciuiam agantur. Postremo, tanta circa hæc diligentia & cura ab Episcopis adhibeatur, vt nihil inordinatum, aut præposterè & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat: cùm domum Dei deceat sanctitudo. Hæc vt fideliùs obseruentur, statuit sancta Synodus, nemini licere vllo in loco vel Ecclesia, etiā quomodolibet exempta, vllam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda esse noua miracula, nec nouas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo, qui simulatque de iis aliquid compertum habuerit: adhibitis in consilium Theologis & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati & pietati cōsentanea iudicauerit. Quòd si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus: vel omnino aliqua de iis rebus, grauior quæstio incidat, Episcopus, antequam controuersiam dirimat, Metropolitani & comprouincialium Episcoporum in Concilio prouinciali sententiam expectet: ita tamen, vt nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice, nouum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

De Regularibus, & Monialibus.

EAdem sacrosancta Synodus, reformationem prosequens, ea, quæ sequuntur, statuenda esse, censuit.

Caput I.

QVoniam non ignorat sancta Synodus, quantum ex monasteriis piè institutis & rectè administratis, in Ecclesia Dei splendoris, atque vtilitatis oriatur: necessarium esse cēsuit, quo facilius ac maturius, vbi collapsa est, vetus & regularis disciplina instauretur, & constantius, vbi conseruata est, perseueret, præcipere, prout hoc decreto præcipit, vt omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant & componant: atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respectiuè essentiam, necnon ac communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertinentia, fideliter obseruent. Omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur tam in capitulis generalibus & prouincialibus, quàm in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittāt,

vt ab illis non recedatur: cùm compertum sit, ab eis non posse ea quæ ad substãtiam Regularis vitæ pertinẽt, relaxari. Si enim illa, quæ bases sunt & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata: totum corruat ædificium necesse est.

Caput II.

NEmini igitur Regulariũ, tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conuentus possidere vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, conuentuíque incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari cõcedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum, monasteriorum, seu conuentuum ad solos Officiales eorundem ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis quam profesi sunt, conueniat: nihílque superflui in ea sit: nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur. Quòd si quis aliter quidquã tenere deprehensus aut conuictus fuerit: is biennio actiua & passiua voce priuatus sit: atque etiam iuxta suæ Regulæ, & Ordinis constitutiones puniatur.

Caput III.

COncedit sancta Synodus omnibus monasteriis, & domibus tam virorum quàm mulierum, & mendicantium, exceptis domibus Fratrum sancti Francisci Cappuccinorum, & eorũ qui Minorum de obseruantia vocantur, etiã quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat cõcessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quòd si aliqua loca ex prædictis, quibus authoritate Apostolica similia bona possidere permissum erat, eis spoliata sint: eadẽ omnia illis restituenda esse decernit. In prędictis autẽ monasteriis, & domibus tam virorum quàm mulierum, bona immobilia possidẽtibus, vel non possidẽtibus, is tãtùm numerus constituatur, ac in posterũ conseruetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari: nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.

Caput IIII.

PRohibet sancta Synodus, ne quis Regularis, sine sui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis pij operis prætextu

textu, subiiciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuersitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuscunque personæ seu loci: neque ei aliquod priuilegium aut facultas ab aliis super iis obtenta, suffragetur. Quòd si contrà fecerit: tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi: nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit: ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur, in conuentibus tantùm habitent: alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

Caput V.

BOnifacij Octaui constitutionem, quæ incipit, Periculoso, renouans sancta Synodus, vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, vt in omnibus monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ authoritate, clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procuret: inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliásque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Quod auxilium vt præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur sancta Synodus; & sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrendâ, omnibus magistratibus secularibus iniungit. Nemini autem Sanctimoniali liceat post professionem exire à monasterio, etiam ad breue tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda: indultis quibuscunque & priuilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa monasterij nemini liceat, cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantùm Episcopus vel Superior licentiam debet in casibus necessariis: neque aliis vllo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Et quia monasteria Sanctimonialium extra mœnia vrbis vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus sine vlla sæpe custodia sunt exposita: curent Episcopi & alij Superiores (si ita videbitur expedire) vt Sanctimoniales ex eis ad noua vel antiqua monasteria intra vrbes, vel oppida frequentia reducantur, in-

uocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachij secularis. Impedientes verò, vel non obediẽtes per censuras Ecclesiasticas parere cõpellant.

Caput VI.

IN electione quorumcunque Superiorum Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atq; aliarum Prępositarum, quo omnia rectè & sine vlla fraude fiant, in primis sancta Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta: ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunque Titulares ad effectum electionis faciendæ constituere: aut voces & suffragia absentium supplere. Si verò contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit: & is, qui ad hunc effectum se in prouincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit: deinceps ad omnia Officia in religione obtinenda inhabilis existat: facultatésque super his concessæ, eo ipso abrogatæ censeantur: & si in posterum aliæ concedantur, tanquam subreptitiæ habeantur.

Caput VII.

ABbatissa, & Prioriſſa, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præpositа appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quę octo annis post expressam professionẽ laudabiliter vixerit. Quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur: ex iis quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo vel alio Superiore consentiente, eligatur. Duobus verò monasteriis nulla præficiatur. Et si qua duo, vel plura quocũque modo obtinet: cogatur, vno excepto, intra sex menses cętera resignare. Post id verò tempus nisi resignauerit, omnia ipso iure vacent. Is verò qui electioni præest, Episcopus, siue alius Superior claustra monasterij non ingrediatur: sed ante cãcellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis seruẽtur singulorum Ordinum, vel monasteriorum consuetudines.

Caput VIII.

MOnasteria omnia, quæ generalibus Capitulis aut Episcopis non subsunt, nec suos habẽt ordinarios regulares Visitatores, sed sub immediata Sedis Apostolicæ protectione ac directione regi consueuerunt: teneantur infra annum à fine præsentis Concilij, & deinde

deinde quolibet triennio seſe in congregationes redigere, iuxta formam Constitutionis Innocentij Tertij in Concilio generali, quæ incipit, In singulis: ibique certas regulares personas deputare, quæ de modo & ordine, de prædictis congregationibus erigendis, ac statutis in eis exequendis deliberent & statuant. Quòd si in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano, in cuius prouincia prædicta monasteria sunt, tãquam Sedis Apostolicæ delegato, eos pro prædictis causis conuocare. Quòd si intra limites vnius prouinciæ non sit sufficiẽs talium monasteriorum numerus ad erigendam cõgregationem: possint duarum, vel trium prouinciarum monasteria vnam facere congregationem. Ipsis autem congregationibus constitutis, illarum generalia Capitula & ab illis electi Præsides, vel Visitatores eandem habeant auctoritatem in suæ cõgregationis monasteria, ac regulares in eis cõmorantes, quam alij Præsides ac Visitatores in cæteris habent Ordinibus: teneantúrque suæ congregationis monasteria frequenter visitare: & illorum reformationi incumbere: & ea obseruare, quæ in sacris Canonibus, & in hoc sacro Concilio sunt decreta. Quòd si etiam metropolitano instante prædicta exequi non curauerint: Episcopis, in quorum diœcesibus loca prædicta sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, subdantur.

Caput IX.

MOnasteria Sanctimonialium, sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, etiam sub nomine Capitulorũ sancti Petri, vel sancti Ioannis, vel aliâs quomodocunque nuncupẽtur, ab Episcopis tanquam dictæ Sedis delegatis, gubernentur, non obstantibus quibuscunque. Quæ verò à deputatis in Capitulis generalibus, vel aliis Regularibus reguntur: sub eorum cura & custodia relinquantur.

Caput X.

ATtendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores monasteriorum Sanctimonialium, vt in cõstitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant: & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant: vt eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur: qui omnium confessiones audire debeat. Quòd verò sanctissimum Christi corpus intra chorum, vel sepra monasterij, & non in publica ecclesia conseruetur, prohibet sancta Synodus: non obstante

quocunque indulto aut priuilegio.

Caput XI.

IN monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas quæ sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personæ tam regulares, quàm seculares huiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationē pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amouibiles, deputentur, nisi de eiusdem consensu, ac præuio examine, per eum aut eius Vicarium faciendo, excepto monasterio Cluniacēsi cū suis limitibus, & exceptis etiam iis monasteriis seu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis, seu domibus in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores iurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos, & parochianos exercent: saluo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in prædicta loca, vel personas iurisdictionem exercent.

Caput XII.

CEnsuræ, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum ecclesiis publicentur atque seruētur. Dies etiam festi, quos in diœcesi sua seruandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, seruentur.

Caput XIII.

COntrouersias omnes de præcedentia, quæ persæpe maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam seculares, quàm regulares, cùm in processionibus publicis, tum in iis quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, & non obstātibus quibuscunque, componat. Exempti autem omnes tam Clerici seculares quàm regulares, quicūque, etiam monachi ad publicas processiones vocati, accedere compellantur: iis tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.

Caput XIIII.

REgularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit: Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum

gendum, seuerè puniatur: ac de punitione Episcopum certiorem faciat. Sin minus, à suo Superiore officio priuetur: & delinquens ab Episcopo puniri possit.

Caput XV.

IN quacunque religione tam virorum quàm mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitū in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem, anteà facta, sit nulla: nullámque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus.

Caput XVI.

NVlla quoque renunciatio, aut obligatio anteà facta, etiam cum iuramento vel in fauorem cuiuscūque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem: ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiā si cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita & nullius effectus. Finito tempore nouitiatus, Superiores, nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant: aut è monasterio eos eiiciāt. Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possint: sed neque ante professionem, excepto victu & vestitu, nouitij, vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu, à parentibus vel propinquis, aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur: ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam vel maiorem partem substantiæ suæ monasteriū possideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit: quin potius præcipit sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat: & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant. Quod vt rectè fiat, Episcopus, etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

Caput XVII.

LIbertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens sancta Synodus statuit, atque decernit, vt si puella, quæ habitum regulare suscipere voluerit, maior duodecim annis sit: non anteà, eum suscipiat: nec posteà ipsa vel alia professionē emittat, quàm exploraverit

uerit Episcopus, vel (eo absente vel impedito) eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat: & si voluntas eius pia, ac libera cognita fuerit, habuerítque conditiones requisitas iuxta monasterij illius & Ordinis regulam: necnon monasterium fuerit idoneum: liberè ei profiteri liceat. Cuius professionis tẽpus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta monasteriorum eum ante mensem certiorem facere. quòd si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

Caput XVIII.

ANathemati sancta Synodus subiicit omnes & singulas personas, cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm laicos, seculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, vel ad emittendam professionem: quíque consilium, auxilium, vel fauorem dederint quíque scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere: quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam virginũ, vel aliarum mulierum voluntatem, veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impedierint. Eáque omnia & singula, quæ ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, seruentur non solùm in monasteriis subiectis Episcopo, sed & in aliis quibuscunque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pœnitentes, aut Conuertitæ appellantur: in quibus constitutiones earum seruentur.

Caput XIX.

QVicunque Regularis prętendat, se per vim & metum ingressum esse religionem: aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse: aut quid simile: velítque habitum dimittere quacunque de causa: aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum: non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quòd si antè habitum sponte dimiserit: nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur: sed ad monasterium

sterium redire cogatur,& tanquã apostata puniatur:interim verò nullo priuilegio suæ religionis iuuetur. Nemo etiam Regularis cuiuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem: nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suæ religionis.

Caput XX.

ABbates,qui sunt Ordinum Capita,ac cæteri prædictorum Ordinum Superiores,Episcopis non subiecti, quibus est in alia inferiora monasteria, Prioratúsve legitima iurisdictio, eadē illa sibi subdita monasteria & Prioratus, suo quisque loco atque ordine, ex officio visitent, etiam si commendata existant. Quæ cùm Ordinum suorum Capitibus subsint,declarat sancta Synodus,in iis quæ aliâs de visitatione monasteriorum commendatorũ definita sunt, non esse comprehensa: teneantúrque quicũque prædictorum Ordinum Monasteriis præsunt, prædictos Visitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipsa quoque monasteria,quæ sunt Ordinum Capita,iuxta sanctæ Sedis Apostolicæ & cuiusque Ordinis constitutiones visitentur. Et quam diu durabunt huiusmodi commendæ,Priores claustrales,aut in Prioratibus conuentum habentibus, Subpriores, qui correctiones, & spirituale regimen exercent,à Capitulis generalibus,vel ipsorũ Ordinum Visitatoribus instituantur. In cæteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia & facultates,quæ ipsorum personas, loca, & iura concernunt,firma sint,& illæsa.

Caput XXI.

CVm pleraque monasteria,etiam Abbatiæ, Prioratus,& Præposituræ ex mala eorum quibus commissa fuerunt,administratione, non leuia passa fuerint tam in spiritualibus, quàm in temporalibus detrimenta:cupit sancta Synodus ea ad congruam monasticæ vitæ disciplinam omnino reuocare. Verùm adeò dura, difficilisque est præsentium temporum conditio,vt nec statim omnibus, nec commune vbique,quod optaret, remedium possit adhiberi: vt tamen nihil prætermittat,vnde prædictis salubriter aliquando prouideri possit:primùm quidem confidit, Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate,& prudentia curaturum (quantum hæc tempora ferre posse viderit) vt iis,quæ nunc commendata reperiuntur,& quæ suos conuentus habent,regulares personæ,eiusdem Ordinis expresse professæ,& quæ gregi præire & præesse possint, præficiantur. Quæ verò in posterum vacabunt,non nisi Regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis conferantur. Quo ad ea verò monasteria,quæ Capita sunt,ac Primates Or-

dinum, siue Abbatiæ, siue Prioratus, filiæ illorum Capitum nuncupantur: teneantur illi, qui in præsenti ea in commenda obtinent, nisi sit eis de regulari successore prouisum, infra sex menses religionem illorum Ordinum propriam solenniter profiteri, aut iis cedere: aliàs commendæ prædictæ ipso iure vacare censeantur. Ne autem in prædictis omnibus & singulis fraus aliqua adhiberi possit: mandat sancta Synodus, vt in prouisionibus dictorum monasteriorum, qualitas singulorum nominatim exprimatur: aliterque facta prouisio subreptitia esse censeatur: nullaque subsequenti possessione, etiã triennali, adiuuetur.

Caput XXII.

HAec omnia & singula in superioribus decretis contenta, obseruari sancta Synodus præcipit in omnibus cœnobiis, ac monasteriis, collegiis, ac domibus quorumcunque monachorum, ac regularium, necnon quarumcunque Sanctimonalium virginum, ac viduarum, etiam si illæ sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanæ, viuant, & quocunque nomine appellentur, sub quacunque regula vel constitutionibus, & sub custodia, vel gubernatione, vel quauis subiectione, aut annexione, vel dependentia cuiuscunque Ordinis, mendicantium, vel non medicantium, vel aliorum regularium monachorum, aut Canonicorum quorumcunque: non obstantibus eorum omnium, & singulorum priuilegiis sub quibuscunque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum, appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon constitutionibus, & regulis etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus. Si qui verò Regulares tam viri, quàm mulieres sunt, qui sub arctiori regula, vel statutis viuunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto & obseruantia sancta Synodus amouere non intendit. Et quia sancta Synodus desiderat, vt omnia & singula supradicta quam primum executioni demandentur: præcipit omnibus Episcopis, in monasteriis sibi subiectis, & in omnibus aliis, ipsis in superioribus decretis specialiter cõmissis, atque omnibus Abbatibus, ac Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum supradictorum, vt statim prædicta exequantur. Et si quid executioni mãdatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia prouincialia suppleant, & coerceant. Regularium verò Capitula prouincialia, & generalia, & in defectum Capitulorum generalium Concilia prouincialia per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis prouideant. Hortatur etiam sancta

Syno

Synodus omnes Reges, Principes, Resp. & Magistratus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, vt velint prædictis Episcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & cæteris Præfectis in superius contentæ reformationis executione suum auxilium & auctoritatem interponere, quoties fuerint requisiti: vt sine vllo impedimento præmissa rectè exequantur ad laudem Dei omnipotentis.

Decretum de Reformatione.

Caput I.

OPtandum est, vt ij qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes, agnoscant: ac se non ad propria cõmoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cælestem patriam cogitantes. Hæc cùm ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse sancta Synodus animaduertat: admonet Episcopos omnes, vt secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant: in primis verò ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac (quæ nos tantopere commendat Deo) sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter, exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solùm iubet, vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint: verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo cautant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quódque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus ecclesiæ consanguineos, familiaréve suos augere studeant: cùm & Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed, si pauperes sint, iis, vt pauperibus distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: immo, quam maximè potest, eos sancta Synodus monet, vt omnem humanũ hunc erga fratres, nepotes, propinquósque carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminariũ extat, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt: eadẽ non solùm in quibuscunq; beneficia Ecclesiastica, tam secularia, quàm Regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione

obseruari,sed ad sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales pertinere decernit,quorum consilio apud Sanctissimũ Romanum Pontificem cùm vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus,ac viuendi disciplina eos fulgere, quæ merito omnium in se óculos conuertant.

Caput II.

COgit temporum calamitas,& inualescentium hæresum malitia, vt nihil sit prætermittendum, quòd ad populorum ædificationem,& Catholicæ fidei præsidium videatur posse pertinere. Præcipit igitur sancta Synodus Patriachis,Primatibus, Archiepiscopis,Episcopis,& omnibus aliis,qui de iure, vel consuetudine in Cõcilio prouinciali interesse debent,vt in ipsa prima Synodo prouinciali, post finem præsentis Concilij habenda,ea omnia & singula,quæ ab hac sancta Synodo definita,& statuta sunt, palam recipiant: necnon verã obedientiam summo Romano Pontifici spondeant, & profiteantur,simúlque hæreses omnes à sacris Canonibus, & generalibus Conciliis, præsertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publicè detestentur, & anathematizent. Idemque in posterum quicunque in Patriarchas, Primates,Archiepiscopos,Episcopósque promouendi, in prima Synodo prouinciali,in qua ipsi interfuerint, omnino obseruent. Quòd si quis ex supradictis omnibus(quod absit)renuerit:Episcopi comprouinciales statim summum Romanum Pontificem admonere sub pœna diuinæ indignationis teneantur:interimque ab eiusdem communione abstineant. Cæteri verò omnes siue in præsenti,siue in futurum beneficia ecclesiastica habituri, & qui in Synodo diœcesana cõuenire debent, idem,vt suprà,in ea Synodo, quæ primo quoque tẽpore celebrabitur, faciant, & obseruent:aliàs secundum formam sacrorũ Canonum puniantur. Ad hæc,omnes ij,ad quos Vniuersitatum,& Studiorum generalium cura, visitatio, & reformatio pertinet, diligenter curent,vt ab eisdem Vniuersitatibus Canones,& Decreta huius sanctæ Synodi integrè recipiantur:ad eorúmque normã Magistri, Doctores, & alij in eisdem Vniuersitatibus ea quæ Catholicæ fidei sunt,doceãt, & interpretentur:seque ad hoc institutum initio cuiuslibet anni solẽni iuramento obstringant: sed & si aliqua alia in prædictis Vniuersitatibus correctione,& reformatione digna fuerint,ab eisdẽ,ad quos spectat,pro religionis,& disciplinæ ecclesiasticæ augmento emẽdentur, & statuantur. Quæ verò Vniuersitates immediatè summi Romani Põtificis protectio

tectioni, & visitationi sunt subiectæ: has sua Beatitudo per eius delegatos eadē qua suprà, ratione, & prout ei vtilius visum fuerit, salubriter visitari, & reformari curabit.

Caput III.

QVamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobriè tamen, magnáque circunspectione exercendus est: cùm experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari: & pernicem potius parere, quàm salutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis, ad finem reuelationis (vt aiunt) aut pro deperditis, seu subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo, decernantur: & tunc non aliàs, quàm ex re non vulgari, causáque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ eius animum moueat: nec ad eas concedendas cuiusuis secularis, etiā Magistratus authoritate adducatur: sed totum hoc in eius arbitrio, & conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse iudicauerit. In causis verò iudicialibus mandatur omnibus iudicibus Ecclesiasticis, cuiuscunque dignitatis existant, vt quandocunque executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicij propria authoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quàm definiendo, à censuris ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis ciuilibus, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias: quæ locis piis, ibi existentibus, eo ipso, quòd exactæ fuerint, assignentur: seu per captionē pignorum, personarúmque districtionem, per suos proprios, aut alienos executores faciendam, siue etiā per priuationem beneficiorum, aliáque iuris remedia procedere, & causas definire. Quòd si executio realis, vel personalis aduersus reos hac ratione fieri non poterit: sitque erga iudicem cōtumacia: tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo, præter alias pœnas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, vbi executio realis vel personalis (vt suprà) fieri poterit, erit à censuris abstinendum: sed si dictæ executioni facilè locus esse non possit: licebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes vti: si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. Nefas autem sit seculari cuilibet magistratui prohibere Ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet:

aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, sub prætextu, quòd contẽta in præsenti decreto nõ sint obseruata; cùm non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excõmunicatus verò quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solùm ad sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur: sed, si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit: etiam contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi possit.

Caput IIII.

COntingit sæpe in quibusdam Ecclesiis vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, vt illis pro singulis diebus, à testatoribus præscriptis nequeat satisfieri: vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri subiicere: vnde depereunt piæ testantium voluntates: & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta Synodus, cupiẽs hæc ad pios vsus relicta, quo plenius, & vtilius potest impleri, facultatem dat Episcopis, vt in Synodo diœcesana, itémque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis ecclesiis, quas hac prouisione indigere cognouerint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque ecclesiarum vtilitatem viderint expedire: ita tamen, vt eorum semper defunctorum cõmemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios vsus reliquerunt.

Caput V.

RAtio postulat, vt illis quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur, quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur: seu certa illis onera sunt iuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur. Idem in præbendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocunque ita constituta fuerint, obseruetur, vt eorum qualitatibus, vel Ordinibus nihil in vlla prouisione detrahatur: & aliter facta prouisio subreptitia censeatur.

Caput

Caput VI.

STatuit ſancta Synodus, vt in omnibus Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis decretum ſub felicis recordationis Paulo tertio, quod incipit, Capitula cathedralium, obſeruetur, non ſolùm quando Epiſcopus viſitauerit: ſed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicuius, contra aliquem ex contentis in dicto decreto, procedat: ita tamen, vt cùm extra viſitationẽ proceſſerit, infraſcripta omnia locum habeant: videlicet, vt Capitulũ initio cuiuſlibet anni eligat ex Capitulo duos: de quorum conſilio, & aſſenſu Epiſcopus vel eius Vicarius, tam in formando proceſſum, quàm in cæteris omnibus actibus vſque ad finem cauſæ incluſiuè, coram notario tamen ipſius Epiſcopi, & in eius domo, aut conſueto tribunali procedere teneatur. Vnum autem tantùm ſit vtriuſque votum: poſſitque alter Epiſcopo accedere. Quod ſi ambo ab Epiſcopo diſcordes in aliquo actu, ſeu interlocutoria, vel definitiua ſententia fuerint: tunc intra ſex dierum ſpatium cum Epiſcopo tertium eligant, & ſi in electione tertij etiam diſcordent: ad vicinioremEpiſcopum electio deuoluatur: & iuxta eam partem, cum qua tertius conueniet, articulus in quo erat diſcordia, terminetur: aliàs proceſſus & inde ſecuta nulla ſint, nullóſque producant iuris effectus. In criminibus tamen ex incontinẽtia prouenientibus, de qua in decreto de concubinariis, & in atrocioribus delictis, depoſitionem, aut degradationem requirentibus, vbi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, & ideo opus ſit perſonali detentione, poſſit initio ſolus Epiſcopus ad ſummariam informationem, & neceſſariam detentionem procedere: ſeruato tamen in reliquis ordine prẽmiſſo. In omnibus autem caſibus ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti, ac perſonarum, delinquentes ipſi in loco decenti cuſtodiantur. Epiſcopis præterea vbique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par eſt: eiſque in Choro, & in capitulo, in Proceſſionibus, & aliis actibus publicis ſit prima ſedes, & locus, quem ipſi elegerint, & præcipua omnium rerum agẽdarum authoritas. Qui ſi aliquid Canonicis ad deliberãdum proponant: nec de re ad ſuum, vel ſuorum cõmodum ſpectante agatur: Epiſcopi ipſi Capitulum conuocent: vota exquirant: & iuxta ea concludant. Abſente verò Epiſcopo omnino hoc ab iis de Capitulo, ad quos hoc de iure vel conſuetudine ſpectat, perficiatur: nec ad id Vicarius Epiſcopi admittatur. Cæteris autẽ in rebus Capituli iuriſdictio & poteſtas (ſi qua eis competit) & bonorũ adminiſtratio ſalua & intacta omnino relinquatur. Qui verò nõ obtinẽt dignitates, nec ſunt de Capitulo: hi omnes in

cauſis

cauſis eccleſiaſticis Epiſcopo ſubiiciantur: non obſtantibus, quo ad ſupradicta, priuilegiis, etiam ex fundatione competentibus, necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ſententiis, iuramentis, concordiis, quæ tantùm ſuos obligent authores: ſaluis tamen in omnibus priuilegiis, quæ Vniuerſitatibus Studiorum generalium, ſeu earum perſonis ſunt conceſſa. Hæc autem omnia & ſingula in iis eccleſiis locum non habeant, in quibus Epiſcopi, aut eorum Vicarij ex conſtitutionibus, vel priuilegiis, aut conſuetudinibus, ſiue concordiis, ſeu quocunque alio iure maiorem habent poteſtatem, authoritatem, ac iuriſdictionem, quàm præſenti decreto ſit comprehenſum: quibus ſancta Synodus derogare non intendit.

Caput VII.

CVm in beneficiis eccleſiaſticis ea, quæ hæreditariæ ſucceſſionis imaginem referūt, ſacris conſtitutionibus ſint odioſa, & Patrum decretis contraria: nemini in poſterum acceſſus, aut regreſſus, etiam de conſenſu, ad beneficium eccleſiaſticum cuiuſcunque qualitatis concedatur: nec hactenus conceſsi ſuſpendantur, extendantur, aut *transferātur*. Hócque decretum in quibuſcunque beneficiis eccleſiaſticis, ac etiam cathedralibus eccleſiis, ac in quibuſcunque perſonis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. In Coadiutoriis quoque cum futura ſucceſsione idem poſthac obſeruetur: vt nemini in quibuſcunque beneficiis eccleſiaſticis permittantur. Quòd ſi quando Eccleſiæ cathedralis, aut monaſterij vrgens neceſsitas, aut euidens vtilitas poſtulet Prælato dari Coadiutorem: is non aliàs cum futura ſucceſsione detur, quàm hæc cauſa prius diligenter à Sanctiſſimo Romano Pontifice ſit cognita: & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ à iure, & decretis huius ſanctæ Synodi in Epiſcopis & Prælatis requiruntur: aliàs conceſsiones ſuper his factæ ſubreptitiæ eſſe cenſeantur.

Caput VIII.

ADmonet ſancta Synodus quoſcunque Eccleſiaſtica beneficia, ſecularia, ſeu regularia obtinentes, vt hoſpitalitatis officium à ſanctis Patribus frequenter commēdatum (quantum per eorum prouentus licebit) promptè benignéque excercere aſſueſcant: memores, eos, qui hoſpitalitatem amant, Chriſtum in hoſpitibus recipere. Illis verò, qui hoſpitalia vulgo nuncupata, ſeu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorū, ſenum, pauperúmve vſum præcipuè inſtituta, in commendam

mendam,administrationē,aut quemcunque titulum,aut etiā Ecclesiis suis vnita,obtinent: vel si Ecclesiæ parochiales hospitalibus forte vnitæ, aut in hospitalia erectæ, earúmque patronis in administrationem concessæ sint: præcipit omnino, vt impositum illis onus, officiúmve administrent, atque hospitalitatem quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceāt, iuxta Constitutionem Concilij Viennensis, aliàs in hac eadem Synodo sub felicis recordationis Paulo tertio innouatam,quæ incipit,Quia contingit. Quòd si hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta: nec in loco,vbi sunt dicta hospitalia, similes personæ,aut perpaucæ reperiantur: mandat adhuc,vt fructus illorum in alium pium vsum,qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore vtilior, conuertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo,qui rerum vsu peritiores sint,per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit: nisi aliter forte, etiam in hunc euentum, in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum: quo casu,quod ordinatum fuit, obseruari curet Episcopus: aut, si id non possit,ipse(prout suprà)vtiliter prouideat. Itaque si prædicti omnes,& singuli, cuiuscunque Ordinis,& religionis,& dignitatis,etiam si laici fuerint,qui administrationem hospitalium habent, non tamen regularibus subiecti,vbi viget regularis obseruantia,ab Ordinario moniti hospitalitatis munus adhibitis omnibus, ad quæ tenentur,necessarijs, rē ipsā obire cessauerint: non solùm per Ecclesiasticas censuras, & alia iuris remedia ad id cōpelli possint: sed etiam hospitalis ipsius administratione, curáve priuari perpetuo possint: aliíq; eorum loco ab iis,ad quos spectabit,substituantur. Et prædicti nihilominus,etiā ad fructuū restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, quæ nulla eis remissione,aut compositione indulgeatur, in foro conscientiæ teneantur: nec administratio,seu gubernatio huiusmodi locorum vni & eidem personæ vltra triennium deinceps committatur: nisi aliter in fundatione cautum reperiatur: non obstante, quo ad omnia supradicta,quacunque vnione,exemptione,& consuetudine in contrarium,etiam immemorabili,seu priuilegiis, aut indultis quibuscunque.

Caput IX.

SIcuti legitima patronatuum iura tollere,piásque, fidelium voluntates in eorum institutione, violare æquum non est: sic etiam vt hoc colore beneficia ecclesiastica in seruitutē (quod à multis impu-

denter fit) redigantur, non est permittendū. Vt igitur debita in omnibus ratio obseruetur: decernit sancta Synodus, vt titulus iurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione: qui ex authētico documento, & aliis iure requisitis ostēdatur: siue etiā ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimū temporis cursum, qui hominū memoriam excedat, aliásve secundum iuris dispositionem. In iis verò personis, seu Vniuersitatibus, in quibus id ius plerúmque ex vsurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes, etiam continuatæ, non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficiis, tam secularibus, quàm regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscunq; aliis beneficiis, in cathedrali, vel collegiata Ecclesia: seu facultates, & priuilegia cōcessa, tam in vim patronatus quàm alio quocunq; iure nominandi, eligendi, præsentandi ad ea, cùm vacant, exceptis patronatibus, super cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu regna possidentes, aliósque sublimes, ac supremos Principes, iura Imperij in dominiis suis habentes, pertinent: & quæ in fauorem Studiorum generalium concessa sunt, in totum prorsus abrogata, & irrita cum quasi possessione inde secuta intelligantur. Beneficiáque huiusmodi, tanquam libera, à suis collatoribus conferātur: ac prouisiones huiusmodi plenum effectum consequantur. Ad hæc liceat Episcopo, præsentatos à patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quòd si ad inferiores institutio pertineat: ab Episcopo tamen, iuxta aliàs statuta ab hac sancta Synodo examinentur: alioquin institutio ab inferioribus facta, irrita sit, & inanis. Patroni autem beneficiorum, cuiuscunque Ordinis & dignitatis, etiam si Communitates, Vniuersitates, collegia quæcunque Clericorum, vel laicorū existant, in perceptione fructuum, prouentuum obuētionum quorumcunque beneficiorum, etiam si verè de iure patronatus ipsorum ex fundatione, & dotatione essent, nullatenus, nullá ve causa vel occasione se ingerant: sed illos liberè Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiam quacunque consuetudine, distribuendos dimittant. Nec dictum ius patronatus venditionis, aut alio quocunque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre præsumant: si secus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis subiiciantur: & dicto iure patronatus, ipso iure priuati existant. Insuper accessiones, per

viam

viam vnionis factæ de beneficiis liberis, ad Ecclesias iurispatronatui, etiam laicorum, subiectas, tam parochiales, quàm ad alia quæcunque beneficia, etiam simplicia, seu dignitates, vel hospitalia, ita vt prædicta beneficia libera eiusdem naturæ cum iis quibuscum vniuntur, efficiantur, atque sub iure patronatus constituantur. Hæ si nondum plenarium sortitæ sunt effectum: vel deinceps ad cuiusuis instantiam fient, quacunque authoritate, etiam Apostolica, concessæ fuerint: simul cum vnionibus ipsis per subreptionem obtentæ intelligantur: non obstante quacunque in iis verborum forma, seu derogatione, quæ habeatur pro expressa: nec executioni amplius demandentur: sed beneficia ipsa vnita cùm vacauerint, liberè vt anteà, conferantur. Quæ verò à quadraginta annis citrà factæ, effectum & plenam incorporationem sunt consecutæ: hæ nihilominus ab Ordinariis, tanquam à Sede Apostolica delegatis, reuideantur & examinentur: ac quæ per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, simul cum vnionibus irritæ declarentur: ac beneficia ipsa separentur, & aliis conferantur. Similiter quoque patronatus quicunque in Ecclesiis, & quibuscunque aliis beneficiis, etiam dignitatibus anteà liberis, acquisiti à quadraginta annis citrà, & in futurum acquirendi, seu ex augmento dotis, seu ex noua constructione, vel alia simili causa, etiam authoritate Sedis Apostolicæ, ab iisdem Ordinariis, vti delegatis, vt suprà, qui nullius in his facultatibus, aut priuilegiis impediantur, diligenter cognoscantur: & quos non repererint ob maximè euidentem Ecclesiæ, vel beneficij, seu dignitatis necessitatem legitimè constitutos esse, in totum reuocent: atque beneficia huiusmodi sine damno illa possidentium, & restituto patronis, eo, quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statutum reducant: non obstantibus priuilegiis, constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Caput X.

QVoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandantur, vsque adeo haberi non potest: hinc que interdum iudicibus non vndequaque idoneis, causæ in partibus delegantur: statuit sancta Synodus, in singulis Conciliis prouincialibus, aut diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant iuxta Constitutionem Bonifacij octaui, quæ incipit, Statutum: & alioquin ad id aptas designari, vt præter Ordinarios locorum iis etiam posthac causæ Ec-

cleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et, ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit: ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in eius locum vſque ad futuram prouincialem, aut diœceſalem Synodum: ita vt habeat quæque diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas perſonas, ac vt ſuprà qualificatas: quibus huiuſmodi cauſæ à quolibet Legato, vel Nuncio, atque etiam à Sede Apoſtolica committantur: alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopi ad ſummum Romanum Pontificē tranſmittant, delegationes quæcunque aliorum iudicum aliis, quàm his, factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Admonet dehinc ſancta Synodus tam ordinarios, quàm alios quoſcunque iudices, vt terminandis cauſis, quanta fieri poterit breuitate, ſtudeant: ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte iudicij differēda, modis omnibus aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

Caput XI.

MAgnam eccleſiis perniciem afferre ſolet, cùm earum bona, repræſentata pecunia, in ſucceſſorum præiudicium aliis locantur. Omnes igitur hæ locationes, ſi anticipatis ſolutionibus fient, nullatenus in præiudicium ſucceſſorum validæ intelligantur: quocunque indulto, aut priuilegio non obſtante: nec huiuſmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam, iuriſdictiones Eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus locare: nec conductoribus per ſe, aut alios ea exercere: alitérque conceſsiones, etiam à Sede Apoſtolica factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Locationes verò rerum Eccleſiaſticarum, etiam authoritate Apoſtolica confirmatas, ſancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citrà ad longum tempus, ſeu, vt in nonnullis partibus, ad viginti nouem, ſeu bis viginti nouem ānos, vocant factas: Synodus prouincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Eccleſiæ, & contra Canonicas ſanctiones contractas fuiſſe iudicabunt.

Caput XII.

NOn ſunt ferendi, qui variis artibus decimas Eccleſiis obuenientes, ſubtrahere moliuntur: aut qui ab aliis ſoluendas temerè occupant, & in rem ſuam vertunt: cùm decimarum ſolutio debita ſit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt

uadunt. Præcipit igitur ſancta Synodus omnibus, cuiuſcunque gradus,& conditionis ſint,ad quos decimarum ſolutio ſpectat, vt eas ad quas de iure tenentur, in poſterum Cathedrali, aut quibuſcunque aliis eccleſiis,vel perſonis,quibus legitimè debentur, integrè perſoluant. Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur. Hortatur dehinc omnes & ſingulos, pro Chriſtiana charitate, debitóque erga Paſtores ſuos munere, vt de bonis ſibi à Deo collatis, Epiſcopis,& Parochis, qui tenuioribus præſunt eccleſiis, largè ſubuenire ad Dei laudem,atque ad Paſtorum ſuorum, qui pro eis inuigilant,dignitatem tuendam,non grauentur.

Caput XIII.

DEcernit ſancta Synodus,vt quibuſcumque in locis, iam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolui, ac poſteà fuerit ex quocumque priuilegio, aliis monaſteriis, hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro iure, & eadem portione,quæ anteà ſolebat, cathedrali, ſeu parochiali eccleſiæ perſoluatur:non obſtantibus cõceſsionibus,gratiis,priuilegiis etiam, Mari magno,nuncupatis, aut aliis quibuſcumque.

Caput XIIII.

QVam turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe diuino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, immundóque concubinatu verſari, ſatis res ipſa, communi fidelium omnium offenſione ſummóque Clericalis militiæ dedecore, teſtatur. Vt igitur ad eam,quam decet, continentiam ac vitæ integritatem miniſtri eccleſię reuocentur:populúsq; hinc eos magis diſcat reuereri,quo illos vita honeſtiores cognouerit: prohibet ſancta Synodus quibuſcũque Clericis,ne concubinas,aut alias mulieres,de quibus poſsit haberi ſuſpicio in domo, vel extra detinere,aut cum iis vllam conſuetudinem habere audeant: alioquin pœnis à ſacris Canonibus, vel Statutis eccleſiarum impoſitis,puniantur. Quòd ſi,à Superioribus moniti ab iis ſe non abſtinuerint:tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum ſuorum quorumcunque,& penſionum ipſo facto ſint priuati:quæ fabricæ eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem cum eadẽ, vel alia fœmina perſeuerantes,ſecundæ monitioni adhuc non paruerint:non tantùm fructus omnes, ac prouentus ſuorum beneficiorum,& penſiones eo ipſo

amittant, qui prædictis locis applicentur: sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam vti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur: &, si ita suspensi, nihilominus eas non expellant: aut cum iis etiam versentur: tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priuentur, atque inhabiles, ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur: donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiũgere ausi fuerint: præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quæuis apellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat: supradictorúmque omnium cognitio, nõ ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu & figura iudicij & sola facti veritate inspecta, procedere possint. Clerici verò beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habentes, iuxta delicti, & contumaciæ perseuerantiam, & qualitatem ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, iuxta sacros Canones puniantur. Episcopi quoque (quod absit) si ab huiusmodi crimine non abstinuerint: & à Synodo prouinciali admoniti, se non emendauerint: ipso facto sint suspensi: & si perseuerent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur: qui pro qualitate culpæ, etiam per priuationem, si opus erit, in eos animaduertat.

Caput XV.

VT paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis, quos maximè puritas, sanctitásque decet, longissimè arceatur: non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in ecclesiis vbi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcunque, etiam dissimile, beneficium obtinere: nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. Quòd si in præsenti pater & filius in eadem ecclesia beneficia obtinere reperiantur: cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra ecclesiam intra triũ mensium spatium: alias ipso iure eo priuatus existat, & super iis quæcunque dispensatio subrepticia censeatur. Ad hæc, reciprocæ resignationes,

tiones,si quæ posthac à parentibus Clericis in fauorem filiorum fient, vt alter alterius beneficium consequatur,in fraudem huius decreti,& canonicarum sanctionum factæ omnino censeantur: nec collationes secutæ, vigore huiusmodi resignationum, seu aliarum quarumcunque,quæ in fraudem factæ fuerint,ipsis Clericorum filiis suffragentur

Caput XVI.

STatuit sancta Synodus, vt ecclesiastica beneficia secularia, quocunque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæua eorum institutione,aut aliter quomodocunque retinent,illa deinceps in simplex beneficium,etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione,non conuertantur:non obstantibus quibuscunque gratiis, quæ suum plenarium effectum non sunt consecutæ. In iis verò,in quibus contra earum institutionem,seu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum translata est,etiam si in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur,si congrua portio, fructuum Vicario ecclesiæ, quocunque nomine is apelletur, non fuerit assignata : ea quamprimum,& ad minus intra annum à fine præsentis Concilij, arbitrio Ordinarij,iuxta formam decreti sub fel.rec.Paulo III. assignetur. Quòd si id commodè fieri non possit: aut intra dictum terminum factum non erit:cùm primum per cessum vel decessum Vicarij,seu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacauerit: beneficium curam animarum recipiat: ac Vicariæ nomen cesset: & in antiquum statum restituatur.

Caput XVII.

NOn potest sancta Synodus non grauiter dolere, audiens Episcopos aliquos, sui status oblitos Pontificiam dignitatem non leuiter dehonestare:qui cum Regum ministris,Regulis, & Baronibus in Ecclesia & extra,indecenti quadam demissione se gerunt,& veluti inferiores ministri altaris,nimis indignè non solùm loco cedunt, sed etiam personaliter illis inseruiunt.Quare hæc,& similia detestans sancta Synodus,sacros Canones omnes, Conciliáque generalia,atque alias Apostolicas sanctiones ad dignitatis Episcopalis decorum,& grauitatem pertinentes renouando,præcipit, vt ab huiusmodi in posterũ Episcopi se abstineant:mandans eisdem,vt tam in ecclesia,quàm foris suum gradum, & Ordinem præ oculis habentes, vbique se Patres, & Pastores esse meminerint:reliquis verò tam Principibus,quàm cęteris omnibus,vt eos paterno honore,ac debita reuerentia prosequantur.

Caput

Caput XVIII.

SIcuti publicè expedit, legis vinculum quandoque relaxare, vt plenius, euenientibus casibus & necessitatibus, pro communi vtilitate satisfiat: sic frequentius legem soluere, exemplóque potius, quàm certo personarum, rerúmque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quàm vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant vniuersi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indistinctè obseruandos. Quòd si vrgens iustáque ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerit, cum aliquibus dispensandum esse: id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: alitérque facta dispensatio subreptitia censeatur.

Caput XIX.

DEtestabilis duellorum vsus, fabricante Diabolo introductus, vt cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine, Domini temporales, qui locũ ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati: ac iurisdictione, & dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur: & si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui verò pugnã commiserint, & qui eorum Patrini vocantur: excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant: & vt homicidæ, iuxta sacros Canones, puniri debeant, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam qui consilium in causa duelli, tam in iure, quàm facto dederint: aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint: necnon spectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocunque priuilegio, seu praua consuetudine, etiam immemorabili.

Caput XX.

CVpiens sancta Synodus ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solùm restitui, sed etiam perpetuo sartam tectam à qubuscunque impedimentis conseruari: præter ea, quæ de ecclesiasticis personis constituit, seculares quoque Principes officij sui admonendos esse censuit, confidens eos vt Catholicos, quos Deus sanctæ fi-

dei

dei, Ecclesiæque protectores esse voluit, ius suum Ecclesiæ restitui, non tantùm esse concessuros: sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & superiores Ordines reuerentiam reuocaturos: nec permissuros, vt officiales, aut inferiores magistratus Ecclesiæ & personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent: sed vnà cum ipsis Principibus debitam sacris summorum Pontificum, & Conciliorum constitutionibus obseruantiam præstent. Decernit itaque & præcipit, sacros Canones, & Concilia generalia omnia, necnon alias Apostolicas sanctiones, in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præsenti etiam decreto innouat, exactè ab omnibus obseruari debere: prætereáque admonet Imperatorem, Reges, Respu. Principes, & omnes & singulos cuiuscunque status, & dignitatis, extiterint, vt quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quæ Ecclesiastici iuris sunt, tanquam Dei præcipua, eiusque patrocinio tecta, venerentur: nec ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus aliisve Dominis temporalibus, seu magistratibus, maximéque ministris ipsorum Principum lædi patiantur: sed seuerè in eos qui illius libertatem, immunitatem, atque iurisdictionem impediunt, animaduertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, ecclesiarúmque protectionem existant: imitantes anteriores optimos, religiosissimósque Principes, qui res Ecclesiæ sua in primis auctoritate, ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt. Adeóque ea in re quisque officium suum sedulo præstet: quo cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati cæteríque Clerici in residentiis, & officiis suis quieti, & sine impedimentis, cum fructu, & ædificatione populi, permanere valeant.

Caput XXI.

POstremo sancta Synodus, omnia & singula, sub quibuscunque clausulis, & verbis quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub fel. rec. Paulo III. ac Iulio III. quàm sub Beatissimo Pio IIII. Pontificibus Maximis, in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, vt in his salua semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.

Decretum de continuanda Sessione in diem sequentem.

CVm ea omnia, quæ in præsenti Sessione tractanda erant, quia hora tarda est, commodè expediri non possint: propterea iuxta id, quod in generali Congregatione à Patribus statutum fuit, ea, quæ supersunt, in diem crastinam, hanc eandem Sessionem continuando, differuntur.

CONTINVATIO SESSIONIS DIE QVARTA DECEMBRIS.

Decretum de Indulgentiis.

CVM potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit: atque huiusmodi potestate diuinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa vsa fuerit: sacrosancta Synodus indulgentiarum vsum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit: eosque anathemate dãnat, qui aut inutiles esse asserũt: vel eas cõcedendi in Ecclesia potestatẽ esse negãt. In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem & probatam in Ecclesia cõsuetudinem, adhiberi cupit: ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina eneruetur. Abusus verò, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos, & correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, prauos quæstus omnes pro his consequendis, vnde plurima in Christiano populo abusuũ causa fluxit, omnino abolendos esse. Cæteros verò qui ex superstitione, ignorantia, irreuerentia, aut aliunde quomodocunque prouenerunt: cùm ob multiplices locorum, & prouinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commodè nequeant specialiter prohiberi: mandat omnibus Episcopis, vt diligenter quisque huiusmodi abusus ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo prouinciali referat: vt aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cuius auctoritate & prudentia, quod Vniuersali ecclesiæ expediet, statuatur: vt ita sanctarum indulgẽtiarum munus piè, sanctè, & incorruptè omnibus fidelibus dispensetur.

De delectu ciborum, ieiuniis, & diebus festis.

INsuper hortatur sancta Synodus, & per sanctissimum Domini nostri, atque Saluatoris aduentum Pastores omnes obtestatur, vt tanquam boni milites illa omnia, quæ sancta Romana Ecclesia, omnium

ecclc

ecclesiarũ mater & magistra, statuit, necnon ea, quæ tam in hoc Concilio, quàm in aliis œcumenicis statuta sunt, quibuscũque fidelibus sedulo cõmendent: omniq; diligentia vtãtur, vt illis omnibus, & iis præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandã carnem cõducunt: vt ciborum delectus & ieiunia, vel etiam quæ faciunt ad pietatẽ augẽdam, vt dierum festorum deuota, & religiosa celebratio, admonentes populos crebrò, obedire Præpositis suis quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient: qui verò contemnunt, Deum ipsum vltorem sentient.

De Indice librorum, Catechismo, Breuiario, & Missali.

SAcrosancta Synodus in secunda Sessione, sub sanctissimo Domino nostro Pio quarto celebrata, delectis quibusdam patribus commisit, vt de variis censuris, ac libris, vel suspectis, vel perniciosis, quid facto opus esset considerarent: atque ad ipsam sanctam Synodum referrent: audiens nunc, huic operi ab eis extremam manum impositam esse: nec tamen, ob librorum varietatem & multitudinem, distinctè, & commodè posse à sancta Synodo diiudicari: præcipit, vt quidquid ab illis præstitum est, Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur: vt eius iudicio, atque auctoritate teminetur, & euulgetur. Idémque de Catechismo à Patribus, quibus illud mãdatum fuerat, & de Missali, & Breuiario fieri mandat.

De loco Oratorum.

DEclarat sancta Synodus, ex loco assignato Oratoribus, tam ecclesiasticis, quàm secularibus, in sedendo, incedendo, aut quibuscunque aliis actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præiudicium: sed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, ac Pricipum suorum iura, & prærogatiuas illæsas, & saluas esse, in eodém mq; statu permanere, prout ante præsens Conciliũ reperiebantur.

De recipiendis, & obseruandis Decretis Concilij.

TAnta fuit horum temporum calamitas, & hæreticorum inueterata malitia, vt nihil tam clarum in fide nostra asserenda vnquam fuerit, aut tam certo statutum: quod non (humani generis hoste suadente) illi errore aliquo contaminauerint: ea propter sancta Synodus id potissimum curauit, vt præcipuos hæreticorum nostri temporis errores damnaret, & anathematizaret: verámque & Catholicam doctrinã traderet, & doceret, prout damnauit, anathematizauit, & definiuit. Cùmque tamdiu tot Episcopi, ex variis Christiani orbis prouinciis euocati, sine magna gregis sibi commissi iactura, & vniuersali periculo ab ecclesiis abesse non possint: nec vlla spes restet, hæreticos

toties, fide etiam publica quam desiderarunt, inuitatos, & tamdiu expectatos, huc amplius aduenturos: ideóque tandem huic sacro Concilio finẽ imponere necesse sit: supereſt nunc vt Principes omnes (quod facit) in Domino moneat ad operam suam ita præstandam, vt quæ ab ea decreta sunt, ab hæreticis deprauari, aut violari non permittant: sed ab his, & omnibus deuotè recipiantur, & fideliter obseruentur. Quòd si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur: aut aliqua inciderint, quæ declarationem (quod non credit) aut definitionem postulẽt: præter alia remedia in hoc Concilio instituta, cõfidit sancta Synodus Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, vt vel euocatis ex illis presertim prouinciis, vnde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilij generalis celebratione, si necessarium iudicauerit, vel commodiore quacunque ratione ei visum fuerit, prouincialium necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.

De recitandis Decretis Concilij sub Paulo III. *& Iulio* III. *in Sessione.*

QVoniam diuersis temporibus, tam sub fel. rec. Paulo III. quàm Iulio III. multa in hoc sacro Concilio, quoad Dogmata, ac morum reformationem, statuta, & definita sunt: vult sancta Synodus, vt illa nunc recitentur, & legantur. *Recitata sunt.*

De fine Concilij, & confirmatione petenda à Sanctissimo Domino nostro.

ILlustrissimi Domini, Reuerendissimique Patres, Placétne vobis, vt ad laudẽ Dei omnipotẽtis huic sacræ œcumenicæ Synodo finis imponatur? & omnium & singulorum, quæ tam sub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quàm sub sanctissimo Domino nostro Pio IIII. Romanis Pontificibus, in ea decreta & definita sunt, confirmatio nomine sanctæ huius Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, & Præsidentes à Beatissimo Romano Pont. petatur? *Responderunt, Placet.*

POSTMODVM Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis Morouus, primus Legatus, & Præsidẽs, benedicens sanctæ Synodo, dixit: POST GRATIAS DEO ACTAS, REVERENDISSIMI PATRES, ITE IN PACE. Qui Responderunt, AMEN.

ACC

ACCLAMATIONES PATRVM IN FINE CONCILII.

CARDINALIS A LOTHARINGIA.

Beatiſsimo Pio Papæ, & Domino noſtro, ſanctæ & Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

RESPONSIO PATRVM.

Domine Deus, Sanctiſsimum Patrem diutiſsimè Eccleſiæ tuæ conſerua: multos annos.

Card. Beatiſsimorum ſummorum Pontificum animabus, Pauli III. & Iulij III. quorum authoritate hoc ſacrum generale Concilium inchoatum eſt, pax à Domino, & æterna gloria, atque felitas in luce Sanctorum.

Reſp. Memoria in benedictione ſit.

Card. Caroli V. Imperatoris, & Sereniſsimorum Regum, qui hoc vniuerſale Concilium promouerunt, & protexerunt, memoria in benedictione ſit.

Reſp. Amen, Amen.

Card. Sereniſsimo Imperatori Ferdinando, ſemper Auguſto, Orthodoxo, & pacifico, & omnibus Regibus, Rebuſp. & Principibus noſtris, multi anni.

Reſp. Pium, & Chriſtianum Imperatorem Domine conſerua: Imperator cæleſtis terrenos Reges, rectæ fidei conſeruatores, cuſtodi.

Card. Apoſtolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo Præſidentibus, cum multis annis magnæ gratiæ.

Reſp. Magnæ gratiæ: Dominus retribuat.

Card. Reuerendiſsimis Cardinalibus, & Illuſtribus Oratoribus.

Reſp. Magnas gratias, multos annos.

Card. Sanctiſsimis Epiſcopis vita, & felix ad Eccleſias ſuas reditus.

Reſp. Præconibus veritatis perpetua memoria: Orthodoxo Senatui multos annos.

Card. Sacroſancta œcumenica Tridentina Synodus: eius fidem confiteamur, eius decreta ſemper ſeruemus.

Reſp. Semper confiteamur, ſemper ſeruemus.

Card. Omnes ita credimus, omnes id ipſum ſentimus, omnes conſentientes, & amplectẽtes ſubſcribimus. Hæc eſt fides beati Petri, & Apoſtolorũ: hæc eſt fides Patrum: hæc eſt fides Orthodoxorum.

Resp. Ita credimus: ita sentimus, ita subscribimus.

Card. His decretis inhærentes, digni reddamur misericordiis, & gratia primi & magni supremi Sacerdotis, Iesu Christi Dei, intercedente simul inuiolata Domina nostra sancta Deipara, & omnibus Sanctis.

Resp. Fiat, fiat. Amen, Amen.

Card. Anathema cunctis hæreticis.

Resp. Anathema, anathema.

Post hæc mandatum fuit à Legatis, & Præsidentibus sub pœna excommunicationis omnibus Patribus, vt antequam discederent è ciuitate Tridentina, subscriberent manu propria Decretis Concilij: aut ea per publicum instrumentum approbarent. Qui omnes deinde subscripserunt, & fuerunt numero CCLV. videlicet, Legati quatuor, Cardinales duo, Patriarchæ tres, Archiepiscopi XXV. Episcopi CLXVIII. Abbates septem, Procuratores absentium cum legitimo mandato XXXIX. Generales Ordinum septem.

LAVS DEO.

Concordat cum originali: in cuius fidem subscripsimus,

Ego Angelus Massarellus, Episcopus Thelesinus, sacri Concilij Tridentini Secretarius.

Ego Marcus Antonius Peregrinus, Comensis, eiusdem Concilij Notarius.

Ego Cynthius Pamphilus, clericus Camerinensis diœcesis, eiusdem Concilij Notarius.

CON

CONFIRMATIO CONCILII.

NOS *Alexander, S. Laurentij in Damaso Diaconus Cardinalis, de Farnesio, S. R. E. Vicecancellarius, fidem facimus, & attestamur, qualiter hodie die Mercurij,* XXVI. *Ian.* M. D. LXIIII. *Pontificatus Sanctissimi D. nostri D. Pij, diuina prouidentia Papæ quarti, anno quinto, in Consistorio secreto, apud S. Petrum Reuerendiss. DD. mei, Cardinalis Moronus, & Simoneta, nuper reuersi à sacro Concilio Tridentino, cui vti Sedis Apostolicæ Legati præerant, petierunt ab eodem Sanctiss. D. nostro vt infrà.*

Beatissime Pater, in Decreto super fine Concilij Oecumenici Tridentini, pridie nonas Decembris præteriti publicato, statutum fuit, vt per Sanctitatis Vestræ, & sanctæ Sedis Apostolicæ Legatos, & Præsidentes peteretur nomine dicti Concilij à Sanctitate Vestra confirmatio omnium, & singulorum, quæ tam sub fel. rec. Paulo III. *& Iulio* III. *quàm sub Sanctitate Vestra in eo decreta, & definita sunt. Quapropter nos Ioannes Cardinalis Moronus, & Ludouicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati, & Præsidentes eramus, volentes exequi quod in dicto Decreto stabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti Concilij Oecumenici Tridentini, vt Sanctitas Vestra dignetur confirmare omnia, & singula, quæ tam sub fel. rec. Paulo* III. *& Iulio* III. *quàm sub Sanctitate Vestra in eo decreta, & definita sunt.*

Quibus auditis, Sanctitas Sua, viso, & lecto tenore dicti Decreti, & habitis votis Reuerendiss. DD. meorum Cardinalium, respondit per hæc verba.

Petitioni, nomine Concilij Oecumenici Tridentini super eius confirmatione per dictos Legatos nobis factæ, annuentes, omnia & singula, quæ in dicto Concilio tam sub felicis recordationis Paulo III. *& Iulio* III. *prædecessoribus nostris, quàm Pontificatus nostri tempore decreta*

creta, & definita sunt authoritate Apostolica, etiam de Venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium consilio, & assensu, matura cum illis deliberatione præhabita, confirmamus, atque ab omnibus Christi fidelibus recipi, & inuiolabiliter obseruari mandamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Ita est. A. Cardinalis Farnesius, Vicecancell.

EX ACT

EX ACTIS CONCILII TRIDENTINI,

Christianorum Principum, ad Sacrum Concilium Tridentinum Literæ,& Mandata: Legatorúmque ab iisdem missorum, habitæ Orationes: Vnà cum Sanctæ ipsius Synodi Responsionibus: Pio IIII. Pontifice Maximo, & Ferdinando Primo Cæsare Augusto.

COMPARITIO SECVNDA ORATORUM Ferdinandi Romanorum Imperatoris Electi, pro Imperio, Regno Bohemiæ & Archiducatu Austriæ, & pro Regno Hungariæ separatim.

MANDATVM INVICTISSIMI FERDINANDI, *tanquam Imper. Electi, & Regis Bohemiæ, & Archiducis Austriæ in personam suorum Oratorum: exhibitum in Sessione secunda Tridentina: sub Pio PP. IIII.*

FERDINANDVS, diuina fauente clementia, Electus Romanorum Imperator semper Augustus: ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatię, Sclauoniæ, &c. Rex: Infans Hispaniarum: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ: Marchio Morauiæ &c. Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, VVirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sueuiæ: Comes Habspurgi, Tyrolis, Ierreti, Kiburgi & Goritiæ: Landtgrauius Alsatiæ: Marchio Sacri Romani Imperij, Burgouiæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ: Dominus Marchię Sclauonię, Portus Naonis, & Salinarum &c. Memoriæ commendamus, & recognoscimus, notum facientes tenore præsentium vniuersis, quòd cùm

Beatiſsimus in Chriſto Pater Dominus Pius IIII. diuina prouidentia ſanctæ Romanæ ac Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex Maximus, ſuperiore anno indixerit ſacrum Oecumenicum & Generale Concilium in ciuitate Tridentina, ad ſacratiſsimum diem Reſurrectionis Dominicæ proximè pręteritum, celebrandum, atque nos non modò per bullam ſuper iſtiuſmodi indictione emanatam, verùm etiam per nuncios & literas paternè hortatus ſit, vt ſi ei Concilio ipſimet adeſſe non poſſemus, mitteremus ſaltem Oratores noſtros viros prudentes, graues, & pios. Nos verò, qui iamdudum ardentiſsimis votis, ac deſideriis expetiuimus, ſummóque ſtudio quantũ in nobis fuit, promouimus Concilij celebrationem, in quo nimirum ratio aliqua ſanandæ Reip. in tot partes diſtractæ, ac pacis publicæ inter Reges & Principes Chriſtiani orbis firmandæ, & ſtabiliendæ, necnon vitæ in omni hominũ ſtatu, & ordine emendandæ ratio, & omnia ea cõmunibus conſiliis tractarentur, quæ neceſsitas Reipub. poſtularet: principio eiuſcemodi Concilij propter alia ardua negotia ſacri Rom. Imperij, Regnorúmque & Dominiorum noſtrorum ipſimet perſonaliter intereſſe nequeamus. Nolentes ſanè propter abſentiam noſtram tam pio, & præclaro inſtituto quicquam impedimenti aut difficultatis iniici, aut quicquam à nobis deſiderari, quod ad rem iuuandam pertinere queat, confiſi de ſingulari pietate, religione, fide, probitate, eruditione, iudicio, ac multarum rerum vſu, & experientia Reuerendi, deuoti fidelium ac nobis dilectorum Antonij Archiepiſcopi Pragenſis, ac Sigiſmundi à Thun Conſiliariorum noſtrorum, eoſdem & vtrunque eorum in ſolidum ſolenniter & ex certa noſtra ſcientia animóque bene deliberato, & omnibus melioribus modo, via, iure, cauſa, forma, & ordine, quibus poſſumus, & debemus, Commiſſarios, Oratores, Nuncios, Procuratores, & Mãdatarios noſtros fecimus, cõſtituimus, & ordinauimus: dãtes & attribuẽtes eis, & vtrilibet eorum plenã & omnimodam facultatẽ cum libero & amplo mandato, vt celebrationi dicti Concilij, noſtro nomine: tanquam Electi Roman. Imper. ac Regis Bohemiæ, necnon Archiducis Auſtriæ, adeſſe, & intereſſe ac locum, & vices noſtras in omnibus Seſsionibus, conſultationibus, deliberationibus, tractationibus, & actibus obtinere, & gerere, cõſilium, ſuffragium, votum, & decretum, nomine noſtro dare, ferre, & interponere: aliáque omnia & ſingula agere, tractare, exercere, cõcludere, & determinare poſsint, & debeãt: quæ ad conſtituendã verę fidei, & religionis concordiam, & vnionem: ac Chriſtianæ Reip. ſalutem, & conſeruationem promouendam facere, & ſpectare videbuntur: & quæ noſipſi facere, dicere, agere, tractare,

exer

exercere,concludere,& determinare posſemus, ſi præmiſsis omnibus & ſingulis perſonaliter intereſſemus: etſi talia forent,quę mandatum exigerent magis ſpeciale,quàm præſentibus eſt expreſſum. Promittentes in verbo noſtro Cæſareo, ac Regio, nos totum id, & quicquid per dictos Oratores, Commiſſarios, & Mandatarios noſtros modo præmiſſo,actum,dictum,geſtum,factum, & procuratũ,fuerit:ratum, gratum,firmum,& validum habituros eſſe, dolo & fraude poſtpoſitis penitùs,& ſemotis. Harum teſtimonio literarum, ſigilli noſtri appenſione, & manus noſtræ ſubſcriptione munitarum,mediante. Datum in Arce noſtra Regia Pragæ,die prima menſis Ian. Anno Domini M. D. LXII. Regnorum noſtrorum,Romani XXXI. aliorum verò XXXVI.

FERDINANDVS.

RESPONSVM SANCTAE SYNODI AD *Oratores Cæſar. M. in eorum comparitione, Die* VI. *Feb.* M. D. LXII. *& in Seſſione ſecunda* XXVI. *menſis Febr.*

REuerendiſsimi Domini, Aduentus Dominationum veſtrarum magnam huic Sanctæ Synodo lætitiam attulit, tum propter maximam beneuolentiam & obſeruantiam, qua Synodus ipſa ſuam Cæſaream Maieſtatem proſequitur, tum propter eum honorem, qui ei ex hac nobiliſsima Potentiſsimi atque Religioſiſsimi Principis legatione acceſsit. Quare Sancta ipſa Synodus Dominationes veſtras, quas præſtanti virtute ac pietate præditas eſſe non ignorat, lætis amplectitur atque recipit animis. Mandatúmque & literas ſuæ Cæſareę & Regiæ Maieſtatis in hoc loco lectas & recitatas, quantum de iure debet, admittit.

LITERAE FERDINANDI IMPER. ELE-

cti, quibus constituit Oratorem in Concilio, vti Rex Hungariæ: exhibitæ in Generali Congregatione, die VI. *Feb.*

M. D. LXII.

FERDINANDVS diuina fauẽte clementia, Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungarię, Bohemiæque &c. Reuerẽde fidelis nobis dilecte, luce clariùs tibi cõſtat Sanctum Oecumenicum Concilium à Sede Apoſtolica Tridenti indictum eſſe. Ad quod multorum Chriſtianitatis Principum Legati, cæteríq; Prælati, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac alterius ſtatus, in dies pluribus confluentibus, plurimi conuenêre. Nos qui inter Chriſtianitatis potentatus Principem locum tenemus, hoc ſanctum inſtitutum promouere, ac optatum ſaluberrimúmque exitum ſortiri ſummopere deſideramus. Quare Legatos noſtros iam mittendos, & expediendos, alios quoque Prælatos ex Regnis, & Prouinciis noſtris, qui per bullam Apoſtolicam moniti ſunt, primo quoque tempore iter arripere decreuimus. Te itaque ex Hungaria in perſona noſtra Regia, ſingularem ob morum integritatem ac ſcientiarum peritiã, ad ſacrum hoc Concilium mittendum ante alios elegimus: committimúſque fidelitati tuæ, vt, nulla interpoſita mora vel difficultate, iter maturare, neque expectatis aliis nimirum Canadienſe, & Tirinienſe, qui ambo pro vniuerſo Clero proficiſcuntur, antecedere, ac ad quintumdecimum diem Ianuarij inſtantis Tridenti adeſſe debeas. Inſtructionem vnà cum aliis Legatis noſtris es accepturus. (Quod verò ad expenſas attinet, quantum in priori Concilio Epiſcopus Taurienſis habuit, tantundem tibi quoque dari ſtatuimus, commiſimúſque Camerariis noſtris Hungar. vt in præſentiarum ante omnes alios bonam ſummam pro itinere dare debeant: ſecus igitur non feceris) Datę ex arce noſtra Pragenſi xx. Decemb. Anno Domini M. D. LXI.

FERDINANDVS.

Reuerendo Georgio Draſcouitio, Epiſcopo Quinqueclesienſi, necnon Comitatus Baronien. Comiti perpetuo, ac ad Sacrum Concilium Tridentinũ Legato, & Conſiliario noſtro, Fideli nobis dilecto.

MAN

MANDATVM FERDINANDI IMPE. *ratoris Electi, in personam sui Oratoris, pro Regno Hungariæ, exhibitum die* XXIIII. *Februa.* M. D. LXII. *in Congregatione Generali, & in Sessione* II. *die* XXVI. *dicti Mensis.*

FERDINANDVS diuina fauente clementia, Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex: Infans Hispaniarũ: Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, &c. Marchio Morauiæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus, ac recognoscimus, notum facientes tenore præsentium vniuersis: quòd cùm beatissimus in Christo Pater, Dominus Pius IIII. diuina prouidentia, Sacræ Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Pont. Max. superiori anno indixerit Sacrum Oecumenicum, & Generale Concilium, in ciuitate Tridentina, ad sacratissimam diem Resurrectionis Dominicæ, proximè præteritam, celebrandam: atque nos non modò per bullam super istiusmodi indictione emanatam, verumetiam per nuncios & literas paternè hortatus sit, vt si ei Concilio, vel ipsimet adesse non possemus, mitteremus saltẽ Oratores nostros, Viros prudentes, graues & pios. Nos verò qui iam dudum ardentissimis votis ac desideriis expetiuimus, summóque studio quantum in nobis fuit, promouimus Concilij celebrationem: in quo nimirum ratio aliqua sanandæ Reip. in tot partes distractæ, ac pacis publicæ, inter Reges & Principes Christiani orbis firmandæ, & stabiliendæ, necnon vitæ in omni hominum statu, & ordine emendandæ ratio iniretur, & omnia ea communibus consiliis tractarentur: quæ necessitas Reip. postularet, principio eiuscemodi Concilij, propter alia ardua negotia sacri Rom. Imperij, Regnorúmque, & Dominiorum nostrorum ipsimet personaliter interesse nequeamus. Nolentes sanè propter absentiam nostrã, tam pio & præclaro instituto quicquam impedimenti aut difficultatis iniici, aut quicquam à nobis desiderari, quod ad rem iuuandam pertinere queat, confisi de singulari pietate, religione, fide, probitate, eruditione, iudicio, ac multarũ rerum vsu & experientia Reuerendi, deuoti Georgij Drascouitij Episcopi Ecclesiæ Quinqueclesiensis, & Consiliarij nostri, fidelis nobis dilecti, eundem in solidum solenniter, & ex certa nostra scientia animóque benè deliberato, & omnibus melioribus

modo,via,iure,causa,forma,& ordine, quibus possumus & debemus, Commissariũ,Oratorẽ,nunciũ, procuratorem,& mãdatarium nostrũ fecimus, cõstituimus & ordinauimus:ac per præsentesfacimus,constituimus,& ordinamus,dãtes,& attribuẽtes ei plenã & omnimodã facultatem cum libero & amplo mãdato,vt celebrationi dicti Concilij,nostro nomine,tãquam Regis Hungariæ adesse,& interesse, ac locum & vices nostras in omnibus Sessionibus,consultationibus,deliberationibus,tractationibus & actibus obtinere,& gerere,consiliũ, suffragium, votum & decretum nomine nostro dare,ferre & interponere,aliáque omnia & singula agere,tractare,exercere,concludere, & determinare possit,& debeat:quæ ad constituendam veræ fidei,& religionis cõcordiam,& vnionem,ac Christianæ Reip.salutem,& conseruationẽ promouendam facere,& expedire videbuntur: & quæ nos ipsi facere, dicere,agere,tractare,exercere, concludere & determinare possemus,si præmissis omnibus,& singulis personaliter interessemus: etsi talia forent,quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus est expressum.Promittentes in verbo nostro Regio,nos totum id,& quicquid per dictum Oratorem, Commissarium & mandatariũ nostrum, modo præmisso actum,dictum, gestum, factum, & procuratum fuerit:ratum,gratũ,firmũ,& validũ habituros esse :dolo & fraude postpositis penitus,& semotis.Harũ testimonio literarũ, sigilli nostri impressione,& manus nostræ subscriptione munitarũ, mediante. Datæ Pragæ 1. die Mensis Ianu.Anno M. D. LXII. Regnorum nostrorũ Roma. XXXII. aliorum XXXVI. Electionis verò nostræ Imperatoriæ V.

FERDINANDVS.

ORATIO, HABITA A REVERENDISSIMO *D. Georgio Drascouitio, Episcopo Quinqueclesiensi, Augustissimi D. Ferdinandi, Romanorum Imperatoris electi, &c. Consiliario & pro Regno Hungariæ Oratore Tridenti,in Generali Congregatione, Die* XXIIII. *Februarij.* M. D. LXII.

SI vobis, Illustriss. Legati, præclaræ domus, quæ est Ecclesia Dei,optimi firmissimíque Cardines, huic Sacrosanctæ generali Synodo diuinitus dati, ac donati Præsidentes: Vósque Patres ac Pastores Amplissimi atque vigilantissimi:si vobis, inquam, Ferdinandi Cæsaris Augustiss

guſtiſsimi fides, pietas, vita propemodum angelica, ac in retinenda defendendáque Chriſtiana Catholica religione perpetuæ vigiliæ, labores plurimi, indefeſſúmque omni tempore ſtudium, iam antea perſpectiſsima non eſſent, crederem equidem, me ſi hæc ſciens tacerem, non modò accuſandum meritò, verumetiam tanquam omnes impietatis limites doloſè tranſgreſſum, iure optimo damnandum eſſe. Verùm, quia optimi Catholicíque Cæſaris raræ & inauditæ virtutes, vobis notiotes ſunt, quàm vt à me in medium proferri debeant, hæc tanta támque præclara, & planè cæleſtia dona, in hoc nobiliſsimo omnium Chriſtianorum Principum capite, ſtellarum inſtar micantia, maxima admiratione veneranda rectius, quàm oratione etiam ſplendidiſsima celebranda eſſe, meritò exiſtimauerim. At, niſi hunc talem tantúmque nobis Imperatorem Deus, pro ſua benignitate, nobis dediſſet, infelix profectò, infinitis proprè malis afflicta hæc noſtra tempeſtas, & eſſet, & haberetur. Gratias itaque Deo æterno ſupplex agere debebit, quòd illi præter vllum meritum, hic alter Conſtantinus Catholicus obtigerit. Nam per Deum immortalem, nónne verum Conſtantinum, aut eo etiam maiorem, dixeris? qui ante aliquot ſecuta hæreſis vel ſchimatis iniuria collapſas Eccleſias, imò verò penitus deletas, hiſce calamitoſiſsimis temporibus, noua liberalique fundatione reſtaurat, Collegia & cœnobia euerſa, ſolóque æquata reparat, & noua etiam magna impenſa exædificat. Clerum denique ipſum, vnà cum orthodoxa religione, in pleriſque locis ferè extinctum, non ſine maximis curis, & incredibilibus ſumptibus priſtino ſplendori reſtituere omnibus viribus annititur. Sed ne curioſè magis explicare, quàm ſtrictim quædam attingere voluiſſe videar, illud hoc loco dicam, & verè quidem, laudatiſsimi huius Imperatoris cura atque opera perfectum eſſe, vt multorum ſcelere deformata religionis noſtræ facies, ſuum decus, ſuum nitorem, recuperare poſſe videatur. Iam verò quantum illud eſt, quod vt Chriſtianos è Turcorum faucibus eripere, eóſque à ſæuiſsima illorum Tyrannide, in libertatem aſſerere poſsit nihil eorum, quæ ad hanc rem rectè ac laudabiliter gerendam adhiberi debent, omittit, ſed continuis bellis, magno ſtudio, incredibili cura, ita ſe impio illorũ conatui opponit, vtquòd Germani, quôd Itali quòd Galli, quòd Poloni, quòd aliæ propè omnes gentes ſecurius viuãt, id ipſi vni ſecundũ Deum, acceptũ referre debeant? Quis enim eſt in orbe Chriſtiano locus, quẽ non Turcarum rabies

iam

iam olim peruagata esset, nisi hic talis támque pius Imperator se suósque charissimos liberos huic pesti obiecisset, eiúsque impetum solus ex omnibus Christianis Principibus sustinuisset. Sed hæc eiusmodi sunt, vt nullis verbis, nulla ratione satis explicari possint. Atque hunc quidem Imperatorem, omnium virtutum heroicarum cumulatissimum thesaurum, si vobis Patres laudatissimi, hîc coram intueri liceret, verbis exprimi non potest, quanto gaudio perfunderemini, vicissimque ne cogitatione quidem complecti possum, quali quámque inexplebili lætitia sua Cæsarea Maiestas afficeretur, si in hoc augustissimo loco, eum in quo olim paracletus ille Spiritus sanctus sub ignitarum linguarum forma visibilis apparuerat, verè representante tot doctissimorum ac religiosissimorum, imò verè Apostolicorum locum tenentium Patrum venerandas facies præsens inspiceret, certè temperare non posset, quin in omniũ vestrum sancta oscula rueret. Imò, quo est in rem Christianam studio, ipsamet Maiestas sua huc libenter venisset, si propter plurimas easdémque grauissimas Sacri Rom. Imperij, Regnorúmque & Dominiorum suorum occupationes, in præsentiarum suæ Maiestati id facere licuisset. Ne tamen interim quicquam, quod in hac parte muneri Cæsareo incumbit, omitteretur: voluit sua M. Oratores, & Commissarios suos, ad hoc sacrosanctum Oecumenicum Concilium, tempestiuè, & ante omnes alios Christianos Principes, mittere, qui & personam suam referrẽt, & cum plena authoritate & mandato, nominéque & loco M. suæ celebrationi huius sacræ Oecumenicæ Synodi interessent. Quamadmodum hæc, & alia multa præclara, quæ in mandatis habebant, Reuerendissi. Dominus Anthonius Muglitius Archiepiscopus Pragensis, & Mag. Dominus Sigismundus à Thun M. suæ Cæsareæ Oratores hîc præsentes vobis Illustrissi. DD. Legati, priuatim luculenta oratione, copiosè exposuerunt. Ex his itaque, quæ iam dicta sunt, Antistites sanctissimi, manifestè apparet, quo studio quámque propensa voluntate sit eius Maiestas, in hanc sacram Synodum, præsertim verò cùm non solum ab eo, quimodò vniuersam illustrat Ecclesiam Pont. Max. verè Pio IIII. verum etiam ab aliquot suæ Sanctitatis predecessoribus Pont. Max. (piæ memoriæ) magna contentione semper petiuerit, vt iam tandem maiorum suorum exempla secuti, cõuocato veteri de more generali Concilio extirpatísque hæresibus & veteri Ecclesiastica disciplina restituta, Christifidelium saluti prospicerent. Quamuis Sanctissimus quoq; D.N. Pientiss. Pastor, statim in ipso Pontificatus sui felici initio, ante alias omnes grauissimas vrgentissimásque curas, hanc data opportunitate,

tate, in primis de congregando vniuerſali Concilio, ſpiníſque ex agro Dominico reſecandis, pro ſibi innata pietate & ſapientia vltro ſuſceperat. Id quod iam Sanctitatem ſuam laudatiſsimè, omniúmque Chriſtifidelium mirifico applauſu, re ipſa præſtare cernimus. Pater cæleſtis ſerua hæc orbis lumina, quæ ad conſeruandam tuendámque Rempub. Chriſtianam, imò verò pretioſo filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguine acquiſitam Eccleſiam virtutibus, pietatíſque ſtudiis cumulata, ita coniuncta eſſe voluiſti, vt alterum in altero cernere liceat. Quod ſanctitatis ſuæ præclarum, ſummóque Pont. ac Paſtore dignum, vniuerſóque orbi Chriſtiano ſalutare ſtudium, cùm non ſine magna animi voluptate Chriſtianiſsimus Imperator videret, ſua quoque M. Cæſar. tanquam primogenitus Eccleſiæ Catholicæ ſedíſque Apoſtolicæ addictiſsimus filius, hoc Sacroſanctũ Oecumenicũ Concilium, quod in Spiritu ſancto ritè ac legitimè congregatum agnoſcit, pro Cæſareo ſuo munere, quotienſcunque res poſtulauerit, ab omnibus iniuriis tueri, manutenere atque defendere ſeſe promptam ac paratam benignè offert. Quo autem hanc ſuam voluntatem eius Maieſtas vobis magis teſtatam faceret, non ſolùm vt Imper. Roma. ac Bohemiæ Rex, & Archidux Auſtriæ, hos graues & præſtantes, muneríq; huic obeundo maximè idoneos viros, quos coram cernitis, Oratores ſuos huc mittere dignata eſt, ſed etiam quatenus eſt Rex inclitæ Hungarię, antiquiſsimi illius & nobiliſsimi Chriſtiani orbis propugnaculi, me licet immeritũ huic Sanctiſsimæ Synodo, nomine ſuo Regio, cum plena authoritate & mandato intereſſe voluit. Et quãuis literas eiuſmodi plenæ authoritatis mandatíque vobis nuper exhibere certas ob cauſas non poteram, locum tamen Regi Pannoniæ debitum Amplitudines Veſtræ Illuſt. & Reuerend. non expectatis literis, quas iam ad manus habeo, mihi dandum & aſsignandum benigniſsimè adiudicarunt, imò abſque aliqua mora humaniſsimè aſsignarunt, & dederunt. Quod Amplitudinũ veſtrarum egregium & memorabile factum, cùm veſtræ erga Catholicum Imperatorem, Regémque meum Sereniſsimum obſeruantiæ & amoris ſit illuſtre teſtimoniũ, Maieſtati ſuæ gratiſsimum, omnibúſque amoris & beneuolentiæ officiis penſandum accidit. Ergo verò pro hac Amplitudinum Veſtrarũ erga me inſigni beneuolentia, quum omnia, quæ ad cumulũ officij mei ſpectare cognouero, diligentiſsimè impleuero, Deum etiam æternũ votis omnibus ſupplex exorabo vt vos omnes & ſingulos hîc felices conſeruet, & poſt hanc vitam donet eam, quæ neſcit temporis modum. Poſtremò, vt & officio meo, & Illuſtriſsimarum ac Reuerendiſs. Amplitud.

vestrarum expectationi satisfaciam, fidémque Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Pragensis Oratoris Cæsarei, nuper pro me interpositam redimam, literas plenæ authoritatis, & mandati Regis mei reuerenter exhibeo, orans, vt & illas in hoc Ornatissimo Consessu pro recepta iam consuetudine publicè perlegi facere, & me cœpta hac sua singulari benignitate, atque humanitate complecti dignentur.

RESPONSVM SANCTAE SYNODI IN *secunda comparitione R. D. Episcopi Quinqueclesiensis, Oratoris Cæsarei pro Regno Hungariæ, die* XXIIII. *Feb. & in Sessione secunda,* XXVI. *eiusdem Mensis.*

ILLVSTRIS & Reuerendissime Domine Orator, Dupliciter sancta Synodus Reuerendissimę Dominationis Vestræ aduentu exhilarata est, & quòd Cæsarea Maiestas Dominationem vestram pro inclyto suo Regno Hungariæ hisce negotiis, quæ pro vniuersa Christiana Rep. susceptæ sunt, interesse voluerit, & quòd talem virũ miserit, cuius in primis prudentia ac consilio adiuta, tot tantísque malis, quibus passim Ecclesiæ mẽbra conflictantur, opportuna ac maximè accommodata remedia adhibere se posse magnopere confidit. Cùm autem probè intelligat quantus ex vtroque ornamẽti ac dignitatis ad suam auctoritatem cumulus accesserit, in primis Deo Optimo Max. gratias agit, quòd talem Christiano orbi Imperatorem sibique aduocatum largitus sit, qui malis improborum hominum artibus labefactatam ac propè iam labentẽ Ecclesiam corruere non sinat, sed incredibili virtute & sapientia fulciat ac sustineat. Deinde verò tantùm se eius Maiestati debere profitetur, vt neque obseruantiæ, neque studij, quo eam prosequitur, magnitudo vlla satis oratione explicari posse videatur. Ac quoniam pro summo in Ecclesiã studio, præclarísq; erga se meritis parem referre gratiã se non posse intelligit, saltem id, quod potest, hoc tempore faciet, Deum Max. supplex orabit, vt in quo Constantini illius Magni pietas ac Religio, multis aliis virtutibus aucta cumulatáq; ita elucet, vt vniuersum terrarũ orbem clarissima sua luce collustret, eidem quoque Constantini felicitatem largiatur: vt & immanes barbaros Christiani populi ceruicibus imminentes longè repellere ac propulsare possit, & Ecclesiam in eum statum adducat, vt magna

cala

calamitate propemodum oppreſſa, iam tandem aliquantum reſpirare ac veluti reuiuiſcere queat. Quòd autem ſacra eius Maieſtas fauorem atque etiam ſecuritatem ipſi ſanctæ Synodo pollicetur, etſi de eo nunquam antea dubitauit, tamen gratiſsimo animo ſummáque ſpe recipit, ac quas poteſt maximas eius Maieſtati gratias agit. Cæterũ quòd priuatim ad D. V. Reuerendiſsimæ perſonam attinet, tum propterea quòd eam præſtanti virtute, prudentia ac pietate præditam eſſe ſancta Synodus non ignorat, tum eò etiam quòd magnis itineribus, ſumma cum celeritate primus omnium Oratorum in ipſo Concilij inchoati die huc appulerit, lætis animis recipit atque amplectitur. Poſtremò, mandata eius Maieſtatis Cæſareæ & Regiæ, quæ reddidiſti, quantum de iure debet, admittit.

COMPARITIO ORATORIS Sebaſtiani Portugaliæ Regis, die IX. Februarij, M. D. LXII.

Literæ. Mandatum.
Oratio. Reſponſum.

LITERAE SEBASTIANI REGIS PORtugaliæ *ad Concilium Tridentinum, exhibitæ per eius Oratorem die* IX. *Febr.* M. D. LXII. *in Congregatione Generali, & poſtea in Seſsione ſecunda, die* XXVI. *dicti Menſis.*

SAcro Oecumenico Generali Concilio in Spiritu ſancto legitimè Tridenti congregato vniuerſalem Eccleſiam repręſentanti D. Sebaſtianus Dei gratia Portugaliæ Algarbiorúmque Rex in Africa, Dominus Guineæ, Nauigationis, Expeditionis, Commercij, Aethiopiæ, Perſidis, & Indiæ, ſynceram obedientiam, & filij deuotiſsimi obſeruantiam, offert. Etſi maximo Chriſti Domini Seruatoríſque noſtri beneficio, Regnis, Prouinciis noſtræ ditioni ſubditis intelligimus, hactenus fuiſſe conceſſum: vt peſtilentiſsimorum errorum, qui noſtra,

patrúmque memoria, impia multorum persuasione eruperunt, labe minimè contaminarentur: cõmunibus tamen Christianæ Reip. malis ita angimur, & ne seditiosæ nefariæque impietatis, longius serpat contagio ita veremur, vt quoniam non aliunde præsentius remediũ, quàm à sacro Concilio poterat expectari, nihil nobis gratius iucundiúsque accidere potuerit, quàm Oecumenici huius Cõcilij authoritate Pontificia repetiti indictio. Ad eam verò lætitiam quam initiò de indictione conceperã, magna accessio facta est: postea quam & qui præessent, & qui adessent cognoui. Nam & amplissimorũ Legatorũ auctoritas, & præstantissimorum Patrum integritas magnam mihi spem sapienter constituendæ à Sacro Concilio Christianæ Reip. præbuerunt. Cui ne deessem, mittendũ curaui Legatum, qui & meam erga Sacrum Concilium obseruantiam præsens testaretur, & quæ à me in mandatis habebat, vobis accuratè exponeret. Is est Ferdinandus Martinus Mazcarenius, generis splendore, pietate, integritate, multísque aliis eximiis animi dotibus mihi in primis gratus. Quem spero fore, vt benignè humanitérque excipiatis, & ea fide audiatis, nostro nomine de publicis priuatísque rebus agentem, qua & nos, si Sacro Concilio interesse, & coram vobis eadem, quæ illi in mandatis dedimus, agere licuisset. Sacrum Oecumenicum Generale Concilium Spiritus Dei sanctus suam gratiam Sanctissimæ Synodo largiatur, vt ea statuat atque decernat, quæ & diuini nominis gloriam augeant, & totius vniuersalis Ecclesiæ commodis conducant. Olyssipponæ III. Cal. Octobris, Anno M. D. LXI.

REYNHA.

MANDATVM SEBASTIANI REGIS

Portugaliæ in personam sui Oratoris in Concilio Tridentino, in eius comparitione in generali Congregatione IX. *Februarij,* M. D. LXII. *& in Sessione secunda, die* XXVI. *dicti Mensis.*

SEBASTIANVS Dei gratia Portugaliæ & Algarbiorum Rex, citra & vltra mare in Africa, Dominus Guineæ, Expeditionis, Nauigationis, Commertij, Aethiopiæ, Arabiæ, Persidis & Indiæ, Vniuersis & singulis notum facimus, quòd confidentes nos multum de fide, integritate, diligentia & industria Nobilis Viri & in aula nostra liberaliter educati

cati Ferdinandi Martini Mazquarẽhas Conſiliarij noſtri fideliſsimi, deſignamus, deputamus, cõſtituimus apud Sacrum Oecumenicum & Generale Concilium à Sanctiſsimo D.N. Papa Pio quarto, in vrbem Tridentinam indictum, & in eadem vrbe Deo auxiliante celebrandum, noſtrum Oratorem, & concedimus illi plenum mandatum & omnimodam poteſtatem in eodem ſacro Concilio, dicendi, agendi, proponendi, tractandi omnia, quæ ad proſequendum concludendúmque Concilium, & noſtro nomine cętera agenda, quæ ad cæterorum membrorum cum Romano Pontifice Catholicę Eccleſiæ ſupremo Præſide & Chriſti Vicario, ſanctáque Sede Apoſtolica omnium Eccleſiarum Parente & Magiſtra, vnionem, hæreſum errorúmque extirpationem, & morum reformationem, & reliqua quæ ad Catholicæ religionis augmentum, fidei exaltationem, & Chriſtiani nominis hoſtium debellationem expedire & conducere Sacro Concilio, & eidem noſtro Oratori videbuntur: etiam ſi eſſent talia, quæ ſpeciale mandatũ exigerent, omnia deniq;, quę ipſi ſi præſentes eſſemus, facere poſſemus. Eáque ita per noſtrum Oratorem acta, tractata, & concluſa promittimus nos rata, grata & firma habituros. Et quoniam Apoſtolicæ ſedis beneficio, trium militiarum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſancti Iacobi, & de Auis ordinis Ciſtercienſis, noſtræ Regiæ coronæ in perpetuum gubernatio eſt annexa, & ſingularum nomine iuxta illarum ſtabilimenta & ſtatuta, etiam ad ſacrum Concilium ire perſonaliter, vel ſufficientem & idoneum Procuratorem mittere tenemur, cùm ipſi per nos id facere ad pręſens non poſsimus, eundem noſtrum Oratorem, Procuratorem cum plenaria poteſtate, ipſi ſingularum dictarum militiarum perpetuam adminiſtrationem noſtræ Regiæ coronæ annexam habentes, ſingularum prædictarum militiarum & noſtrum Procuratorem etiam deputamus, deſignamus, & conſtituimus, ad ea omnia, quàmuis ſpecialia & ardua, quæ ipſi tanquam earundem militiarum Magiſtri magni & perpetui gubernatores, ſi præſentes eſſemus, agere, proponere, tractare, concludere poſſemus. In quorum fidem & teſtimonium fecimus præſentes literas ſcribi, & Regio noſtro ſigillo, poſtquam noſtra manu ſubſcriptæ fuerint, communiri. Olyſsipponæ XXVIII. Septembris Anno Domini M. D. LXI.

REYNHA.

ORATIO HABITA SERENISSIMI *Portugaliæ Algarbiorúmque Regis Sebastiani nomine, in Concilio Tridentino: Die* IX. *Februarij,* M. D. LXII.

CVM ad tuendam Christianæ religionis integritatem, Sacrorum Conciliorum accommodata semper fuerit authoritas, his tamen nostris, post hominum memoriam, turbulentissimis temporibus, quibus & pietatis synceritas tot est erroribus contaminata, & veteris disciplinæ seueritas omnium ferè ordinum luxu cupiditatéque dissoluta, huius Sacrosancti conuentus celebritas sic omnibus de Christianę Reipublicæ salute cogitantibus necessaria visa est, vt non alia ratione syncera religio suæ puritati restitui, collapsa morum disciplina instaurari posse videantur. Et quoniam singulari Dei Opti. Maxi. beneficio effectum est, vt tandem aliquando magno animorum consensu publicus vniuersi Christiani nominis conuentus Pontificia authoritate in hanc vrbem indictus ageretur, confidimus planè futurum, vt quam apud omnes Christianæ pacis studiosos expectationem commouit sacri huius venerandíque cœtus religiosa maiestas & amplitudo, non modò persanatis aliquot religionis vulneribus, impleat, sed ita superet, vt saucio, debilitatóque Christianæ Reipublicæ corpori omni ex parte medeatur. Nam si quis animo atque cogitatione velit paulò altius repetere eas difficultates, quibus non solùm nostra, sed superiori etiam memoria, Sacri Concilij progessio fuerit interrupta, facilè intelliget & tunc fuisse multa, quæ Oecumenici Concilij splendorem obscurare, & cursum impedire videbantur: & nunc fuisse nonnulla, quæ nisi constanti sua prudentia, & pia planè constantia Sanctissimus Pontifex Pius quartus superasset, non modò, quam hîc hodie summa cum voluptate intuemur, Christianæ Reipublicæ viuam sanè, & suis omnibus propemodum membris expressam effigiem, minimè haberemus, sed vix exiguum illius, obscurúmque simulachrũ cerneremus. Et aliorum quidem Pontificum stabilis perpetuáque in promulgando, indicendóque Sacrosancto Concilio sententia, vehemens illorum studium erga Christianam Rempublicam non obscurè declarauit, & constantiæ pietatísque laudem apud posteros illis conciliauit: qui nullis temporum asperitatibus perturbationibúsque deterriti, rem toties

toties parùm feliciter tentatam diuinæ ſapientiæ conſiliis innixi ſibi repetẽdam iudicarunt. Sanctiſsimi verò D.N. Pij quarti Pontificis & Apoſtolicæ dignitatis faſtigio, & animi ornamentis verè Maximi, laudibus, nulla ſanè par vllo vnquam tempore oratio poterit reperiri, qui, vt excellens in Chriſtianam Rempublicam ſuæ vnius curæ ſollicitudiníque diuinitùs traditam, ſtudium teſtaretur, cùm primum fuit Pontifex Maximus declaratus, vt quod ſalutari auſpicatóq; planè nomine pollicebatur, adhibita inueteratis Eccleſiæ malis medicina præſtaret, in Concilij celebrandi ratione, quo vno remedio omnium mentes ad ſanitatem reduci poſſe videbantur, omnes ſuas curas cogitationéſque ab ipſo ſui Pontificatus exordio collocauit. Cuius cùm pios conatus & Paternæ pietatis viſcera proſpicerẽt hi, quos ille & nũciis & amantiſsimis literis in hanc vrbem ad œcumenicum Concilium celebrandum adhortabatur, conuenerunt frequentes, vt videmus & vt ſperamus, non modò illius authoritate, ſed huius etiam Concilij Sanctiſsimi exemplo celebritatéque incitati frequentiores indies conuenient, & huius Sacroſanctæ Synodi dignitatem ſua pietate magis illuſtrabunt. Quòd ſi œcumenicorum Conciliorum authoritas Sacrarum literarum monumentis non tam eſſet diſertè comprehenſa, quis tamen ſobriæ, ſanæque mentis crederet, pio tot integerrimorum, Sanctiſsimorúmque Præſulum conuentui Sanctum Dei Spiritum defuturum, qui in medio duorum, triúmve de pietate agentium, ſe promiſit futurum? Cùm verò tanta ſit Sacrorum Conciliorum dignitas & religio, vt quæ in illis decernuntur, pro diuinis oraculis excipiantur ab omnibus, quis ſibi non facilè perſuadeat in omnibus de Chriſtiana Religione controuerſiis, eam forè veriſsimam ſententiam, quam tot Patres matura ætate, ſpectata virtute, exactáque eruditione ornatiſsimi, comprobauerint, & Reuerendiſsimi, Illuſtriſsimíque Legati, diuina quadam ſorte electi, qui Pontificio nomine Sanctiſsimo Synodo præſident, ſua authoritate confirmauerint? Tametſi verò facilè adducimur, vt credamus in eadem ſententia cæteros pro ſua pietate, & ſapientia futuros, de nobis tamen poſſumus id conſtantiùs, apertiúſque profiteri, qui ornatiſsimo veſtro cõſpectu in tantam Chriſtianæ Reipublicæ ſapientiſsimis veſtris decretis conſtituendæ expectationem ſumus erecti, vt non modò veſtra pietate exiſtimemus fore, vt omnes de religione controuerſiæ dirimantur, ſed veſtra etiam cenſoria ſeueritate omnium ordinum, Sacerdotúmque præſertim, qui cæteris ſcientia, & vitæ integritate prælucere debent, mores ad Euangelicæ ſynceritatis normam dirigãtur. Quæ qui ſibi ex Sacro Concilio

non

non pollicentur, aut quam vim habeant non perſpiciunt, aut cuius authoritate nitantur, non intelligunt. Hos quidem fructus, aut vberiores etiam poſtulat à nobis Chriſtiana Reſpublica: hos expectat Sereniſsimus Princeps Sebaſtianus Portugaliæ, Algarbiorúmque Rex huius nominis primus. Qui licèt ſuum in Chriſtianam Rempublicam ſtudium ſatis vobis crederet perſpectum, & cognitum, vt tamen ſuam erga Sacroſanctum Concilium obſeruantiam illuſtriore teſtimonio declararet, ornatiſsimum virum, quem videtis, D. Ferdin. Martinez Mazcarenium ad hoc Sacrum Concilium deſtinauit, non Oratorem ſolùm, ſed pignus, obſidémque perpetuæ ſuæ erga Sacroſanctum Concilium obſeruantiæ & pietatis. Quantæ verò curæ optimo religioſiſſimóque Principi fuerit œcumenici huius Concilij celebritas, & amplitudo, teſtari apud vos poterunt non ſolùm antiſtites Bracharenſis, Cobricenſis, Lerienſiſque, ſacrarum literarum ſcientia, ſpectata pietate, & vitæ integritate inſignes, qui ſe explicare celeriùs, & maturiùs in hanc vrbem venire potuerunt, ſed & qui conſtitutis ſuarum Eccleſiarum rationibus aderunt ex illius Regnis & Dominiis, quos omnes Chriſtianæ pietatis ſtudioſiſsimus Princeps accuratè eſt per literas hortatus, vt quàm diligẽtiſsimè poſſent ſe ad maturam profectionem componerent, ne vel iubenti, volentíque Summo Pontifici ſegniùs parere, vel laboranti Eccleſiæ ſeriùs, quàm cùm eorum pietas, tum periculi magnitudo poſtulabat, adeſſe viderentur. Quę omnia à Sereniſsimo Rege ſtudioſiſsimè ſunt curata, partim vt ſuæ erga Sacrum Concilium obſeruantiæ ſatisfaceret, partim etiam vt Clariſsimorum Portugaliæ, Algarbiorúmque Regum Maiorum ſuorum religioni, pietatíque reſponderet. Quorum res fortiter & feliciter geſtæ, ita ſemper fuerunt cum publica Chriſtianæ religionis vtilitate & dignitate coniunctæ, vt tot defuſis profligatíſque Barbaris Regibus, victoriis, tot direptis expugnatíſque hoſtium oppidis, tot arcibus in aduerſo Numidiæ, Getuliæque littore ad comprimẽdam Barbarorum audaciam, erectis, non tam ſui Imperij fines proferre, quàm Chriſtianæ religionis gloriam propagare voluiſſe videantur. Incitabantur illi quidem Regij animi excellenti magnitudine, ſed ad natiuam, inſitámque eorum propenſionem accedebat aculeus ille, quem Alfonſus primus Portugaliæ Regni conditor, & auctor poſterorum Regum annis impreſſum reliquit. Quòd ſi apud Clariſsimos Portugaliæ Reges, tãtum valuit exemplum perpetua quadam ſerie velut per manus traditum, quid vobis Ampliſsimi Patres, expectare par eſt à Sereniſsimi Regis Sebaſtiani animo, quem non ſolùm ſuperiorũ Regum Illuſtria exem-

pla

pla,ſed recens,ſpiránſque adhuc Emanuelis proaui, Ioanníſque Tertij aui memoria ad prouehendæ religionis ſtudium vehementiùs accendit? Quomodo enim poteſt vel Emanuelis Regis pronepos non iiſdem veſtigiis inſiſtere,vel Ioannis Optimi, maximíque quondã Regis nepos,cognita ab omnibus propemodum,qui hîc adeſtis,illius pietatis exẽpla, minimè cõſectari? Quorũ ille ſubiectis Apoſtolicæ Sedis Imperio,tot in Oriente Regnis, Prouinciis, Barbaríſque nationibus, eius gloriam longè, latéque illuſtrauit. Hic verò non modò ſubactos ab Emanuele,feliciſsimę recordationis,Rege patre ſuo populos in officio,fidéque cõtinuit,ſed etiam ſtudio diligentiáque perfecit,vt repudiato nefario inanium ſimulachrorum cultu, Chriſtianæ religionis pietate imbuerentur,& noſtræ diſciplinę ſacra,moréſque libenter ſequerentur. A quo propagãdæ latius noſtræ religionis curſu,cùm partim finitimorum Africæ Regum infeſtis excurſionibus, partim magnis à Solymano ad euertendum noſtrum in Oriente Imperium miſſis claſsibus ſubinde interpellaretur,illorum quidem audaciam, temeritatémque,grauiſsimis illatis damnis, repreſsit. Huius verò nauales copias in ipſo Dij,florentiſsimæ totius Cambaiæ Regni vrbis conſpectu, ita oppreſsit, vt Solymanus purpuratorũ Satraparum apud Barbarum & immanem Tyrannum gratia & authoritate longè maximus,qui Claſsi ſummo cum Imperio præerat, multis depreſsis triremibus,laceris, truncatíſque aliquot nauigiis, ægrè ſit fuga ſalutẽ conſecutus. Quæ ideo breuiter, curſimque à nobis ſunt commemorata, Patres Ampliſsimi,non modò vt intelligeretis, quanto ſuorum periculo,& ſumptu ſuo, Clariſsimi, proferendæque latius Chriſtianæ religionis ſtudioſsimi Portugaliæ Reges, non in oppoſitæ nobis Africæ ſolùm proximis,ſed in Aſiæ etiam remotiſsimíſque prouinciis grauiſsima, periculoſiſsimáque bella ſuſceperint, quaque ea vel animi magnitudine geſſerint, vel conſtantia felicitatéque confecerint, ſed etiã vt cognoſceretis,eundẽ erga Sanctam Sedẽ animũ, idem ad Chriſtianam religionẽ amplificandã,propagãdámque,ſtudiũ, eandẽ erga hoc ſacrum Concilium obſeruantiam,eandẽ denique pietatem expectandam à Sereniſs. Rege Sebaſtiano, & Regia præſtantiſsimæ indolis ſignificatione ad excellentes omnes virtutes propenſo, & domeſticis imaginibus, Clariſsimorúmque Regni Illuſtribus exemplis incitato. Qui,quod Sanctiſsimo Pontifici,ſuis literis eſt pollicitus,hodie cumulatè præſtat,& ſuum ad illuſtrandã huius Sacroſancti Concilij celebritatem,ſtudium,vobis Ampliſsimi Patres,hodierna die per D. Ferdinandum Martinez Maſcarenium ſuum Oratorẽ, Virum non ſolùm

antiqua generis nobilitate,& familia,multis Asiæ, Africæque triũphis insignẽ,sed fide,integritate,cæteríſque ornamentis longè præſtantem effusè pollicetur. Sperat autem fore,vt quoties cùm de publicis Christianæ religionis atque diſciplinæ,tum de priuatis negotiis noſtrarum Eccleſiarũ,quæ ſingulari Dei Opt. Max. beneficio,nec ab Eccleſiæ Romanæ cæterarũ parentis & magiſtræ obſeruantia deflexerunt,nec à veteri receptóque ſemel cultu receſſerunt, apud vos illius Orator agere volet(quod pro ſua prudentia, non niſi neceſſariis aut grauibus certè cauſis impulſus faciet) Vos,cognitis Sereniſsimi Regis mandatis,eum pro veſtra humanitate benignè excipiatis.

RESPONSVM SANCTAE SYNODI, DATUM *Illuſtriſsimo Oratori Sereniſsimi Regis Portugaliæ in eius comparitione, Die* IX. *Feb.* M.D.LXII. *& in Seſſione ſecunda,* XXVI. *Febr.*

ILLVSTRIS D. Orator. Mandatũ & literæ Sereniſsimi Portugaliæ Regis,quæ modò à Dominatione veſtra exhibitę in hoc ſacro loco recitatæ fuerũt,nec non ea,quæ ornatiſsima Oratione expoſita ſunt,huic Sãctę Synodo iucundiſsimũ nuncium attulerunt,cùm declararent eximiam quandã ac perpetuam clariſsimorũ Portugaliæ Regum ac præcipuè Sereniſs. Sebaſtiani Regis in Deum pietatẽ, inſigne in Rempu. Chriſtianam ſtudium,ac ſummã erga hoc Oecumenicum & Generale Conciliũ,obſeruantiã,licet nihil noui huic Sanctæ Synodo allatum ſit. Nemo enim eſt,cui cõpertiſsima non ſint præclara Regũ Portugaliæ facinora in Chriſtiana religione,veráq; Chriſti fide in Oriẽtis partibus propaganda. Non minor tamẽ Maieſtati ſuæ, maioribúſque ſuis piiſsimis & Clariſsimis Regibus laus & gloria hac tẽpeſtate debetur, quòd in his calamitoſis tẽporibus,tot diſsidiis,tótque in Eccleſia exortis hæreſibus,Regna & Ditionẽ ſuã in Orthodoxa fide,Eccleſięq; Catholicæ vnitate(vti verè Chriſtianos Principes decet)ſemper conſeruauerint,quàm in Barbaris & idolorum cultui deditis Nationibus,ad verã religionem traducẽdis. Quãobrem hæc Sancta Synodus Deo & Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti meritas de his omnibus gratias agit, Dominationémque veſtrã,tum ipſius Regis cauſa,tum ob ſingularem eius prudentiam, ac ſanguinis ſplendorem, grato ac beneuolo animo recipit. Regium verò mandatum,quantum de iure debet,admittit.

COMP

COMPARITIO ORATORIS Philippi Hiſpaniarum, &c. Regis Catholici: die decimaſexta Martij, M. D. LXII.

Mandatum. Oratio.
Reſponſum Sanctæ Synodi.

MANDATVM PHILIPPI HISPANIA-rum Regis Catholici, in perſonam ſui Oratoris Tridenti exhibitum: Die XVI. Martij, M. D. LXII. & in Seſſione tertia, Die XIIII. Maij.

PHILIPPVS Dei gratia Rex Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabātiæ & Mediolani, &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis, &c. Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium vniuerſis. Cùm Beatiſsimus in Chriſto Pater & Dominus noſter, Dominus Pius IIII. Diuina Prouidentia Sacroſanctæ Romanæ Sedis Pontifex Maximus, vt his malis & diuiſionibus, quibus Chriſtiana Reſpublica iam diu vexatur, & Religio noſtra tot ac tam diuerſis opinionibus impetitur, eo remedio quo Sancta & Vniuerſalis Eccleſia vti ſolet, mederetur, & ad veram in fide conuenientium vnionem omnes Chriſtifideles reducerentur, vti optimus & vigilantiſsimus Paſtor, Patérq; amantiſsimus, omni cura & ſtudio procurauerit, vt Oecumenicũ Concilium quod Tridenti ceptum & per aliquot annos ſuſpenſum fuerat, proſequeretur, atque ad eam rem eius Diplomate ſub Datum Romæ, apud Sanctum Petrum tertio Calendas Decembris Anni M. D. LX. Pontificatúſque eiuſdem anno primo, Vniuerſale & Oecumenicum Concilium Tridentinum, ſublata ſuſpenſione quacunque, Tridenti continuandum denuò indixerit & aperuerit, atque ad diem Reſurrectionis Dominicæ anni proximi præteriti conuocauerit, & præfixerit: Nóſque tum per literas, tum per nuncios exhortatus fuerit, vt quãdo præſentes celebrationi eiuſdẽ intereſſe non poteramus, noſtros ad illud

Oratores idoneos,qui ibi aſsiſterẽt,mandare vellemus.Nos,qui ipſius Concilij celebrationem, vt Catholicum Principem decet, tanquam verum & vnicum malorum remedium, ardentiſsimè deſiderabamus, libenti animo obtulimus nos id facturos,omnémque operã daturos,vt prædictum Concilium, quantum in nobis eſſet, non ſolùm promoueretur,verum etiam,Deo ductore,ad optatum finẽ perduceretur. Nolentes igitur hac in re noſtro officio deeſſe, quin potius omnia ea,quæ ad noſtrum munus ſpectãt,abundè præſtare & exhibere,vt noſtro nomine in prædicto Concilio compareat, noſtráſque partes agat, Illuſtrem,fidelem,nobis dilectum Dominum Ferdinandum Franciſcum Daualos de Aquino Conſiliarium collateralem, Locumtenentem & Capitaneum Generalẽ noſtrum in Ducatu ac Dominio noſtro Mediolani,cuius fidei, probitati, religioni, & rerum longæ experientiæ quàmplurimũ confidimus, Oratorem,Nuncium & Procuratorẽ noſtrum fecimus,conſtituimus,ac deputauimus,ac tenore præſentiũ facimus,conſtituimus & deputamus.Dantes ei plenam facultatẽ, & poteſtatem vnà cum amplo & libero mandato, citra tamen aliorum noſtrorum Procuratorum & Mandatariorum conſtitutorum & conſtituendorum reuocationem vel præiudicium : vt in dicta ciuitate Tridentina,& loco in eadem celebrationi Concilij deputato,corã Reuerẽdiſsimis,S.Rom.Eccl.Cardinalibus à Beatiſsimo Pontifice Legatis nominatis & deſtinatis,aliiſque Patribus ibidem congregatis, noſtro nomine comparere, prædictæque Concilij celebrationi interuenire, eíque adeſſe & intereſſe,locúmque & vices noſtras in omnibus Seſsionibus,Conſultationibus,Deliberationibus & Actibus obtinere,atque omnia alia agere,facere,dicere,gerere,tractare, procurare & promouere poſsit,& valeat, quæ ex vſu Reip.Chriſtianæ & dignitate noſtra fore videbuntur,quæq; nos ipſi,facere,dicere,gerere & tractare poſſemus,ſi corã præſentes eſſemus,etiamſi talia eſſent,quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quàm his expreſſum eſt. Habituri proinde ratum & gratum, quicquid per prædictum Oratorẽ, Procuratorem,& Mandatarium noſtrum præmiſſo modo,actum,dictum,geſtũ, factum & procuratum fuerit,dolo & fraude remotis. Harum teſtimonio literarum,manu noſtra ſubſcriptarum,& ſigilli noſtri impreſsione munitarum.Datum Madriti,Die XXVIII.Menſis Ian. Anno M. D. LXII. Regnorum autem noſtrorum,ſexto.

PHILIPPVS.

GALEA

GALEATII BRVGORAE PATRICII

Mediolanensis & Regij Fisci Patroni Oratio, habita Tridenti in Concilio Patrum, nomine Illustrissimi & Excellentissimi Marchionis Piscariæ, Regis Catholici Oratoris, die XVI. *Martij,*

M. D. LXII.

QVOD vnum ægrotæ Reipub. Christianæ remedium esse semper visum est, Patres Amplissimi, illud omnino fuit, cùm indicto Concilio spes bonis iniecta est, negocium felix, ac salutare à Pontificibus, à Cæsare, à Regibus vnà susceptum iri, vt magnis concursibus omnium gentium ac Nationum celeberrimi conuentus peragerentur. Ea re Pius quartus Pontifex maximus dignitatis Reipublicæ Christianæ, otiique amantissimus, vt ad benè de omni Repub. sperandum, quasi signum aliquod omnibus sustulisse videretur, nihil antiquius putauit, quàm Conciliũ illud à Paulo Tertio Pontifice Max. hoc ipso in loco indictum, retentum animo, remissum tẽporibus, longo interuallo intermissum reuocaret. Etenim si vllum vnquam tempus huiusmodi rem desiderauit, hoc ipsum profectò est, quo multæ gentes, ac Nationes discerptæ, diuulsæ, cõquassatæ sunt varietate opinionũ, & licentia impiè disputandi: Quo multi à Christiana Repub: aberrarunt: Quo denique omnis propè Christiana Ciuitas intestinis malis, ac discordiis laborans, multa perdidit, & ornamẽta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ. Quamobrem cùm Pius quartus Pont. Max. quasi bonus parens, & tutor fidelis, curaret ne patrimonium dignitatis Reipub. à prædonibus nefariis deriperetur, etsi multa quidem pro illius dignitate, ac salute gessit, quæ orbis terræ iudicio, ac testimonio comprobantur. Tamen nihil clarius, nihil glorioſius, nihil denique commẽdatius effecit memoriæ hominũ sempiternæ, quàm quòd vos potissimuũ elegit Patres Amplis. qui de summa rerum omniũ deliberaretis. Nam quod consilium? quæ mens? nisi vt diuina sapientia vestra sedaretis hæc mala, pessiméque affectam ciuitatem Christianam sanaretis, firmámque aliquando, ac vegetam redderetis. Quamobrem vos Patres Amplis. quasi oracula ciuitatum, quasi Moderatores populorũ, quasi Architecti quidam ac fabri à Pont. Max. estis aduocati, vt huic sanctissimę Reipublic. adsitis, & si illa stet, eam muniatis, si labatur, erigatis. Cui ne-

gocio,cùm Philippus Rex Pius,fortis,ac felix erga Christianam pietatem,iustũque hunc ipsius Principatũ eodẽ modo affectus sit,quo modo Patrem suum prudentissimum,& sapientissimum Imperatorẽ Carolum V. Cæsar. August. omnibus temporibus affectum fuisse memoria tenet, libentissimè quidem, nisi multis, ac magnis occupationibus distineretur, interfuisset, corámque graui oratione declarasset, quo studio, quo ardore, qua animi pietate semper fuerit & hoc tempore maximè sit erga authoritatem sacrosanctæ sedis, totãque Rempublicam Christianã:idque eo libentius feciſſet,vt & cæteri Reges,& Principes Ciuitatum ipsius exemplo adducti frequentiores hunc ipsum in locum conueniſſent,& vos Patres amplissimi,maiore animi alacritate omnia,quæ dilapsa iam fluxerũt,seueris legibus vinciretis, & Reip. vulnera curaretis. Quibus præter vos,vos inquam,Patres amplissimi, mederi nemo potest. Sed cũ multis iustisque de causis adesse ipse non potuerit,ex multis Heroibus, quorum magnam copiam habet, Franciscum Ferdinandum Daualum Marchionem Piscariũ elegit,dignúmque iudicauit,cui munus hoc legationis obeundæ vltro deferret. Qui, & si in nullo ocio, at in summo negocio Prouinciam Mediolani cum Imperio administrat, tamen ab ipso Rege, qui cum anteà semper, tum hoc vel maxime tempore os,oculos,mentem denique ipsam in vnam Rempublicam Christianam conuertit, iussus est ea omnia, quæ ad sanctissimam Religionẽ pertinent, rebus humanis omnibus anteferre,& huc se quàm primum recipere. Adest igitur Franciscus Ferdinandus à Catholico Rege missus,& eo nomine,vt & Regis personam hoc ipso in loco sustineat, & omnia eius officia, operam,laborem,copias denique omnes ad amplitudinem vestram conferat. Denique vobis præsto adsit,faueat,prosit quibuscunque rebus Rex ipse possit. Etsi enim Respublic. Christiana maioribus præsidiis tegitur,ac Dei opt. Max.numine ab omnibus insidiis aduersariorum defenditur, tamen humanis etiam opibus aliquando contra vim,& scelus visa est eguisse. Etenim idcirco potissimum Reges sancti appellantur, & terris à Deo dati sunt,vt & ad rerum temperationem sedeant,& Reipublicæ Christianæ non modo excubias, & custodias, sed etiam laterum suorum oppositus, & corporum polliceantur. Primum igitur cùm Pontifex Maximus vigilet,adsit, prouideat Reipublicę. Deinde magni animi sint in bonis viris, magna concordia, incredibilis conspiratio, Deus denique ipse immortalis ac præpotens huic suo populo Christiano, huic clarissimo Imperio, huic pulcherrimæ Reipublicæ auxilium

conti

continenter ferat, non est desperandum fore, vt vos Patres Amplissimi, non modo labenti Christianæ Reipublicæ subueniatis, verùm etiam in veterem libertatem, & dignitatem vindicetis. Ipsa certè, quæ nuper crescentibus malis, quæ ipsam interimunt, capiti, salutíque suæ propè desperare videbatur, & miseris temporibus ac perditis moribus afflicta, & oppressa iacebat, nunc tandem aliquando benè sperare, freta præsertim medicina consiliorum vestrorum, salutaribúsque auxiliis cœpit. Confidit enim se veteris morbi grauitatem vobis curatoribus depulsuram: confidit à nouis tentationibus vestra diligentia liberam futuram: Confidit denique antiquum robur, ac corporis firmitatem breui recuperaturam. An verò cùm sciat vos, quos non tanquam aliquos ex vrbe Roma missos, sed de cœlo delapsos intuetur, in loco tam excelso pulcherrimè sedere, & ad defensionem suam stare, non sese excitet? non sese erigat? non caput extollat? Quæ cùm ita se habeant, facilè omnes in eam spem ingrediuntur, fore, vt omnes qui fortasse aliquo modo aberrarunt, redeant in viam, & veritas multis incommodis debilitata, tandem opera, & equitate vestra recreetur, & locum, in quo consistat, reperire possit. Postularet fortasse hoc loco magnitudo rei, expectatio vestri, quæ mirabilis est, vt Franciscus Ferdinandus commoneret vos, Patres Amplissimi, vt in hac turbulentissima tempestate Reipublicæ in tam grauibus cogitationibus vestris omnia diligentissimè dispiceretis. Sed cùm secum ipse consideret incredibilem sapientiam vestram, ac propè diuinam, nullámque rem tantam esse, ac tam difficilem, quam vos, non & consilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere possitis, nihil sibi temere faciendum esse putat, nihil vos cuiusquam monitis egere arbitratur. Videt vos quasi in vigilia quadam manere, nec vsquam discedere, nec à Republica deiicere oculos, ex eo die, quo in hoc Concilium conuocati estis. Videt in tantis tenebris erroris à Deo optimi Maximo clarissimum lumen præferri mentibus vestris. Videt animos vestros Reipublicæ conseruandæ cupiditate sua sponte incensos, ab eodem inflammari. Intelligit vos nihil neque cupidè, neque temerè, sed omnia, & sapienter, & fortiter administrare: Intelligit vos ab omnibus cæteris cogitationibus ad vnam salutem communem conferri. Intelligit denique vos cogitationes, & mentes vestras in hoc vno fixisse, & locasse, vt Rempublicam constituatis, & in pristinum gradum restituatis. Quæ omnia cùm videat, & quantum in vobis fuit, præclare iecisse vos iam fundamenta stabiliendæ

Rei

Reipublicæ,& eam ſuauiſsimè nunc à vobis tractari, arte, quæ lenit, non exaſperat, ſanat, non vlcerat, mouet,non perturbat animos hominum,& in poſterum nulla vos in re, muneri veſtro defuturos eſſe: Vnum illud reſtare putat, vt in proprio ſuo officio permanens, Philippi maximi, & potentiſsimi Regis nomine ſtudium, officium, operam,gratiam,authoritatem,copias denique omnes vobis, Patres Ampliſsimi,ſine vlla exceptione,aut laboris,aut occupationis,aut temporis polliceatur,ac deferat.

RESPONSVM SANCTAE SYNODI *in admiſsione Oratoris Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici:* XVI. *Martij,* M. D. LXII. *& in Seſsione tertia, Die* XIIII. *Maij.*

ET ſi, Franciſce Ferdinande Marchio Excellentiſsime, pium ſtudium Inuictiſsimæ Auſtriæ domus,atque animi propenſio erga Rempublicam Chriſtianam,verámque Chriſti religionem Romanis Pontificibus, ſanctæque Sedi ſpectata,atque probata ſemper fuit: hoc tamen potiſsimum tempore Catholici, potentiſsimíque Philippi Regis, cuius perſonam merito Legatus ſuſtines, promptus, paratúſque animus in vera religione,quæ ad paucos redacta eſt,conſeruanda:& à tot impietatibus reuocanda, ac in veteri dignitate, & ſinceritate tuenda, adeò exoptatus, adeò iucundus ſacræ huic generali Synodo extitit, & omnium animos erexit,vt ſpem certam attulerit,Chriſtianæ Reipublicæ grauiter quidem ægrotanti, ſalutare remedium, magnáque ex parte conuulſæ, atque collapſæ, verum,firmúmque ſubſidium afferri poſſe, præſertim Pio quarto Pont.Max. Paſtoréque vigilantiſsimo duce, & authore,qui è Romana ſacra illa, & non violabili ſpecula, ſalutare,& expectatum Concilij ſignũ erexit,Tridentúmque remiſit,quo Chriſti oues à feris apris diſperſas, & immaniũ luporum faucibus crudeliter abſorptas,ad Chriſti tandem gregem noſtris humeris,noſtris inquam humeris patienter, manſuetèque portaremus: Ferdinando Cæſare Optimo Romanæ Eccleſiæ Primogenito, Regibus,Chriſtianiſque denique Principibus,quorum hîc frequentes,inſignéſque legatos adeſſe cernimus, fautoribus,benéque iuuantibus, è quorum numero facilè Princeps Philippus Rex Caroli quinti Cæſaris Inuictiſsimi,cuius memoria

moria in benedictione est,& omnibus virtutum numeris cumulatissimi,vt aliarum heroicarum virtutum:ita etiam veræ religionis verissimus hæres,& imitator,omnem operam,studium,industriam, facultates, omnem denique corporis sui laborem benignissimè polliceatur, & si opus fuerit,fidelissimè præstabit.Quem ita pium,ita sanctum,vereque regium animum, atque studium generalis hæc sancta Synodus, ita libenter tota mente amplectitur, ita merito laudat, & extollit,ita iure lætatur,& in eo conquiescit, vt magnas quidem gratias potentissimo,Christianique nominis firmissimo propugnaculo,atque vindici per me omnium Patrum nomine agi voluerit: Tibique etiam Dauale Princeps Clariss.vel multis tuis nominibus,vel honorificę huius legationis nomine,plurimum debere fateatur. Atque omnia,quæ ad ipsius iustissimi pientissimique Regis honorem, authoritatem, dignitatem pertineant,quantum licuerit, libentissimè pro suis meritis sancta Synodus præstabit:Deumque Optimum Maximum obsecrat,vt talium, tantorumque Regum,ita pios animos,ita pro Christi fide,veraque religione accensos,atque inflammatos perpetuo conseruare, ac tueri liceat. Mandatum vero Regium quantum de iure debet,admittit.

COMPARITIO ORATORIS Cosmi Ducis Florentiæ & Sen. Die XVI. Martij, M. D. LXII.

Literæ. Mandatum.
Oratio. Responsum.

LITERAE DVCIS FLORENTIAE *ad Generosissimos Legatos exhibitæ per eius Oratorem, Die* XVI. *Martij,* M. D. LXII.

REuerendissimi & Illustrissimi Domini,Patréque omni veneratione Colendissimi. Cùm summo affectu,summáque pietate iam inde à maioribus nostris Sanctã Sedem Apostolicam, summósque Pontifices Iesu Christi Domini nostri, Vicarios, & Catholicam Ecclesiam in fide ac sinceritate patrum nostrorum coluerim semper ac studiosè ob-

seruauerim: officij ac reuerentiæ meæ fore arbitratus sum, ne in Sancta ista tantorum patrum vniuersali Synodo, auctore Deo, summóque Pontifice pientissimo, congregata, cessare, quin pro virili mea per Ioannem hunc studiosissimum Legatum nobilitate natalitū, fide, moribus ac doctrina insignem Reuerēdissimis atque Illustrissimis D. D. Vestris adessem, qua optimum sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ fidei alumnum decet promptitudine, atque obsequio: Hunc ego quæso amplissimi Patres, vt æquis animis, atque auribus Reuerendissimæ, & Illustrissimæ D. D. Vestræ accipiant integra in his, quæ ex mandatis exponet, tractabítque fide, non secus ac me ipsum corā audirent: sibíque ipsæ persuadeant, fortunas nostras vniuersas in præclaro isto negocio, in earum potestate ac nutu fore promptissimas. Quarum votis & actionibus Deus ac Dominus noster Iesus Christus adsit, & faueat precor: méque illis summopere commendo. Pisis &c. Calend. Maij, M. D. LXII.

Earumdem Reuerendissimarum & Illustrissimarum Dominationum Vestrarum Deditissimus.

COS. MED. FLORENTIAE ET SEN. DVX.

Reuerendiss. & Illustriss. Dom. Patribus Obseruand. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinal. Apost. Sedis de latere Legatis in Concilio Trident. Præsidentibus.

MANDATVM ILLVSTRISSIMI D. *Cosmi Medices Florentiæ & Senarum Ducis in personam sui Orato. in Sess.* III. *Itidem* XIIII. *Maij*, M. D. LXII.

COSMVS Medices Dei G. Flor. & Senar. Dux secundus, &c. Vniuersis has patētes literas inspecturis salutē, ac sinceræ delectionis affectum. Sanè iam inde ab administratione quā gerimus, diuino fauore suscepta, officij nostri esse cognoscimus, more institutóque Maiorū S. Catholicæ atque Apost. Ecclesiæ, cuius fidem pietatémque profitemur, vestigiis atque obsequiis studioſè, ac reuerēter insistere: atque eò feruentius, quo grauiorum negociorum curarúmque solicitudo, & pondus incumbit, vt in præsenti conuulsæ Religionis morúmque lapsorum discrimine imminere comperimus, quapropter: vt nostri perpetuò

simi

similes, eiusdémque voluntatis, ipsi quoque pro virili nostra pio huic muneri adesse videremur, Nobilem Virum nobis dilectissimũ Ioannem Strozium fide, probitate, atque eruditione præclarũ, ipsisque rerum experimentis probatum, ad sacrosanctam Tridentinam Synodũ, Deo authore, ac Sanctiss. D. N. Summo Pontifice pientissimo congregatam, destinauimus eum Mand. Eundémque item Nuncium, Procuratorémque nostrum ac negociorum gestorem dicimus, constituimus, atque harum patentium literarum serie deputamus: vt nostro scilicet nomine, nostraque possit authoritate, quoties oportuerit Reuerendissimis Illustrissimisque Sedis Apost. Legatis, Amplissimorúmque Patrum sacrosancto Concilio, ipsorum cuilibet adesse, atque in Sessionibus tam celebri negotio quomodolibet opportunis & expedientibus adsistere, interuenire, prosequi, & obsequi: Cum Cæsareæ quoque Maiestatis & Serenissimorum Regum ac Sublimium Principum Legatis, nunciis, negociorúmve gestoribus, & eorũ quolibet quoties expedierit, ipsique Ioanni procuratori placuerit ea, quæ sanctæ Trinitatis, Deique, ac Domini nostri Iesu Christi gloriam cultúmque ac sanctæ Matris Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ fidẽ, vnitatem, authoritatem, puritatémque respiciunt profiteri promouere, suadere, agnoscere, & acceptare, cæteráque ad hæc pertinentia gerere, tractare & explicare. Etiamsi nominatim nuncupanda & specialiori nota censenda essent, plena videlicet ac libera ipsi potestate per nos attributa. Cuius acta, gesta, tractata & explicata quæcunque fuerint bona fide, rata nos & grata, perpetuo Iure, atque optimo recipimus & profitemur. Datæ in Ducali nostra Ciuitate Pisarum, Anno M. D. LXII. Indictione quinta, nonis Aprilis more Florentino.

COS. MED. FLORENTIÆ ET SEN. DVX.

ORATIO HABITA A MAGNIFICO *D. Ioanne Strozio Oratore Illustrissimi Cosmi Medicis Ducis Florentiæ & Senarum, in eius comparitione, Die* XVI. *Martij.*

M. D. LXII.

COSMVS Medices Florentinorum, & Senensium Dux, & Dominus meus, optimi, atque iidem Amplissimi Patres, cùm sit Christianæ Religionis omniũ maximè studiosus, & Romani Pontificis atque Apostolicę Sedis auctoritati plurimum semper tribuerit, cùm ipse inquam,

præsenserit tot dignissimos Sacrorum Antistites, eiusdem Pontificis voluntate summa, atque consensu in hanc vrbem Tridentinam, ideo conuenisse, vt Sacrum Oecumenicũ & generale Concilium celebraretis, atque ita permultos, qui nunc rapti varios in errores à fide Catholica desciuerunt, ex illis nouis opinionibus moueretis, consiliisque vestris ad vitam piè sanctéque traducendam dirigeretis, huc me misit, vt vobis vniuersis, Sapientissimi Patres, declararẽ sui ipsius animi singularem voluntatem, ad ea validissimè pertractanda, atque adeò perficienda, quæ in primis ad Dei optimi Max. laudem, honorem & gloriam, ac totius suæ Ecclesiæ vtilitatem, conseruationémque potissimum spectarent. Vobis, item ad hũc præclarissimum cœtum auctore & Duce Pio IIII. Pontifice Max. profectis, omnia prolixè pollicerer, quibus huic tanti momenti, & ponderis negotio adiumẽto esse valeret. Quod ipsum hoc maius ac dignius à bonis omnibus haberi etiã debet, quo magis circa actionem aliarum omnium humanarum honestissimam, perfectissimámque versatur, quando ea vis est nostræ cognitionis, atque intelligentiæ, quæ quidem absolutior, eadémque perfectior, si nunc philosophantibus hominibus fidem tribuere velimus, sanè videtur, cùm obscurata nullis est inscitiæ tenebris, atque caligine, sed ab omni procul credendi vanitate alienum quicquid ipsa iam percepit, ita etiam planè continet, atque ita intelligit, id quod à Christiana doctrina quæ quidem altius sese extollit, minimè alienum esse arbitror: quandoquidem non sola veritatis inquisitio, sed etiam Dei eiusdem veritatis grauissimi auctoris, & Magistri contemplatio est: quicquid summi boni, quicquid summæ felicitatis, quicqud demum requietis à Christi fidelibus optari, haberique possit. Hæc inquam veritas si iuxta priscorũ ritè philosophantium virorum sententiam, in iis, qui perditis essent moribus, atque sceleribus contaminati haudquaquam poterat reperiri: quanto facilius quæ Sanctissimi, & Religiosissimi homines suis ipsi monimentis cõmendarunt, id nobis patefaciunt? Omnes etenim quæ extãt sacræ literæ nos vtrãque edocent. Sed magna mea nimirum esset audacia, si in tot eruditissimorũ confessu, nunc ego id pluribus verbis velim differere: quod cùm veteris, tum nouæ scripturæ memoria apertissimè nusquã non explicatur, omni asseueratione affirmando, Christũ Iesum, vt nos quocũque malificij genere cõtaminatos ablueret, nostrã hanc induisse humanitatẽ & vtrãq; nos veritatẽ docuisse. Verùm hæc omnia missa nunc faciã, dicámque, quod si in cognitione veritatis vis omnis, ac notio nostræ ipsius intelligentiæ potissimum consistit, profectò eiusmodi veritatis cultores

res in hac vita aliorum omnium beatissimi,& felicissimi habẽdi sunt, contráque prorsus miseri & infelices illius expertes,qui nihil loci rationi & consilio relinquentes, prauas multis de rebus animo opiniones imbibunt, atque in illis acquiescentes de sanitate mentis impendio magis deturbantur,quàm qui misero, diuturnóque morbo interdum affliguntur. Iis igitur si magnæ pietatis esset medicinam adhibere,& corporis incolumitati consulere, multò maioris etiam foret illorum animis salutem afferre, & ad integritatem, innocẽtiámque adducere.Quod opus tantò maius planè habetur,quantò est anima prę stantior corpore: quantum denique æternitas mortalitatem superat. Huius rei causa, Pius ille Pater Sanctissimus & verus animarum nostrarum Pastor & custos,non immemor quàm eximio, quàm singulari studio ac voluntate,eas sibi Christus commendauerit,cùm dixit Petro primo sui Vicario,& deinceps omnibus iis,quibus Sanctarum clauium munus diuino numine traderetur,Si me amas,pasce oues meas: Cùm ille Christianæ Religionis conseruator intelligat, quanta ingluuie lupus insatiabilis palàm quotidie magis irrũpat in Christianũ gregem,neque sibi sit quicquam deliberatius, quàm illum quacunque ratione possit funditùs disipare:quandoquidem post semen illud bonum, quod Christus antea sparserat,quod Apostoli ipsius imitatores, quod etiam alij integerrimi homines, in quibus quasi lumen quoddam,sanctitas admirabilis continenter eluxit, summa diligentia auctum in Christiana Republica conseruare studuerũt: Venit inimicus homo, & superiecit zizania, quæ cùm in dies singulos accrescant, iactum ab initio semẽ bonum, suffocare planè videntur. Quamobrem, inquam,Pius quartus Pont. Max. vt hanc nefariam pestem ac perniciem à nobis depellat,Conciliũ hoc peragere semel induxit animum, vbi vos & vitæ innocẽtia,& eruditionis magnitudine viri admodum insignes,de vera sinceráque Christi doctrina commonefaciatis,atque illa etiam Euangelij dogmata planissimè explicetis, & quæ tandem præcepta à Christi fidelibus tenẽda sint declarare non prętermittatis. Necnon quæ consiliis vestris atque suffragiis, sed Spiritu sancto impulsore,& authore confirmata, certa, & rata esse præcipuè decreueritis,vt fideliter,vt religiosè,vt sapienter facta authoritate atque iudicio,Max. Pont. comprobentur: Non vt alia veritas ab illa quam viri Catholici omnes coluerunt,renouetur,sed vt rursus indicetur iis,qui sese ab eadem temerè nimis remouentes, variisque imbuti erroribus, suáque in sententia obstinatione quadam incredibili constantes, latum vnguem de illa decedere tergiuersantur:huius tanti ac præcla-

ri muneris functioni Deus omnium rerum sapientissimus distributor, vos amplissimos, & religiosissimos Antistites proposuit. Pius autem Pontifex fidelis administer, & verus Christi vicarius, hoc vnum assiduè cogitat: hoc vnum sedulò quærit: hoc vnum potissimè studet: dissipatum videlicet domini sui gregem congregare, & oues grandi profectò macie iam confectas, læta in pascua reducere, & omni prorsus calamitate liberatas summo cunctarũ rerum conditori, vestra tamen ope adiutus, tandem restituere. Qua de re pluribus differere consulto iam omittam, quò negotia, quæ grauia satis in hoc celeberrimo conuentu obituri estis, minus impediam: illud tamen attingam, quòd Cosmus Princeps & Dux meus ad vos Patres optimi, adlegauit me, vt eius nomine deferrem se Pio Pontifici Maximo esse coniunctissimum, séque in Sacri Concilij huius benè & feliciter peragendi voluntate perpetuò secum, atque etiam vobiscum esse mansurum: vt igitur in tanto negocio explicando curam omnẽ, cogitationémque ponatis, pro illa summa obseruantia, qua vnumquemque vestrum studiosissimè colit: Vos etiam atque etiam cohortatur, & omnibus precibus item petit in hanc rem vnam, (id quod omnes ad vnum perlibenter vos esse facturos iam sibi penitus persuasum est) toto pectore incumbatis: & quemadmodum Pio quarto suas olim opes, facultates & copias omnes obtulit: vt dignitati Pontificiæ consuleret, & Romanæ Sedis maiestatem sicubi opus esset, cõseruaret: ita & nunc vobis hîc diuino numine congregatis nullũ finẽ facit offerendi sui, si modò hæc res in primis honesta & maximè salutaris, in qua totius Christianæ Reipub. summa disceptat, ex omnium bonorum animi sententia, demum conficiatur, & Christiani nominis honor, & existimatio augeatur. Cuius eximiæ voluntatis vt amplissimum testimonium tribueretur, non modò misit me huc, sed vt nusquam à vobis ego discederem, etiam imperauit: vt quandocunque me conspiceretis, eius animum promptum, & alacrem esse ad rem istam modis omnibus adiuuandam, & defendendam statim recordaremini.

RESP

RESPONSVM SANCTAE SYNODI IN admißione Oratoris Illustrißimi D. Coſmi Ducis Florentiæ & Senarum, in Generali Congregatione, Die XVI. Martij. M. D. LXII. In Seßione tertia, XIIII. May.

QVAM optatus & iucundus Sanctæ Synodo aduentus ſit iſte tuus, Præſtantiſsime Orator, ex maxima hilaritate atque lætitia, qua in te accipiendo, ſeſe affectam eſſe declarauit, pleniſsimè animaduertere potuiſti: Quippe quæ perſpectum habet ſtudium Illuſtriſsimi Ampliſsimique Ducis, qui te huc Legatum miſit, de Catholica Eccleſia, ac de Sanctiſsima Sede Apoſtolica benemerendi. Neque enim de huius Principis propenſa in dignitatem, tranquillitatémque Reipublicæ Chriſtianæ voluntate dubitandum eſt, cùm ex ea familia Coſmus Medices prudẽtiſsimus Princeps omnibúſque animi, ingeniíq; ornamentis cumulatiſsimus, originem ducat, quæ duos quidem ante hac Pontifices Maximos, eóſque ſapientiſsimos, Leonem Decimum, & Clementem ſeptimum, Eccleſiæ dederit. Nunc autem Pium quartum, qui noctes & dies nihil aliud cogitat, quàm tranquillitatem, pacémque Eccleſiæ vniuerſæ, ſalutem omnium Chriſtianorum, impietatis euerſionem, pietatis incrementum. Quas ob res Conciliũ Oecumenicum in hunc locum, omni induſtria, omni diligentia, omni denique opera conuocandũ curauit. Hæreditaria itaq; Florentini, Senenſiſq; Principis hæc laus eſt: ſed illa certè propria, quæ nunquã ſatis cõmẽdari poteſt, quòd hac tẽporum infelicitate, hac rerum omniũ perturbatione, maiorum ſuorum pietatẽ, non modò ſeruat, verum etiam auget. Quòd autẽ Synodũ hortatur ad veritatis lucem explicandam, quã Apoſtoli, & poſt eos ſanctiſsimi Patres docuerũt, facit piè ille quidẽ atque vt decet Principẽ Chriſtianũ. Verùm hoc velit Sancta Synodus, ſibi ille perſuadeat, ſe in eã cauſam toto pectore incũbere, eã operã enixè dare, in id omnes ſuas curas, cogitationéſque cõferre, neque labori parcere, neq; incõmodi quicquã deuitare, vt Sãctiſsimo Põtifice authore, ac duce optimo, Imperatore fauẽte, potẽtiſsimis Regibus, Principibúſq; adiuuãtibus, necnon Sapiẽtiſsimo Duce, cuius hoc loco perſonã geris, clariſsime Legate, opẽ afferẽte, ignorantiæ tenebris depulſis, veríq; perſpicientia patefacta, omnis diſſenſio diſcordiáq; tollatur. Quódq; ad id Dux ipſe ſuas opes, facultates, copias deniq; omnes

pollice

pollicetur: ſtudium illud ſuum erga religionem, Chriſtiano Principe dignum, de quo dixi non eſſe dubitandum, planè declarat. Quas ob res ipſa Synodus pro ſingulari eius prudẽtiſsimi Principis erga ſummum Pontificem voluntate, pro ſumma erga Eccleſiam pietate, pro incredibili erga ſe animi propenſione, maximas ei gratias agit, & habet: rogátque etiam atque etiam, vt ſecum Rempublicam Chriſtianam, quemadmodum pollicetur, toto animo complectatur. Te verò huc acceſsiſſe, Orator præſtantiſsime, mirificè lætatur: cùm de tua virtute, ea ſibi promittat: quæ congruunt tam pij, ſapientiſque Principis Legato. Atque illi ipſi mirũ in modum gratulatur, quòd viro tam ſolerti, tam nauo, tam induſtrio, tam denique literis erudito, legationem earum rerum cauſa detulerit. Sperat enim diuino Spiritu afflante, ea mente, eóque conſilio te fore, vt ſecum ſenſurus ſis, quæ illa eodem Spiritu afflata conſtituenda eſſe cenſuerit, atque libentiſsimo animo complexurus. Mandatum verò, quod ille tibi ad ſe dedit, ita accipit, vt iuris eſt.

COMPARITIO ORATORVM Reipublicæ Venetorum, Die vigeſima quinta Aprilis, M. D. LXII.

Literæ. Mandatum.
Reſponſum Sanctæ Synodi.

LITERAE REIP. VENET. AD SACRVM *Concilium exhibitæ ab eius Oratoribus, Die* XXV. *April.* M. D. LXII. *in Congregatione Generali, & in Seſsione tertia, Die* XIIII. *May.*

SAcroſancto Oecumenico & Generali Concilio in Spiritu ſancto Tridenti legitimè congregato, Hieronymus Priolus Dei gratia Dux Venetiarum, &c. Commendationem & omnimodam reuerẽtiam. Cùm Pio quarto, digna Dei prouidentia Sacroſanctæ Romanæ ac Vniuerſalis Eccleſiæ Pont. Max. (vt Chriſtiani gregis incolumitati, ſalu-

tique

tíque consuleret) Vniuersale placuerit in ista vrbe Tridento haberi Concilium, quod Sanctum & Venerabile omnibus semper habitum est, ac propterea eo mandauerit conuenire tot singulari sapientia ac religione præditos viros, qui Christianam disciplinam diuina imprimis aura fauente, in suam restituant integritatem, ad nos etiam pertinere visum est pro summa nostra in Christum Seruatorem ac Dominum pietate, ac iuuandæ religionis desiderio, próque ea, qua eundem Ponti. Maxi. Christi Vicarium in terris agentem prosequimur obseruantia, quæ omnia à maioribus nostris edocti, perpetuò retinere & volumus & debemus, præter Ecclesiasticos nostræ Ditionis viros, quos istuc se quàmprimum conferre curauimus, nostros certos & graues homines eódem legare, qui nostro nomine Sancto isti Concilio interfint ac faueant. Itaque primarios de nostra nobilitate Viros, eosdémque integros & sapientes, Nicolaum de Ponte Doctorem & Equitem, ac Matthęum Dādulum Equitem, Oratores nostros mittimus eandem ob causam, rogamúsque Illustrissimas ac Reuerendiss. Dominationes vestras, vósque cæteros Reuerēdos Patres, qui omnes in Spiritu sancto congregati, Sacrosanctam istam Oecumenicam Synodum conficitis, vt iis Oratoribus nostris eam fidem omnibus in rebus adhibeatis, quam nobismetipsis, si præsentes essemus, corámque loqueremur, adhiberetis. Datę in nostro Ducali Palatio, Die x i. Aprilis. Indictione v. M. D. LXII.

MANDATVM REIPVBLICAE VENETIARVM, *in Personam suorum Oratorum, exhibitum in Sessione tertia,* XIIII. *Maij,* M. D. LXII.

HIERONYMVS Priolus Dei gratia Dux Venetiarum, &c. Cùm Sanctissimus & Beatissi. in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Pius IIII. digna Dei prouidentia, Sacrosanctæ Romanæ ac Vniuersalis Ecclesiæ Pontifex Maximus, vt iis dissidentium opinionū malis, quibus Christiana Religio iamdiu vexatur, eo remedio, quo Sancta & Vniuersalis Ecclesia vti solet, mederetur, & ad veram in fide concordiam omnes Christifideles reduceret, Oecumenicum & Generale Concilium Trideti, celebrari voluerit, nósque inter alios Christianos Principes & Potentatus, vt huiusmodi sancto operi faueremus, &

ad Sacrosanctum ipsum Generale Concilium Oratores nostros idcir co mitteremus, paterna charitate sit hortatus. Nos iuuandæ religionis desiderio, ac pro summa nostra in eundem Pontificem Maximum Christi Vicarium in terris agentē obseruantia, sedulam adhibuimus operam, vt Ecclesiasticos nostræ Ditionis viros, Doctrina, Religione, ac vitæ integritate præstantes, sese Tridentum quàm primum conferrent, & cùm ipsimet adesse nequeamus, primarios etiam de nostra nobilitate Viros, eosdémque integros & sapientes, Nicolaum de Ponte Doctorem & Equitem, & Matthæum Dandalum Equitē, Oratores, Nuncios, & Procuratores nostros ad Sacrosanctam ipsam Oecumenicā Synodū fecimus, constituimus, & deputauimus, ac tenore præsentium facimus, cōstituimus, ac deputamus: dātes eis & vtrilibet eorum omnibus melioribus modo, via, iure & forma, quibus possumus & debemus plenam & omnimodā facultatē & authoritatē cum libero & amplo mādato, vt eiusdē Concilij celebrationi nostro nomine adesse & interesse, ac vices nostras in omnibus Sessionibus & Cōgregationibus gerere, eáque omnia agere, dicere, & procurare ad veræ Christi Seruatoris nostri fidei & religionis concordiā, decus & dignitatē spectantia, possint & valeant, quæ nosmet ipsi agere, dicere & procurare possemus, si præsentes essemus, etiamsi talia forent, quæ mandatū exigerent magis speciale quàm præsentibus est expressum, habituri proinde ratum & gratum quicquid per dictos Oratores, Nūcios & Mandatarios nostros modo præmisso, & quo supra nomine actum, dictum, & procuratum fuerit. In quorum fidem & testimonium præsentes Literas nostras in hac patenti forma fieri iussimus, & nostri soliti sigilli, quo in similibus vtimur, appensione muniri. Datæ in nostro Ducali Palatio. Die XI. Aprilis. Indictione quinta. M. D. LXII.

RESPONSVM SANCTAE SYNODI

in admissione Oratorum Reip. Venet. Die XXV. *Aprilis,* M. D. LXII. *& in Sessione tertia,* XIIII. *Maij.*

NON potest Sancta Synodus non incredibilem lætitiam & voluptatem capere, maximáque Deo immortali gratias habere, cùm tot nobilissimis Legationibus hunc sacrum & legitimum conuentum augeri & honestari videat. Nam cùm à Pio IIII. Pontifice Maximo, cuius sapientia & vera in Deum pietas nunquam satis laudari poterit, Sacrosanctum

ſanctum hoc Generale Concilium ad Catholicæ Eccleſiæ pacem & dignitatem vel conſtituendam vel recuperandam conuocatum fuerit,non ignorat quantum præſidij ad diuinæ eius mentis cogitata perficiẽda, omnium Chriſtiani orbis gẽtium & populorum conſenſus & conſpiratio afferre poſsit. Verùm ita vobis,Oratores Ampliſsimi,Sancta Synodus perſuaſum eſſe vehementer velit,illud ſibi in optatis ſemper maximè fuiſſe, vt quam antea Veneta Reſpublica in tuenda Dei Eccleſia alacritatem oſtendiſſet, quámque in ea mentem & voluntatem eſſe difficillimo hoc Reipublicæ Chriſtianæ tempore dubitare non poterat,eandem etiam miſſa hac Legatione, omnibus declararet, quam ſtatim indicto Concilio, Senatus veſtri authoritate decretam fuiſſe in ore omnium atque ſermone poſitum erat. Ac profectò in eo Concilio, in quo de componendis Eccleſiæ diſcordiis ac morum diſciplina reſtituenda ageretur, Veneti nominis in orbe terrarum clariſsimi authoritas & amplitudo deeſſe non potuit. Nam præter alias innumeras virtutes, quas in Reipublicæ adminiſtratione veſtri prudentiſsimi Ciues melius expreſſerunt, quàm vlli ſapientes homines ratione & præceptis tradiderunt,nihil vnquam diligentius, quàm veram pietatem & religionem coluiſtis, atque ad pacem & concordiam conſeruandam,& cum dignitate retinendam, omnes curas & cogitationes contuliſtis. Neque verò alia vobis ſtudia ſanctiora & antiquiora vlla eſſe debent, vt qui à præclaris iis maioribus orti & procreati eſtis,qui cùm in miſera illa totius Italiæ vaſtitate, mirandæ Vrbis veſtræ fundamenta iacerent,non tam illi quidem ſibi ipſis videntur ocij, & ſecuritatis profugium quæſiuiſſe, quàm pacis & tranquillitatis publicæ ſedem ſtabilem & domicilium certum collocaſſe. Nam quod ad religionem attinet,hæc veſtræ beatiſsimæ Reipublicæ, hæc, inquam, vera, ſumma & propria laus eſt,quòd fidem Chriſti non accepit, ſed in ea nata & piè educata, eam deinceps per tot ſeculorum ætates puram atque integram ſanctè & religioſè conſeruarit: ita vt quàm latè Venetorum Imperium & Ditio pateat,nuſquam vllum peregrinæ doctrinæ veſtigium,nuſquam interruptus Orthodoxæ fidei cultus appareat,vbique Sanctitas,vbique Religio,& Catholicæ Eccleſiæ diſciplina atque inſtituta plurimum vigeant, quin potiùs quòd in extremis Orientis partibus adhuc lumen aliquod veteris & ſynceræ religionis eluceat, id totum Chriſti Eccleſia in primis Dei clementiæ, deinde Venetorum pietati & virtuti acceptum refert. Hæc autem Oratores Ampliſsimi, eò dicta ſunt, non quòd Sancta Synodus veſtræ Reipublicæ laudes,quæ ne longa quidem oratione comprehendi poſſent,

hoc loco prosequendas existimet. Verùm vt intelligatis quantam sibi hilaritatem & lætitiam, quantum spei præter illam quam anteà adiuuante Domino, rei benè gerendæ haberet, aduentus hic vester optatissimus attulerit. Accedit autem ad maiorem harum rerum cumulum, quòd huiusce Legationis munus vobis præcipuè optimis & Ornatissimis viris delatum est. Etenim si generis splendor, si rerum vsus & prudentia (cuius egregia exempla in Romana Legatione semel atque iterum à vobis pro patria suscepta intueri omnibus licet) si optimarum artium cognitio, si pietas requiratur, hæc ipsa ornamenta omnia tam clara atque illustria in vobis sunt, vt aliquem fortasse vobis comparandum esse (vt magnam habet Respublica vestra Præstantium Virorum ac Ciuium copiam) neminem certè anteponendum Sancta Synodus iudicarit. Quod igitur reliquum est, primùm quidem Mandatum vestrum, prout iuris est, libenter admittit. Deinde Vos, Oratores Clarissimi, tum vestro merito, tum optimæ & sanctissimæ Reipublicæ vestrę nomine, benigno & lætanti animo excipit. Et quoniam diuina prouidentia factũ videri potest, vt in ipsum Diui Marci solennem diẽ, quem Venetæ Ciuitatis Patronum & custodem summa religione colitis, aduentus vester incurreret, quẽadmodum certè eo deprecatore futurum sperat, ita à Domino petere & obsecrare nunquam desistet, vt hæc ipsa Legatio, consiliáque vestra omnia, vobis & Catholicæ Ecclesiæ prosperè ac feliciter eueniant. Postremò quòd Veneti Imperij amplitudinem, opes, fortunásque omnes tam prolixè & liberaliter ad communem Sanctæ matris Ecclesiæ causam iuuandam detulistis, de hoc vobis eadẽ Sacrosancta Synodus se plurimũ debere agnoscit. Hanc autem voluntatis vestræ præclaram significationem eò lubentius accipit, quòd cum in hanc Tridentinam vrbem Pontificis Maximi iussu & omnium Principum approbatione conuenerit: quamuis ex altera parte Inuictissimi Cæsaris potentia & authoritate non solùm ab omni iniuria defendatur, sed ab omni etiam periculi metu liberetur: ex altera tamen quòd vestræ etiam Ditionis tutela, & præsidio tecta & munita sit, permagni faciendum esse merito atque optimo iure existimat.

COMP

COMPARITIO ORATORVM

septem Cantonum Heluetiorum Catholicorum, & Cleri eorundem septem Cantonum.

Literæ. Mandata.
Oratio. Responsum.

LITERAE SEPTEM CANTONVM

Heluetiorum Catholicorum, exhibitæ in Sessione quarta Sacri Concilij Tridentini, sub Pio IIII. *die* IIII. *Iunij,* M. D. LXII.

NOS Sculthetus Amanni & vniuersalis Senatus infrascriptorum veteris Catholicæ fidei Cantonum Luceriæ, Vraniæ, Suitiæ, Syluaniæ supra & infra Syluam, & Iugium vnà cum Territorio nostro extra sito recognoscimus, & publicè fatemur præsentium per tenorem. Quòd cùm Reuerendiss. in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Ioannes Antonius Vulpius Episcopus Comen. Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, D. Pij Papæ eius nominis quarti, & sanctæ Sedis Apostolicæ Nuncius, cum potestate legati de latere, nos in certis inter nos passim habitis dietis, quatenus nostrarum ditionum Prælatos, eò permoueremus, vt Sacrosanctum Oecumenicum Generale Concilium, quod Tridenti inceptum in præsentiarum celebratur, per se ipsos personaliter, vel per suos idoneos Legatos inuiserent, summopere crebriùs interpellarit. Nos idcirco (quamuis non dubitauerimus ipsos ad cupita implendum sponte etiã non commonefactos fore promptissimos) quo Sanctissimus noster Papa Sanctitatis suæ petita cernat apud nos plurimi (vt par est) esse momenti, eosdem nostrarum ditionum Prælatos diligenter & seriò, quantóque fieri potuit, studio sumus obtestati, vt vnanimiter conuenientes inter se Legatum, qui ad huiusmodi Concilium mitteretur, eligerent. Petitionibus igitur nostris ad id, quod alioquin proculdubiò erãt facturi, inuitati, Reuerendissimũ in Christo Patrem & Dominum, D. Ioachinum Abbatem Monasterij Hæremitarum in antiquorum confœderatorum nostrorum Suitensium Dominio & illorũ protectione situati

in eorum & cuiuslibet, Legatum deputarunt. Ea quæ in Mandato procurationis desuper emisso, & suæ Reuerentiæ concesso continentur, mandando. Nos verò ea quæ dicti Domini Prælati Reuerend. Domino Abbati in huiusmodi procurationis Mandato commiserunt, non solùm approbamus, verum etiam magno sumus gaudio perfusi, quod hoc muneris illi delegarint. Idoneum enim illum cẽsemus ad ea expedienda, que in adeò toti orbi necessario negotio factu fuerint opportuna, quæque ipsius Legati, & cæterorum Prælatorum officij esse, quomodolibet cognoscatur. Omnia enim & singula, quæ dictus D. Legatus præmisso nostro egerit, valida semper & infracta, quantũ nos concernant, mansura testamur. Harum per antiquos confœderatos nostros Luceranos, sigillatarum literarum tenore. Datum Veneris xx. Februarij, Anno Domini M. D. LXII.

MANDATVM SEPTEM CANTONVM *Heluetiorum Catholicorum in personam sui Oratoris, exhibitum in Sessione quarta Sacri Concilij Tridentini, sub Pio* IIII. *Die quarta Iunij,* M. D. LXII.

NOS Schulteti Amanni, atque vniuersalis Senatus septẽ celebris Heluetiæ laudabilis superioris Alamaniæ antiquæ, & magnæ ligæ, veræ, ac veteris Catholicæ Religionis Cantonum, Luceriæ, Vraniæ, Suitiæ, Syluaniæ, supra & infra Syluam, lugium vnà cum Territorio nostro extrà sito, Friburgum, & Solodorum. Recognoscimus cuilibet inspecturo per præsentes. Cùm Reuerendissimus in Christõ Pater, & Dominus noster, Dominus Ioannes Antonius Vulpius, Episcopus Comensis, Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pij Papæ eius nominis quarti, & sanctæ Sedis Apost. Nuncius, cum potestate legati de latere, nobis in certis per nos passim habitis dietis significarit: Quòd Sanctissimus Dominus noster Papa, diuino pariter, vt paterno zelo adductus, ex officio quo dignissimè fungitur, totum Christianissmum paci, tranquillitati, atque Catholicæ & Orthodoxæ fidei per totum terrarum orbem promulgato Generali Concilio pérque supremos Christianissimos Proceres approbatum Generale Concilium Tridenti indictum, restituere intendat. Cúmque nos Sacrosanctæ Apostolicæ Sedis obedientes filios ac defensores ostenderimus ab anti

antiquo, Sanctitas ſua nobis quoque hoc (vt decuit) ſignificare volens, paternè nos admonuit, quatenus (quod vel præcipuũ Chriſtifidelium munus erat) non ſolùm in Concilium huiuſmodi conſentire, verumetiam Religioſos noſtrarum ditionum Prælatos ad id viſitandum adhortari, atque nos ſecularem Legatũ, quemadmodum & cæteri Proceres facturi eſſent, eò mittere vellemus, ac amandare. Quàmuis igitur nos quicquid per Generale Concilium, quod ad communem pacem & tranquillitatem, atque almæ noſtræ fidei vnitatem, quomodolibet ſpectare poſſet, concluderetur, accepturos, tunc promptiſsimos oſtenderimus: Ad maiorem tamen obedientiæ propenſæ voluntatis, proinde animorum in Chriſtianam noſtrã fidem ſtudij oſtenſionem, non ſolùm penes noſtrorum Dominiorum Prælatos, vt Nunciũ ſuum ad Concilium mittant, obtinuimus, verumetiam in noſtrûm omnium & ſingulorum verum & certum Legatum deputauimus, prout deputamus per præſentes, Nobilem & Strenuum Melchiorem Luſsi, Equitem auratum, Amannum in Syluania infra Syluam. Mandãtes eidem, vt noſtrûm omnium nomine in Cõcilio huiuſmodi Tridentino compareat, atque omnia & ſingula tranſigat & exequatur: quæ Nos, ſi præſentes eſſemus, exequeremur. Quicquid etiam in dicto Generali Oecumenico Concilio pro pace & tranquillitate, atque etiam Reformatione Eccleſiæ, noſtræque Religionis elucidatione, & ſeu augmentatione, tuitione, ac defenſione ſtatutum fuerit atque decretum, noſtro atque omnium noſtrarum ditionum nomine acceptandum, conſentiendum, atque nos omnes & ſingulos, ea fideliter & ſtrictè completuros promittendum. Promittimus inſuper intercedentibus fide atque honore noſtris, Nos omnia & ſingula, rata, grata, atque firma perpetuò habituros, quæcunque in præmiſsis, ſeu aliquo præmiſſorum, per hunc noſtrum Legatum acta geſtáque fuerint, prout & quemadmodum deuota Sacroſanctæ noſtræ Matris Eccleſiæ (apud quam nos in perpetuum permanſuros confidimus) membra decebit. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum fidem, robur, & teſtimonium præſentes noſtras literas exinde fieri, atque fideliſsimorum antiquorum noſtrorum confœderatorum Lucernenſium, noſtrorum omnium nomine fecimus, ſigilli appreſsione communiri. Datum xx. Februarij, Anno Domini M. D. LXII.

MAN

MANDATVM PRAELATORVM, ET *Cleri Septem Cantonum Heluetiorum Catholicorum. Exhibitum in Sessione quarta, Sacri Concilij Tridentini, sub Pio Quarto.*

NOS Diethelmus Sancti Galli, Petrus in Vettingen, Michael in Rynovv, Ioannes Christophorus in Muri, Iacobus sancti Vrbani, Henricus in Vischingen, Iodocus in Monte Angelorum Monasteriorum Abbates, Leonardus Douius Carthusianæ sancti Laurentij in Ittingen, Iacobus in Episcopali Cella, Nicolaus in Aula prope Luceriam, Heinrichus in Turzachio Præpositi, Heinricus Cuitzligensis, Ioannes Iacobus in Pfeffers, Monasteriorum Decani, & Honofrius Monasterij in Egronia custos, vt & tanquam Abbatum & præpositi nostrorum respectiuè Commissarij, ad hoc per ipsum Abbates, & Præpositũ respectiuè nostros legitimè amãdati iam in oppido Rappesvilla vnanimiter in Domino congregati, recognoscimus per præsentes. Quod cùm Reipub. Christianæ dissidia, Ouilis Christi, cuibus passim trucidatis, dissectio, æstuantis mundi huius freti, turbulẽti motus, dissidia numerum excedentia, procerum se inuicem vlciscendi rabida libido, & omnium rerum etiam optimè constitutarum immutationes an deprauationes dicamus, haud constat. Cùm denique naufragium pretiosæ illius Nauiculæ Christi, (nisi is ipse puppi, proræque præsideret, atque exuscitatus pauidos discipulos cõsolaretur) immineãt, præclarissimè equidem Sanctissimus D.N. Pius quartus, Pont. Maximus egit, quod sacrum Oecumenicum Generale Conciliũ, quo rugientem illum Leonem, qui vastis distensis faucibus mortalibus haud animaduertentibus iugiter insidiatur, compescat, atque atrocem lupum neci ouium Sanctitati suæ commissarum inhiantem, quantum possit, (potest autem plurimum) abigat, indixerit, ne derelictæ, & funestis morsibus expositæ conquerantur, Factæ sumus opprobriũ inimicis nostris & despectio superbis, néve dicant Gentes, Vbi est Deus eorum? sed ad Christum tutò clamare queant: Laqueus contritus est, & nos liberatæ sumus. Hoc nimirum, hoc decet Vicarium Christi, hoc est muneris pastoris super gregem suum, die noctúque vigilare. Gratulamur non nobis solùm, sed vniuerso Orbi, quòd talẽ sumus nacti Pontificẽ, qui Zelo Sponsæ Christi non comestus, sed ferè consumptus, maculas illi non aspersas, quas quantum esset abstergere, & temporis diuturnitate,

(Deo

(Deo conniuente) infixas radicitùs ſatagat euellere. Deus qui vt poteſt, ita vult, ſinat ſe exorari, & nobis omnibus abiectis, licèt (peccata enim noſtra diuiſerunt inter nos & illum) de Patris tamen in nos affectu non dubitantibus filiis, reconcilietur: Et ſi non patiatur, vt filios, at tamen vt micas ſolo colligẽtes, & de multitudine miſericordiarũ ſuarum ſperantes, non deſpiciat, ſed ad faciem ſuam permittat aliquando accedere, vt omnes illuminemur in æuum, Amen.

Vtinam poſſemus noſtris non ſolùm rebus, verumetiam propriis corporibus negotium hoc, tum vniuerſo Orbi, tum nobis apprimè neceſſarium, aliquantulum non dicimus promouere, ſed adiutare, vt tandem diſsidiis ſemotis, ac vera Orthodoxa Religione in priſtinum ſtatum reſtituta in hac lachrymarum valle ad æternam patriam anhelantibus, iugi detur frui conſpectu Dei. Quantum verò in nobis eſt, indeſinentibus preculis non deſiſtemus acclamare Patrem, vt ille præſens cominus potẽti manu ſuccurrat. Cuperemus ſanè Nos ipſi ex intimis animarum præcordiis, Concilio (licèt fortè minimum profuturi) intereſſe: Sed Deum teſtamur, noſtræ non ſinunt reculæ, & ea quibus in præſentiarum deſtinemur impedimenta, ſingulos eſſe præſentes. Attamen vt obedientiæ filij, ne Sanctiſsimus noſter Papa, ſeu Sanctitatis ſuæ Reuerendiſsimi Legati, Patriarchę, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates atque alij Patres, iam Tridenti in Spiritu ſancto congregati nobis incertis, aut oſcitantiæ, vel etiam deteſtandi ſuperiorũ contemptus notam inurant: Iccirco animo maturè priùs deliberato, vnanimiter omnes & ſinguli prænominati ex certa noſtra ſciẽtia & ſpontanea voluntate conſtituimus in noſtrûm omnium & ſingulorum, verum, certum, legitimum & indubitatum Procuratorem, ſeu potiùs abſentiæ noſtræ excuſatorem, Reuerendiſsimum & Illuſtrẽ Principem & Dominum, D. Ioachinum loci Hæremitarum apud Heluetios, Abbatem ibidem præſentem & onus procurationis, ſiue excuſationis huiuſmodi in ſe (licèt ægrè) acceptãtem. Concedentes omnes & ſinguli prædicti, plenam & omnimodam poteſtatem coram præſentibus ſanctiſsimo Domino noſtro Papa, ſeu Sanctitatis ſuæ Reuerendiſsimis Legatis, Patriarchis, Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, cæteriſque Patribus, quibus in Concilio Generali ſedere, aut ſententias ferre de iure communi, priuilegio, aut antiqua conſuetudine licet comparendum, eidem Concilio omniũ nomine intereſſendum, & aſsiſtendũ, ac omnia & ſingula, quæ ad ſacroſanctæ noſtræ religionis diſsidia tollenda ſpectare cognouerit agendum, diſſonáque cõponendum, & cõponi videndum, Vniuerſalis almæ noſtræ matris Eccleſiæ,

conueniens bonum, quantum queat, promouendum, illiúsque neuorum si qui reperiri queant, exactionem petendũ & obtinendum: necnon quæ ad Christi sponsæ reformationem, pacem & trãquillitatem expedire perspexerit allegandum, promouendum, consultandum, & decidendum, atque nos omnes & singulos, nostrámque absentiã propter prædicta impedimenta fideliter & humillimè excusandum: omniáque & singula alia dicendũ, gerendum, & exercendũ, quæ in præsenti negotio dicere, gerere, & exercere necessaria fuerint, aut quomodolibet opportuna, quæque nos ipsi omnes & singuli, agere aut exequi possemus, si præsentes & personaliter omnibus & singulis præmissis interessemus, vnum quoque vel plures Procuratorem seu Procuratores, cum simili aut limitata potestate loco sui substituendum, eumque vel eos reuocandum, & onus procurationis huiusmodi, vt priùs reassumendum totiens quotiens opus fuerit, ipsíque placuerit, seu visum fuerit expedire, præsenti nihilominus procuratorio in suo robore semper duraturo. Promittentes & quilibet nostrûm promittens, nos ratum, gratum, atque firmum perpetuò habituros totũ id, & quicquid per dictum nostrum constitutum, aut ab eo substituendos Procuratores, & eorum quemlibet dictum, actum, gestúmque fuerit in præmissis seu aliquo præmissorum: Releuantes, & releuare volentes eosdem, & eorum quemlibet ab omni onere satisdandi sub expressa hypotheca & obligatione, omniũ & singulorum bonorũ nostrorum, & Monasteriorum nostrorum, mobilium & immobiliũ, præsentium & futurorum, super quibus præmissis omnibus & singulis, præsentes nostras literas exinde fieri, sigillorúmque præfatorum Dominorum Diethelmi sancti Galli, & Michaelis in Rynovv Abbatum, & Nicolai in Aula propè Luceriam Præpositi nostrorum omnium nomine appensione, & Notarij nostri infrascripti, fecimus subscriptione communiri. Datum Rappesvillæ, Die xxviii. Mensis Ianuarij, Anno Domini,

M. D. LXII.

ORA

ORATIO HABITA A REVERENDO

Patre Adamantio ordinis Heremitarum sancti Augustini, Nomine Oratoris septem Cantonum Heluetiorum Catholicorum in eius Comparitione Die XX. Martij,

M D. LXII.

QVANTVM parentibus vitæ nostræ auctoribus debeamus, Illustrissimi ac Reuerendissimi Sacri & Oecumenici Concilij Præsides, Oratores clarissimi, vósque Antistites Reuerendissimi, nemini, arbitror, est obscurum, aut dubium. Tanti enim est officium, quo parentes colere iubemur, vt statim post illa tria summa de Deo præcepta, nobis traditum, & commendatum fuerit, quo intelligeremus debere nos prima & præcipua officia parentibus post Deum impendere. At si iis, qui nos in hanc corporalem, & communem lucem ediderunt, tantū tribuendum est, quantum, quæso, illud erit, quod Matri Ecclesiæ, quæ nos in Christo genuit, debebimus? Ab ipsa enim sola in nos manant, quæcunque vera, & solida beneficia sunt: ipsa nos in veram vitam, seu potiùs æternam beatitudinē gignit, verbo Dei alit, Sacramentis salutaribus nutrit: denique quicquid habemus salutis, eidē, vt piæ Matri totum acceptū referimus. Eā ob causam omnes, qui se legitimos eius filios profitētur, materno quodā iure tenētur eius dignitatē contra oppugnantes, suo etiā cum periculo defendere, dare operā, conari & niti, ne illius sacrosanctus honor ab vllo hominum violetur, cuncta eius opprobria non secus ac sua ducere & vindicare, ac denique vitam ipsam, si contingat, exponere. Et si verò nunc peradmodū paucos videmus sanctissimo isto Zelo accensos, qui hisce se periculis illius causa obiicere audeant: Ac potiùs sint valde multi, qui illam magis à se desertam quàm defensam velint: fidelis tamen Deus est, qui cū Ecclesiæ suæ nunquam se defuturū promiserit, nec nūc etiā illam in tanta perturbatione deseruit. Ecce enim Pius noster Pont. Maximus, non passus Ecclesiā sibi creditā tot periculis agitari ac tot hæreticorum factionibus scindi, illud adhibuit remediū, quod in eiusmodi grauissimis tēpestatibus tutissimū perfugiū, & quasi sacra ancora semper existimatū est: Hic enim in hac Tridentina ciuitate sacrosanctum Generale atque Oecumenicum Concilium instituit, & aperuit. Quod sanè vt ad optimum fi-

nem perducat,vtque illud Patribus pietate,& doctrina claris numerosius,& ornatius indies efficiat, nulli labori, nullis incõmodis omnino parcit. Existimat enim hac vna ratione rebellium animos,ac ceruices facilius flecti, si inter Catholicorum gregem, tractandi, colloquendíque gratia conueniant, vt auditis sanioribus rationibus mitescant, & sanentur. Fuit igitur hic nuncius, Christianorum auribus gratissimus iuxta ac lætissimus,hic,inquam,promulgati Concilij nuncius. Nemo enim non credit hanc vnam esse rationem, qua tantis Ecclesiæ malis, cum diuino in primis auxilio succurri & subueniri possit: nemo non sperat se hac ratione à tantis angustiis,tantóque timore facilè emergere, & ereptum iri. Quamobrem pene cuncti Christiani Principes, hoc tam pium negocium,non magis ad Ecclesiæ pastores, quàm ad se pertinere rati, suos huc Oratores miserunt, cùm, vt gerendis in sacro Concilio eorum nomine interessent, tum, vt rem tam necessariam omnibus viribus adiuuarent. Sunt enim & ipsi membra Ecclesiæ, & tanquam stellæ in firmamento positæ, quorum est post solem, id est Summum Pontificem,in subiectos populos secundum datam de cælo potestatem, virtutem influere. Itaque Consules septem Pagorum seu Cantonũ,vt vocant,laudatissimorum Heluetiorũ superioris Germaniæ quales sunt, Lucernenses, Vranienses, Suithienses, Syluanienses supra,& subtus Syluã, Tugienses, Friburgenses,& Solodorienses,qui erga sedem Apostolicam,& vestrum hunc sanctissimum ordinem bene semper fuerunt affecti, noluerunt & ipsi in re tam necessaria, & in publica quasi totius orbis causa, suos Oratores desiderari. Ea præsertim de causa, quòd cùm audierint his sacrosanctis comitiis iacta esse tam pia, tam religiosè auspicata fundamenta, in eam spem venerunt, vt breui se visuros sperent,quę nunc in Ecclesia,nequitia Sathanæ,qui superseminauit Zizania, sunt dispersa,& disiecta, nedum congregata, sed omnia vnum,vtì priùs erant,esse effecta. Quod, vt ad Dei laudem, & Christianorum salutem quam celerrimè fiat, in suis orationibus,& priuatim & publicè comprecantur. Quamobrẽ iidem Heluetiorum Consules communi consensu Dominum hunc Melchiorem Lusi Amannum Subsyluanienſium subtus Syluam nobilem & strenuum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Militem deauratum,virum omni probitate,& virtute ornatum,vti inter suos præcipuum huc ad vos delegarunt, vt omnibus,quæ in hoc sacro Concilio gererentur,interesset,in omnibus decernendis fidem,& obedientiam eorum nomine publicè sponderet. Cupiunt enim maximè,& vehementer exoptant, hoc vobis testatum relinquere,se quidem quod ad fidem,religionem,& obedientiam attinet,

net,itémque alacritatem,& ſtudium iuuandi Romanam ſedem nullis populis,qui Chriſtiani cenſentur, cedere, nullíſque ſe inferiores putare. Gratias enim Deo agunt,quòd eius munere ſibi datũ eſt,quòd iis viribus, quibus inuicti ferè ſemper extiterunt, in huius ſedis beneficium ſemper vſi ſunt. Et ne commemorem qualem operam Eccleſiæ ante Iulij II.tempora,ipſi Iulio II.Leoni X.Pontificibus Maximis præſtiterunt,vt pręteream tot contra infeſtiſsimos Eccleſiæ hoſtes partas victorias,ſatis erit hoc tantùm argumento eorum fidem comprobaſſe,quòd cùm ſint ipſis fidei hoſtibus, nedum finitimi, ſed etiam coniunctiſsimi,nunquam adduci potuerũt,vt in eorum peruerſa dogmata aliquando concederent, aut tranſirent, licet ab eis quotidie omnibus penè machinis oppugnentur:quin potius eis ſemper conſtantiſsimè reſtiterunt, & tanquam legitimi Iſraelitæ nunquam cum execratis Moabitis iungere prophana connubia voluerunt. Et hoc apertiſsimè declararunt, quando inito cum illis ipſis Religionis cauſa bello, immaniſsimum, ac nephandiſsimum Eccleſiæ hoſtem Zvvinglium hæreſiarcham peremerunt, extractúmque è cadaueribus combuſſerunt, quo teſtarentur ſibi cum illis,quamdiu extra Eccleſiam manere vellent, perpetuũ & verè ἄσπονδον bellum fore.Nec ſine cauſa arbitror in ipſis Italiæ limitibus, & finibus conſtituti ſunt, vt ſcilicet tanquam validum propugnaculum obſtarẽt,ne graue malum, quod ab Aquilone,iuxta Prophetæ vaticinium quotidiè panditur, in ipſius Italiæ viſcera tam facilè irrumpat & penetret.

Hæc autem atque eiuſmodi multa,quæ Heluetiorum virtutem teſtantur,etſi vobis, Ampliſsimi Patres, perſpectiſsima & notiſsima eſſe arbitror,teſtari tamen placuit,non quidem iactationis,aut vllius gratiæ promerendæ ſtudio, ſed vt quique exploratiſsimum & perſuaſiſsimum habeant, Heluetios erga Romanam Sedem tales ſemper fore, quales omnibus propè ſeculis fuerint, atque eundem ſemper animum in eiuſdem beneficium & ſua ſponte, & rogatos allaturos.

RESPONSVM SANCTAE SYNODI IN *admißione Oratorum ſeptem Cantonum Heluetiorum Catholicorum: Datum in eadem eorum comparitione, Die* XX. *Martij,* M. D. LXII.

MVLTA ſunt Oratores præſtantiſsimi, & ea quidem præclara fortiſsimæ Heluetiorum gentis in Chriſtianam religionem merita, eiúſque magna & eximia in ſanctam Apoſtolicam ſedem pietatis, & obedientiæ officia omni tempore exiterunt. Quę, etſi nunc à Sancta Synodo non commemorantur, clariſsimis tamen literarum monumentis conſignata, ſempiternam vobis laudem pepererunt, ac quod verè Chriſtianis hominibus, & ſolidæ felicitatis amantibus, multo optabilius eſſe debet, apud Deum (vt Apoſtoli verbis vtamur) æternum gloriæ pondus promeruerunt. Verùm quamuis cætera pietatis veſtræ ſtudia magna ſanè & illuſtria ſint, tamen haud facilè dixerim, an vllum magis opportunum officij, & obſequij genus, vel Chriſtianæ Reipublicæ magis ſalutare ab Heluetiis profectum fuerit, quàm quòd ad ſanctã hanc Oecumenicam Synodum honeſtiſsima legatione miſſa, ſe tanquam optimos Eccleſiæ filios omni ratione communis matris cauſam, & dignitatem defenſuros eſſe apertiſsimè declararint. Teſtatum illud quidem anteà ſæpius fecerunt inuicta quadam animi fortitudine & conſtantia, cùm ferro, & armis pro vera Religione dimicandum fuit: Attamen eo nunc commendatior apud omnes, & Pio IIII. Pontifici Maximo gratior eſſe debet veſtra hæc quam ſedulo præſtatis, opera, induſtria, ac ſancta ſolicitudo, quia non ad vnam aliquam Chriſtianæ Reipublicæ partem iuuandam, ſed ad vniuerſam penè ab impiorum ſcelere, vnà cùm aliis, quibus Eccleſiæ ſalus curæ eſt, vindicandam prompto, & alacri animo accurriſtis. Quòd igitur Sancta Synodus ad officium ſuum pertinere exiſtimauit, primum quidem vos Oratores præſtantiſsimi ſaluos, & incolumes aduenisſe tam vehementer lætatur, vt de eo etiam maximas gratias Deo optimo, & immortali nullum neque agendi, neque habendi finem faciat: quippe cùm præter optimi, & Chriſtianiſsimi Cæſaris Ferdinandi, in cuius fide, & clientela potiſsimum conquieſcit, Regúmque ac principum egregiam erga ſe voluntatem, & propenſionem, magnum etiam præſidium in veſtræ laudatiſsimæ nationis ſtudio ad ea perficienda iam pridem collocarit

carit,quæ Pius IIII. diuino quodam beneficio turbulentis hiſce temporibus Eccleſiæ Pontifex datus, ritè & legitimè conuocato Generale Concilio inſtituit. Hoc autem Sancta Synodus de optimo Heluetiorum animo antea ſemper cognito,ac perſpecto eò magis ſibi nunc pollicetur,cum Vos tales Viros ad tantæ legationis munus obeũdum delectos eſſe animaduertat,quorum in altero maximarum rerũ vſum, ſummámque bellicæ virtutis laudem: in altero ſummam Eccleſiaſticæ diſciplinæ grauitatem, Religionem,doctrinam: in vtroque autem incredibilem in Deum pietatem, & in Sanctam Apoſtolicam ſedem obſeruantiam,& deuotionem mirificè commẽdari non ignorat. Quibus de cauſis vos iam ſummo amore proſequitur, & in poſterum omni officij genere complectetur. Quod verò in defendenda Sanctæ Dei Eccleſiæ authoritate, & dignitate perpetuum Heluetiorum ſtudium profitemini, de tam pia voluntate ac mente, ex qua præcipuam nominis commẽdationem maiores veſtri ſibi, & poſteris compararunt, vobis Sancta Synodus tum immortales gratias agit,tum ex animo gratulatur: nec dubitat quin(adiuuante Domino) conſtantiſsima, & inuicta Natio in eadem ſententia permãſura ſit,non ſolùm, quia diuturna, aut firma libertatis veſtræ defenſio à veræ pietatis cultu ſeiuncta eſſe non poteſt,verumetiam quòd tantis iam rebus pro fidei Catholicæ,& Eccleſiaſticæ libertatis propugnatione fortiter, & feliciter geſtis, veſtri iam ſimiles non eſſe vobis nunquam licebit. Mandata verò veſtra quoad iuris eſt,libenter admittit.

COMPARITIO ORATORIS Alberti Bauariæ Ducis, Die XXVII. Iunij, M. D. LXII.

Literæ. Oratio. Reſponſum.

LITERAE ILLVST. D. ALB. DVCIS BAuariæ,*lectæ in Generali Congregatione,Die* XXVII. *Iunij*, M. D. LXII.

REuerendiſsimi & Illuſtriſsimi Domini,cæteríque Sacri Concilij Patres, amici honorandiſsimi& chariſsimi ſalutem, & inſeruiendi ac gratificãdi, paratiſsimam ſimul & amiciſsimam voluntatem. Mittimus iam reuerenter planè ac deuotè ad Sacrum Concilium Tridenti. Oratorem

torem & Consiliarium nostrum, Doctorē Augustinum Paungartnerum, cúmque eo Theologum de Societate Iesu, Collegij nostri Ingolstadiensis, Ioannem Cuuillonium, qui in tam pio, támque necessario Ecclesiæ Dei cœtu, nostram omnino personam repræsentent. Plenissimam enim acceperunt potestatem, ea omnia nostro nomine agendi & faciendi, quæ si præsentes adessemus, pro officio Pij & Catholici Principis agere atq; facere, vel possemus, vel deberemus etiam. Quod quidem hisce nostris literis testatum abundè cupimus: Rogantes insuper amicissimè, vt præfatis nostris Oratori atque Theologo, in iis, quæ ex nostro Mandato proponent, dicent, aut quacunque ratione agent: non minor quàm nobis ipsis adhibeatur fides, beneuolentia & humanitas. Ita enim & certissimè nobis pollicemur, & Vos dignum facietis Vestra virtute & bonitate, Nobis verò gratissimum officium. Christus optimus Maximus clementissimè faxit, vt quod ad sui gloriam & Ecclesiæ Sponsæ suæ salutem piissimè institutum est, optimè ac felicissimè cedat: Ex Ciuitate nostra Monachio, XIIII. Aprilis. M. D. LXII.

ALBERTVS DVX BAVARIAE.

A TERGO.

Reuerendissimis & Illustrissimis Dominis Legatis, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterísque Sacri Concilij Tridentini Patribus, Dominis & Amicis nostris honorandissimis & dilectissimis.

ORATIO HABITA AB ORATORE Illustrissimi D. Alberti Ducis Bauariæ in Generali Congregatione Sacri Concilij Tridentini, sub S. D. N. Pio Papa IIII. Die XXVII. Junij, M. D. LXII. in eius Comparitione.

QVandoquidem S.D.N. aliquoties perquam paternè, atque vos ipsi Reuerendissimi & Illustrissimi Sacri Concilij Tridentini Præsides etiam amicè, Vt ad celebrationem huius tam Sancti támque necessarij Instituti Legatos mitteret, Illustrissimū & Serenissimum Principem dominum Albertum Comitem Palatinum, Rheni Superioris inferio

inferioríſque Bauariæ Ducem &c. exhortati eſtis, ſui muneris eſſe putauit Illuſtriſsima ſua celſitudo, ne cum Princeps ſit Catholicus, nihilque magis elaboret, quàm ſalua vt ſit Catholica religio noſtra, tam neceſſario támque Sacroſancto operi deeſſe videretur, decreuit ſanè Legatum ſuum ad Concilij negocium oportunis mandatis inſtructum ablegare. Quod quidem iam ipſo facto præſtans, ablegauit & miſit præſentem me Illuſtriſsimæ ſuæ Celſitudinis ſeruitorem, cum pleniſsimo mandato, vt ſuæ Illuſtriſsimæ Celſitudinis nomine paucula quædam Sacro Concilio proponã, & poſtea etiam vbi vſus & opportunitas erit, tractarem, agerem, atque efficere curarem, quæ & è honore Sacri Concilij & Illuſtriſsimæ ſuæ Celſitudinis officio eſſe videantur.

Principio igitur tam ipſis Reuerendiſsimis & Illuſtriſsimis Concilij Præſidibus, quàm reliquis Reuerẽdiſsimis Patribus plurimam & deuotiſsimam affero Illuſtriſsimæ ſuæ celſitudinis nomine ſalutem, amicitiam ac beneuolentiã. Et profecto ſummopere lætatur Illuſtriſsima ſua celſitudo, quòd ſacroſancti huius Tridentini Concilij non modò auſpicato initium factum ſit, ſed etiam feliciter progredi actiones eius intelligãtur, & quidem eo modo, vt omnes pij meritò queant feliciſsimum euentum ſperare. Quanquam verò, ſiquidem eſt ſecularis, atque idcirco Illuſtriſsimam ſuam celſitudinem minimè decet in Concilio aliquid vel decernere vel præſcribere in rebus Spiritualibus. Sed tamen ſecularium Principum cùm interſit vel imprimis, ne quid authoritatis, quo minus feruens Concilij curſus procedat feliciter, deeſſe videatur: eam tamen ob cauſam me potiſsimè miſit Tridentum, quippe vt Concilium Illuſtriſsimæ ſuæ Celſitudinis nomine cohoneſtem, concelebrem, ac ſi fieri poſsit, adiuuem etiam pro virili mea: hac tamen habita ratione, vt meminerim Illuſtriſsi. ſuam Celſitudinem eſſe Secularem, non Spiritualem Principẽ: cuius ſit nõ dare, ſed accipere leges ab Eccleſia. Hæc etenim quoniam pia Materfamiliâs eſt, atque legitima diuinarum rerum diſpenſatrix, ſolérſque & ſalutaris medica, cui nullum medendi modum præſcribere debemus, ſed morbum oſtendere, & efficacem ſperare medicinam.

Communes quidem Germaniæ morbos proculdubiò Reuerendiſsimis Sacri Concilij proceribus notos eſſe, nec dubitandum exiſtimat Illuſtriſ. ſua Celſitudo, quin etiã audierint quo in ſtatu Bauariçæ gentis nunc Catholica religio verſetur. Quandoquidem enim aliæ prouinciæ, quæ Bauariam circumquaque propemodum cingunt, diuerſis ſunt variiſque infectæ erroribus, eóſque non fouẽt modo apud ſe, ſed

propugnant etiã pertinaciter, propagántque quo ad fieri poteſt, ſummo ſtudio, facilè exiſtimari poteſt, quãto partim dolo, partim manifeſta vi in Bauariam irruere conẽtur ſectæ, quarum aliæ quidem aliqua diligentia authoritatéque Illuſtriſsi. Principis mei, hactenus repreſſæ ſunt, aliæ neſcimus quo Infœlici Bauariæ fato, iam in ipſa viſcera Bauariæ penetrarunt, eáſque nunc (quod vehementer dolendum) radices egerunt, vt voto magis quàm facto extirpari poſſe cẽſeantur. Superioribus annis habita eſt totius Prouinciæ tam in Clero quam in populo de fide Catholica & de honeſtate morum viſitatio: In fide autem & in ipſa religione noſtra, quot repertæ ſint & quantæ hæreſes, nimis longum foret, ſi omnes deberent recenſeri. Craſsiores igitur generatim perſtringi poſſunt, cùm vniuerſæ explicari non queant.

Reperti ſunt enim inter parochos cæteróſque miniſtros Eccleſiarum, quorum alij ſunt Zvvingliani, alij Lutherani, alij Flacciani, Alij Anabaptiſtæ, alij qui Manichæorũ dogmata renouant, alij qui Eunomianorum, alij qui Iouinianorum, alij qui aliorum deliramenta & errores ſectantur atque propagant. Hæc Catholicæ fidei noſtræ zizania, quoniam Prælati pullulantia paſsim in ipſis herbis non extinxerunt, & iam mox adulta extirpare non potuerũt, eò nunc res deuenit, vt ſi quis nunc hæc zizania eradicare conetur, metuendum ſit ne bonum triticum conculcet, zizania tamen non euellat penitus. Nam huius peſtis contagio, non modò in fęce infimæ plebis, ſed etiam in penetralibus ſtatuum ac Reipublicæ, maxime autem nobilium ac ciuium verſatur, qui ita animis errore corruptis, quotidie magis magíſque vicinorum ſectariorum commertio obfirmantur, vt foris cum aduerſariis non occultè ſentiãt, domi verò nihil non ſedulò faciant, quod inuehendis erroribus percommodum ſit, & Sanctiſsimis priſcorũ conſtitutionibus pernicioſum: ita vt quacunque omninò ratione id agant vnum, ne locus amplius relinquatur ſanæ & Catholicæ doctrinæ tutus aut integer. Vnde viri prudẽtes quàm difficilis ſit, & quàm periculoſa in iſtis Ducatibus gubernatio, facilè iudicare poſſunt.

Huic autem malo magnam anſam fuiſſe præbitam omnes homines ſani fatentur, cùm à Clero, tum à populo: quãdo hic nullũ poſsit inter doctrinam & doctorẽ diſcrimẽ cernere, ille id ſibi ſemper licere quod liberet, arbitraretur. Tametſi autem degenerãtis populi malitia tanta eſt, vt per ſe huic ſubſequutæ hæreticæ contagioni abundè materiam dederit, tamen dubiũ haud videtur, quin, cùm Clerus qui ſal terræ eſſe debuerit, infatuatus ſit, nec ad eam rem ad quã maximè oportebat, vti lis, magnam in Clero culpã huius mali verſari omnes ſapientes oporteat

teat confiteri. In visitatione nuper habita, quãta omnis generis flagitia in moribus Cleri comperta sunt: quanta socordia & supina negligentia, in quibusdam proceribus seu Ecclesiarum prælatis, aurium pudore, ne manifestentur prohibemur: ipsa morum turpitudo efflagitat, ne maneant diutius inemẽdata. Atque hæc si quis vellet sigillatim, prout per sese res ipsa habet, atque exploratè constat, enarrare, castis piisque Reuerendis. Patrum auribus omninò fieret molestum, aliis qui minus firmati sunt, ingens periculosúmque offendiculũ præberetur. Quamobrem Illustrissimus Princeps meus hoc abundè satis existimat, si vobis Reuerendissimis & Illustris. Tridentini Concilij Legatis atque Patribus, saltem per occasionem insinuaretur, vt duntaxat accuratissimè vobiscum perpendatis, quàm infructuosa doctrinæ emendatio futura sit, nisi priùs Doctores, qui tanquam vasa doctrinæ iudicantur, ab omni sorde morúmque fœtore, expurgati repræsententur populo. Omnes sapientes peritique viri vnanimi sententia hoc asserunt, hoc efflagitant penitùs, vt prius Clerus Ecclesiarúmque ministri ac doctores à vitæ sordibus repurgentur, quàm vlla queat fructuosa doctrinæ discussio ac determinatio fœliciter inchoari ac definiri salutariter: Deinde nec paruum momentũ videtur, quòd hæc pernicioſa cõtagio non modò non cessat tam longo tẽpore, sed subinde grandescit, etiam multis variisq; amplificata accessionibus. Quippe Clerus noster tãtis Ecclesiæ calamitatibus, nullo modo neque afficitur neq; affligitur, sed multò magis insolescit, gulæ libidinibúsque indulget, ac quasi velit in contẽptum Dei hominúmque omni genere vitiorũ se coopertum potiùs palã cognosci, quàm minima aliqua in re emendatũ animaduerti. Vt cætera Cleri vitia, quæ cum populo cõmunia habet, taceantur: At certe libido illa in Clero nimis libera atque notoria, propter quam is nũc potissimè infamis est, à plebe irritatóque populo alienissima esse iudicatur. Siquidẽ politici magistratus nullũ in ciuili societate ciuem ferunt, qui palã scortetur, domíque suę quasi in publico lupanari scorta fouere studeat. In proxima visitatione per Bauariam facta, tam frequens concubinatus repertus fuit, vt vix inter centum tres vel quatuor inuenti sint, qui aut manifesti concubinarij non fuerint, aut clandestina matrimonia non contraxerint, aut vxores palam non duxérint. Quæ morum turpitudo in Clero, vehementer offendit imperiti populi animos, tanto perè, vt Sacerdotium vnà cum sacerdotibus, Doctrinam vnà cum doctoribus execretur, diríque deuoueat. Ita vt sit confestim paratus ad quamuis sectam exire potiùs, quàm redire velit ad Ecclesiam.

Præterea nec pauci homines à nobis deficiũt ad sectarios ob vtriusque speciei prohibitionem, cùm arbitrentur de communione vtriusque speciei expressum Dei verbum extare, de vna specie nullum reperiri. Huc accedit, quòd vtriusque speciei vsus, non modò in primitiua Ecclesia, sed etiam nunc omnibus Orientalibus Ecclesiis frequens est, & quidem celeberrimus: quin nec Romana Ecclesia olim ab eodem vsu adhorruit, quemadmodum ex variis diuersisque historiarum monumentis edoceri potest. Nec sanè id parum mouet homines, præsertim in Bauaria, quod Paulus III. edicta bulla concesserit Germaniæ Episcopis potestatem communicãdi populum sub vtraque specie. Quod quidem summi Pontificis Decretum vrgent summi & infimi, Illustrissimúmque meum Principem eam ob causam vehementer culpant, quasi (quod abest planè) diuinam institutionem contra expressum Dei verbum inuideat subditis suis. Ea inuidia, quoniam Illustriss. sua celsitudo vehementer grauatur, frequentius subditorum quærelis apud alios Germaniæ Principes odiúmque hoc sui æquè domi ac foris adeò subinde exasperatur, atque increbrescit, vt plerique quibus veloces pedes sunt ad effundendum sanguinem, nihil expectent auidius, quàm aliquam præberi mouendis tumultibus occasionem. Hinc proculdubio Reuerendissi. Illustrissi. S. Concilij Præsidentes atque Patres perspicuò vident quanto in periculo versetur Illustriss. & Clementiss. Princeps, propter cohibitionem vtriusque speciei. Itaque libere fatetur, nisi authoritate Tridentini Concilij hisce malis, quæ à nobis commemorata sunt, salutaris medicina primo quoque tempore adhibeatur, Illustriss. suam celsitudinem nullo modo in tanta animorum exacerbatione subditos suos regere posse, atque in legitima obedientia continere aliter, nisi vt magno suo dolore & haud incerta Syceræ Religionis iactura inuitus aspiciat tandem, quod prohibere solus nequeat.

Quanquam verò, sicuti anteà dictum est, Illustrissi. & Clementissi. Princeps meus hæc grauamina eo animo non proponat Sacro Concilio, quasi præiudicium aliquod adferre, aut iudiciũ auferre velit, cùm non ignoret quid postulet officiũ secularis Christiani Principis, quem deceat se obedientem Apost. Sedis filium & non iudicem controuersæ religionis in Cõcilio exhibere. Quapropter cum hæc talis suspicio procul à persona Illustrissimæ suæ celsitudinis submota sit, tum illud non dedecere se arbitratur, Si saltem quid sibi hisce malis remedij salutariter adhiberi posse videatur, familiariter & quasi consultandi gratia S. Concilio insinuet.

Pri

Primùm igitur quantum attinet ad ſubmouenda publica ſcandala Cleri, quibus imperitus populus permotus ſubinde magis magiſq; efficitur à Catholica Religione noſtra alienior, Illuſtriſsima celſitudo ſua putat huic cõmuni morbo duobus remediis occurri poſſe. Quorum prius, vt Clerus iuxta antiquos Canones reformetur, Alterũ: vt Prælati dent operam erigendis domeſticis ſcholis, & amplificandis publicis academiis. Reformare mores Cleri ſæpius à diuerſis Germaniæ Epiſcopis tentatũ eſt parũ fœliciter, ac ſine omni fructu: quemadmodum re ipſa cõpertum eſt, cùm tam ardua negocia, non tam ſingulorum Præſulũ authoritas quàm conſenſio vniuerſorũ rectiſsimè vtiliſsiméque expediat, dum alij ne ſuos capitulares confratres offenderent, conniuere viſi ſunt: alij, ſi quid tentarunt (vt fecerunt certè quidã optimi Antiſtites) nihil tamen efficere ideirco potuerunt, quòd Coëpiſcopi cæteri idẽ non vrſerunt, reformandi inſtitutum. Quocirca exiſtimat omnem priuatam reformationis operam inutilem fore & infructuoſam, niſi eò acceſſerit Generalis Concilij authoritas ac legitima executio decretæ reformationis.

Nec verò ignorat Illuſtriſsimus Princeps, quid à pleriſque ne ſeria aliqua morum repugnatio ſuſcipiatur, obiici ſoleat. Cùm verendum ſit, ſi Clerus ex rigore antiquiorum Canonum reformari debeat, fore omnino, vt plerique omnes, præſertim Parochi Parochianorúmque miniſtri, (qui fere omnes concubinarij ſunt) ſuas Eccleſias deſerant & confugiant ad ſectarios, vbi concubinas liceat in vxores ſumere, & vnũquemque ex libertate carnis, ita ſicuti velit, viuere. Negari haud poteſt, quin hæc omnia in malis ſacerdotibus expectanda ſint, in bonis autem nullo modo. Verùm vtcunque hoc metuendũ videatur, non defuit tamen olim, nec nunc deeſt hic malo nodo cõgruens cuneus. Nam diligentẽ operam impendere Antiſtites debebant, educando Eccleſiaſticæ iuuentutis ſeminario; & quo in locum eorum, qui vel apoſtaſia abrepti, vel morte defuncti eſſent, reſtitui poſſent. At enim verò hæc neceſſaria diligentia cùm neglecta eſt, atque hinc iſta honeſti Cleri inopia emerſit: in primis neceſſarium videtur, vt ſummo ſtudio Sacroſancta Synodus Tridentina legitimũ aliquem modum excogitet, quo inopia Cleri auferri poſsit, copia reſtitui. Multæ enim adhuc ſunt in Catholicorum principum Territoriis opes: quarum aliæ in continua Symonia verſantur: aliæ tenentur ab hominibus indoctis, impuris, inutilibus: aliæ etiam per fraudem eorum, qui bona vel maximè tueri debuerant, extinguuntur paſsim, ab Eccleſiis alienatæ & tranſlatæ in vſus prophanos. Nec dubium eſt, quin ſi hęc Eccleſiaſtica bona in

certum ordinem redigerentur, posse inde selectum aliquem & copiosum Ecclesiastici seminarij in iuuentute plantari cœtum, & ex eo cœtu subinde, vbi necessariæ vtilésque personæ requirerentur, tanquam ex instructa officina cateruatim depromi. Atqui verò si hac via collabescenti Ecclesiæ occursum non fuerit, timẽdum prorsus, ne aliquando Catholicos, tam vi sectariorum expugnatos esse, quàm domesticis copiis destitutos periisse, conqueri oporteat.

Quapropter Illustrissimus Princeps amicè submisséque admonet sancti Concilij Reuerendissimos ac Illustrissimos Dominos Legatos cæteróſque Patres, vt hanc rem sibi velint imprimis esse curæ, ne posthac tanta educandæ iuuentutis negligentia Prælatis permittatur. Sperandum enim magnopere, mirabiliter suas Ecclesiæ vires pedetentim restitui posse, si sedulò operam nauaremus erudiendæ copiosæ iuuentuti, & ordinandis fouendisque piis ac doctis hominibus, qui Ecclesiam doctrina aduersus hæreses tueri queant, & submouendis inutilibus flagitiosisque sacerdotibus, qui suis moribus turpissimis Ecclesiã vehementer deformant, & sua insciția labefactant non mediocriter. Illustrissimus verò Princeps meus quid grauissimis sumptibus & perpetuo studio hac in re conatus sit, referre iactanter minimè cupit: testes autem habet quàmplurimos, tam eos ipsos quos liberalissimè etiamnum fouet Doctores, Professores atque Sacerdotes, quàm vicinos Prouincialésque Episcopos, & alios etiam Catholicæ Religionis amantes.

Cæterùm existimant plerique viri rerum Germanicarũ periti, tale nunc esse in Germania seculum, quasi quandam occultã naturæ vim, quæ non modò omnes libidinosos, sed etiam moderatos, veréque Catholicos eò perduxit, vt plerique omnes castum matrimonium contaminato cælibatui præferendum arbitrentur. Quamobrem animaduertitur passim præclara ingenia, doctissimósque homines ducere vxores malle, vt careãt Ecclesiasticis beneficiis, quàm Ecclesiastica beneficia acceptare & carere vxoribus. Videlicet cùm videant reliquam Cleri multitudinem gulæ, libidinúmque flagitiis coopertam, magno detrimento esse ac dedecori Catholicæ Religioni, ne ipsi in hoc contaminationis grege versari cogantur, eorúmque videri cõsimillimos. Hinc etenim doctorum hominum in Clero penuria extitit, hinc Cleri detestanda insciția traxit originem, hinc Hæretici sumpserunt vires, Ecclesia verò debilitata est. Periti igitur qui presius hæc negocia accuratiúsque discusserunt, existimant quòd ad subleuandam penuriam docti idonéique Cleri, vix alia ratione, præsertim hac ætate nostra in

Ger

Germania Clerus instaurari ac saltem ad obeunda necessaria Ecclesiæ munera satis frequens haberi queat, nisi more primitiuæ Ecclesiæ docti mariti & ad docendum instructi, admittantur ad sacros ordines, præsertim verò ad prædicandũ & amplificandum populo verbũ Dei. Legis enim diuinæ cùm non sit, vt oporteat hominem Sacerdotem esse cælibem, siquidem constet ex veterum monumentis atque historiis, maritos Sacris ordinibus initiatos esse, & non modò ad Sacerdotij dignitatem, sed etiam ad sublimitatem Episcopi peruenire. Quapropter hanc rem videri eiusmodi esse, cum quia ius diuinum non sit, vt S.D.N. Sacríque Cõcilij auctoritas possit ex instinctu diuino id statuere pro necessitate laborantis Ecclesiæ, quò status Cleri instaurari queat, ac vires sectariorum infirmari. Verùm hoc non aliter in Concilio proponi iussit Illustriss. Princeps meus, nisi vt Reuerendiss. Patres Germanię morbos tãto diligẽtius inspicere queãt, & quid remedij salubriter adhibendũ, iudicẽt, opportuno loco & tempore cõstituere.

Postremò verò, quia fuit cõsilium statim ab initio huius exortæ dissensionis piorum doctissimorúmque hominũ, ne tantopere ob vnius alteriúsve Speciei vsum tanta certamina instituerentur, ipso rei euentu animaduersum est, quòd pleræque Prouinciæ in Germania, in obedientia Sedis Apostolicæ retineri potuissent, ab omni reliqua sectariorum labe immunes, si moderatio quædam in re, natura sua indifferente, admissa fuisset. At verò cum populus vtriusque Speciei vsum, quasi ex diuina institutione sibi deberi arbitraretur, cũque vicissim is vsus à Prælatis constãter denegaretur, surreptitij sectarũ duces eam occasionẽ nacti, sub prætextu diuinæ institutionis & cõcepto odio irati populi, non solũ hoc sanctę Eucharistię Sacramentũ penitùs prophanarũt, sed etiã sub eodem prætextu diuersa hæresum semina lõgè latèq; adeò efficaciter dispersérũt, vt nunc occasione vtriusq; speciei non modò populi Germanię, sed & reliquæ Nationes instar torrentis ab Ecclesia Catholica defluere videãtur. Vt autẽ hæc ista tam frequens defectio, tâmq; feruẽs decursus saltẽ inhiberi aliquo modo possit, prudentiũ virorũ iudiciũ est, si S.D.N. ex plena potestate sedis Apostolicę & ex iudicio S. Tridẽtini Concilij, Laicis vtriusq; speciei cõmunionem benignè largiretur, fore, vt qui hactenus Sedi Apostolicæ obediẽtes remanserint, in posterũ quoq; obedientes permãsuri, ac si qui leniter deflexerint, ad obedientiã reuersuri existimẽtur, quemadmodũ in nonnullis cognitum est, qui cum ex indulgentia Pauli Tertij compotes deuotionis suæ facti essent, reuersi sunt ad Ecclesiam.

Cùm igitur hęc tria, turpis vita Cleri, concubinatus Sacerdotum,

& pro

& prohibitio vtriusque Speciei principales causæ sunt, cur tanto odio Catholicorum, tantoque studio nouitatis, Populi, Nationésque ab obedientia Apostolicæ Sedis resiliant, conferantque se ad diuersos sectarũ Duces. Periti sanè Catholici viri arbitrantur, nullis aliis præsidiis hoc tempore populum studio nouitatis tumescentem, ne sensim in manifestam defectionẽ prorumpat, in obedientia Sedis Apostolicæ retineri posse, quàm si ad submouendos vitiosos Sacerdotes, idoneus Clerus ex instauratis scholis, copiosè educaretur: ad tollendum turpem concubinatũ castis maritis Sacri ordines concionandique in primis facultas, conferrentur: ad placãdos irritati populi animos, vtriúsque Speciei vsus permitteretur. Quia verò dubium non est, etiam si hæc tria ex quadam Catholicæ matris Ecclesiæ indulgentia per auctoritatẽ præsentis Concilij ritè ordinarentur, tamen sectarios duces seductósque populos idcirco ad Ecclesiã non reuersuros esse, cùm palam editis libris non dubitent obfirmare sese, quòd nunquã velint Romanis Pontificibus vllam obedientiam præstare. Itaque non vult Illustrissimus Princeps meus hanc suam sententiã sic accipi, quasi illis tribus concessis, putet Hæreticos posse ad Ecclesiam reduci, sed eam esse multorũ piorum hominũ opinionem, quod isto modo Catholici populi reliquiæ in Germania confirmari atque retineri aliquo modo possint, cùm hoc tempore non tam necessariũ videatur, vt refutentur aduersarij, quàm vt queant fulciri domesticæ ruinæ nostræ, quę nunc non minus domi graues sunt, quàm foris aduersariorum machinationes. Atque hoc illi, qui enodatius præsentis Ecclesiæ statum ad limam ducunt, eò interpretantur, vt opinentur in præsenti Concilio Tridentino nihil prius docendum esse, quàm vt ante omnẽ cuiusuis dogmatis explicationem, necessariò præcedere debeat eiusmodi morum in Catholico Clero rebúsque Ecclesiasticis, (de quibus paulò ante facta mentio) reformatio. Vt cùm personæ Clericales, pristinę innocentis vitæ suæ testimonium vulgo receperint, tandẽ maiori apud populum auctoritate ac fide id possint, quod in Catholica fide nostra verum est, constanter docere, quod falsum refellere. Nec est vllus persuadendi modus, quo Clerus populo reconciliari potest, & audientium sibi parare aditum, nisi palàm constet anterioris vitæ inquinamenta abiecta esse, atque purioris vitæ documenta palàm exhibeantur. Quocirca omne Tridentini huius Concilij studium prorsus inane futurum creditur, nisi omnis huius mali origo atque scaturigo, quasi in ipso fonte, hoc est, in Clero eluatur atque repurgetur, quo meliore auspicio repurgata fontis origo, in reliquos vniuersæ Ecclesiæ riuulos deduci

posse

posse, vulgò cognoscatur. Postea verò, cum talis facta reformatio, cùm etiam honestioris Cleri atque doctioris suppeditata est copia: cùm turpem concubinatũ Sacerdotes deposuerint, receperintque vicissim sui licitam medicinã à Concilio suppeditatã, siue constantẽ spontanei voti obseruantiã: cùm etiam populus adhuc Apostolicæ Sedis auctoritate non prorsus exautoratus, de Cõmunione vtriusque speciei mediocriter placatus existimabitur, tunc denique tẽpus erit, cùm omnia nostra domi fieri cõfirmatiora, vt de dogmatibus ineatur aliqua solidior disceptatio aduersus hæreses. Qualis autẽ & quæ hæc disceptatio cum fructu Catholicæ Religionis suscipi possit, Illustriss. Princeps meus solus non scit fortasse optimè, sed intelligũtur piorum hominũ & Catholicorũ hac de re non inanes voces haud obscurè. De qua etiã, si suæ quoque Illustriss. Celsitudinis opinio aliquando requiratur, posset ea quæ aliquo modo explorata sunt, non importunè referre. Verùm hoc tempore quãdo hoc tantũ est propositũ Legationis, Illustriss. Celsitudinis suæ nihil aliud velle in mediũ Concilij per me afferri, nisi vt cogitetur, non tã quomodo vel refutari sectarij queãt, quod durũ est, vel reduci, quod multo magis dubiũ, sed potiùs quomodo hæ afflictę Catholici populi reliquiæ possint corroborari, stabiliri atque reduci ad meliorẽ Ecclesiæ statũ. Non enim videtur satis opportunũ, velle omni conatu aduersæ religionis copias inuadere, & non prius omne studiũ impendere, vt ante omnia nostræ vires rectè domi cõstitutæ sint, & ita quidẽ confirmatæ, vt tam singulæ quàm vniuersæ, vniuersis ac singulis contrariis possint opponi feliciter.

Reuerendiss. autẽ Illustrissimíq; Sacri Cõcilij Legati cæteríque Patres, hãc Illustriss. & Catholiciss. Principis mei qualemcũq; suggestionem, forsitan non satis elaboratã, amicã tamen beneuolentissimãque: suapte natura boni consulẽt. Cõstanter enim sperat, nihilque penitus dubitat Illustriss. sua celsitudo eidem Sacrosanctæ Tridẽtinæ Synodo hanc suã deuotissimã iuuandæ Ecclesiæ deliberationẽ, si non inseruire cõmodissimè, vlterius tamen de grauissimis istis Ecclesiæ afflictionibus cogitãdi materiã & occasionẽ subministrare posse: Deũ enim summũ testatur, nihil esse eorũ omniũ per me propositorũ, quę ipse temere absq; cõsilio sibi expetat, ac non potius extrema esse Reip. Christianæ adhibẽda remedia putet: Ad illũ ipsum Illustriss. & piissimũ Principẽ meum quod attinet, ita firmissimè animo propositũ habet, cúmq; Dei benignitate auitis in religione & doctrina Catholica vestigiis fortiter insistat, nihil existimat tã necessariũ, támq; piũ vitæ suæ munus, quam id pro virili efficere & obtinere, vt ij, quos regẽdos tutãdósq; Deus illi

commiſit, perpetuo ſecum habeāt rectè, orthodoxè, & Catholicè credendi, pieque ſecundum inſtituta Patrum viuendi commoditatem. Gratiſsimum verò quouis tempore Illuſtriſs. ſuæ celſitudini futurum eſt, ſi quæ hucuſque in religionem Catholicam præſtitit libentiſsimo ſanè animo officia, auctiora poſthac & cumulatiora ingenti ſubditorum ac Patriæ fructu, reddere vlla ratione poterit. Dixi.

RESPONSVM SANCTAE SYNODI IN *admiſsione Oratoris Illuſtriſsimi D. Alberti Ducis Bauariæ, in Generali Congregatione. Die* XXVII. *Iunij*, M. D. LXII.

EXCELLENS Doctor, & Magnifice D. Orator, in magna expectatione S. Synodus vſque ad hāc diē fuit, vt aliquis ex nobiliſsimis Germanię Principibus ad hoc Sacrum Conciliū accederet, & ſua præſentia eam pietatē in Catholicā Eccleſiā declararet, quæ in primis à Principibus viris expectari debet: vel ſi ipſi grauioribus negociis impediti adeſſe non poſſent, Oratores ſuos mitterēt, qui optimā illorū voluntatem profiterētur. Inter cæteros autē, à quo omnia pietatis officia S. Synodus expectāda eſſe ſemper exiſtimauit, Excellētiſsimus & Illuſtriſs. D. Albertus Bauariæ Dux extitit, qui verā, & Catholicā Religionē à Clariſs. & Nobiliſs. maioribus ſuis traditā, tanta fide & conſtātia conſeruauit, vt hiſce miſeris tēporibus in tota Germania firmiſsimū Sanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ propugnaculū iure optimo habēdus ſit. Cùm igitur graues rationes prohibuerint quo minus ipſe huc accederet, ſuúmque egregium animum ſanctæ Synodo coram declararet, quod quidem eum præſtiturum eſſe, ſi per alias occupationes ſibi licuiſſet, dubitare non poteſt, ſumma lætitia affecta eſt, cùm virum optimis artibus præditum ſuæ voluntatis teſtem, ac veluti obſidem huc allegauit. Sperat enim fore, vt eius auctoritas nunquam defuiſſe videatur ad ea peragenda, quæ Sanctam Dei Eccleſiam quacunque ratione iuuare poterunt. Quod igitur reliquum eſt, te Magnifice Orator, ſancta Synodus benignè accipit, mandatúmque tuum, prout iuris eſt, libenter admittit: daturâque eſt operam, quod quidem hactenus diligenter, & ſedulò curauit, vt ea omnia piè & religioſè cōſtituantur, quibus Dei cultus magis amplificari, & fidelium ſaluti ac tranquillitati commodiùs conſuli poſſe, afflante Spiritu ſancto, qui optimorum conſiliorum auctor eſt, iudicarit.

COM

COMPARITIO ORATORVM Caroli Regis Christianissimi. Die XXVI. Maij, M D. LXII.

Literæ. Oratio habita à D. Guidone Fabro, tertio Oratore. Responsum S. Synodi.

LITERAE CAROLI CHRISTIANISS. *Gallorum Regis, Exhibitæ ab eius Oratorib. Die* XXVI. *Maij,* M. D. LXII. *in Generali Congregatione, & postea in Sessione* IIII. *die* IIII. *Junij.*

Sanctissimis ac Reuerendissimis Patribus, Tridenti pro Concilio nunc congregatis.

CAROLVS Dei gratia Francorum Rex, Sanctissimis & Reuerendissimis Patribus Concilij Tridētini Salutem. Existimamus vos omnes satis intellexisse, quanto studio & diligentia Rex Christianissimus, frater & Dominus noster egerit de Concilio generali & Oecumenico conuocando apud Sanctissimum nostrum Papam, dilectos fratres, & consobrinos Imperatorem Regem Hispaniarum Catholicum, & alios Principes. Nostis etiam qua diligentia, & eo, quem decet Principem Christianiss. in Deum & eius sanctã Ecclesiam zelo, Nos posteaquam Regiam coronam sumus adepti, rem à defuncto Fratre, & D. nostro adeò egregiè & magna cum laude cœptam, fuerimus subsequuti, magno & graui dolore affecti, quòd propter motus & diuisiones quæ sunt propter Religionẽ in Regno nostro, non potuerimus eius Prælatos, nostrósque Oratores, quos se itineri accingere primo quoque tempore optabamus, maturius mittere. Cuius cessationis causam Vos pro prudentia vestra magis imputabitis temporum calamitati (neque enim adhuc sedati sunt tumultus) quàm nostrę voluntati. Quæ etsi adhuc ætate minores simus, erit tamen tanquam Ecclesiæ filij promogeniti in Religionem semper propensa, & eam in Ecclesiã Christianam benè affectam, re ipsa omnes intelligent. Misimus intereà aliquot nostri Regni Episcopos, delegimúsque Oratorem dilectum & fidelem, à Secretioribus nostris Consiliariorum summi ordinis nostri Equitem, & vnum ex his, qui ad latus nostrum assiduè esse solent, D. de Lansaco, & cum illo dilectos & fideles Consiliarios nostros, Magistros Renal-

dum Ferrerium, Præsidem in Parlamento Parisiensi, & Guidonem Fabrum Iudicem maiorem Tholosæ, quibus dedimus potestatem in Concilio pro nobis sistendi, eundémque in eo gradum & ordinem tenendi, quem hucusque Regum Christianissimorum maiorum nostrorum Oratores tenuerunt, ac cõiunctim, vel separatim in eo Concilio requirẽdi nostro populíque nostri nomine quascunque reformationes, constitutiones, & Decreta, secundum puram doctrinam, & quæ non solùm pertineant ad Ecclesiæ Gallicanæ, sed Ecclesiæ Vniuersalis vtilitatem, sectarum & controuersiarum, quę sunt hodie in Religione, conciliationem, exaltationem, & propagationem nominis Dei, & in vniuersum salutem Reipublicæ Christianæ munus & officium Oratorum, secundum Mandata quæ illis dedimus. Et quoniam illorum fidem, & industriam perspectã & cognitam habemus: rogamus, Sanctissimi Patres, æquo animo eos admittere, attentéque quod illi Vobis nostro nomine exponent, audire, eandémque illis quam nobis, si istic essemus, fidem dare. Deus vos, Sanctissimi Patres, pro sua gratia & præsidio tueatur. Datæ Parisiis XII. Aprilis, M. D. LXII.

CHARLES.

BOVRDIN.

LECTORI.

GVido Faber, Caroli Gallorum Regis Legatus, hanc orationem Sessione quarta, die Iunij quarta, Anno sexagesimo secundo, totidem verbis habuit. Eius tamen exemplum antea sanè diuersum, vnà cum alijs Legatis Collegis, exhibuerat Generali Congregationi, die nimirum Maij vigesima sexta, in qua Congregatione, primum ij Legati comparuerunt. At ob hanc orationis varietatem nonnulli, sibi fraudem fuisse factam, conqueri visi sunt. Vt igitur vtrique tibi traderem vnico contextu, ea, quæ in exemplo illo, ab habita dissentiunt, adscripsimus margini numeri nota: quæ verò desunt, notis etiam his { } inclusa tanquam adiecta significantur. Idémque in Synodi ad eam Orationem Responso, præstitum. Fuit enim duplex, primum, ad exemplum illud in Congregatione: alterum, ad habitam Orationem in Sessione. Itaque, quæ secus habent in Responso ad exemplum, ea tibi in margine Responsi ad habitam Orationem, indice numeri nota monstrare quoque libuit, quæ desunt item hisdem illis notis. Vale.

ORA

ORATIO HABITA A GVIDONE *Fabro Oratore Caroli Galliarum Regis Christianissimi, in Generali Congregatione, vigesimosexto Maij, Anno* M. D. LXII.

LEGATIONIS nostræ testimonium, Patres Amplissimi habetis[1] ex literis, quas vobis nũc à Christianiss. Galliarum Rege Carolo, publicè reddidimus: causas verò eius, quæ variæ sunt, & maximæ, quibus non modò optimi Principis animus in Christianam Rempublicam ostenditur: sed etiam singulare eius de virtute, ac pietate vestra iudicium,[2] quod ita nunc nobis necesse est, & cogit suscepti muneris ratio, exponemus paucis, id est, inornatè, nudè, simplicitérque: Sic enim apud graues ac sapientes viros agi oportet, & quidem, si quod magnopere volumus, & obsecramus, Carolum Henrici Regis filium esse memineritis, & Franciſci nepotem, non valde nostrum, vt opinor in explicandis Legationis huiusce rationibus, causę suæ, sermonem requiretis: Ad augusta enim illa Franciſci & Henrici nomina, facilè vnicuique vestrûm occurret ilicò, ecquid officij, ecquid in his Christianis conuentibus oneris nobis impositum sit, & quarum rerum postulata afferamus, ab eo videlicet legati, qui Paternæ auitæque laudis non æmulus[3] modò atque imitator, sed etiam hæres & successor, nulla in re magis vnquam putauit sibi esse elaborandum, nihilque[4] vehementiùs contendit, quàm vt opportuno loco & libero, neque conuenturis infido, iusta quædam Synodus cogeretur, Sacrosanctum Concilium cõuocaretur, quàm vt Dei Opti. Maxi. auspicio, publici[5] Christianorum omnium conuentus, iure, legitimèque peragerẽtur, quàm denique vt eæ opiniones, quæ in Christiana Republica controuersæ factæ sunt, vnum in sensum, ac decretum, ex auctoritate Oecumenici[6] cuiusdem Concilij aliquando reducerentur. Is[7] fuit profectò Regis animus iam inde à primo aditu, & ingressu Principatus sui. Quos autem huius studij ac iudicij, perpetuæque in[8] Rempublicam Christianam voluntatis,

1 ex his literis.

2 quando ita

3 modo & sectator. sed hæres, nulla

4 hactenus vehement.

5 omn. Christia. conuer. legit. perag.

6 eiusdem

7 fuit Regis

8 Remp. Christia.

citare teſtes veriſsimos Carolus Rex [1] poterat, eoſdem hodie voluit hîc ſibi ad Conciliũ Legatos [2] adeſſe. Adeſt enim Ludouicus Sangelaſius, Gallici ordinis Eques Illuſtriſsimus, & in ſecretius Principis Conſilium ob ſingularem virtutem cooptatus, qui variis antea Legationibus functus honorificè, nuper ad Pium I I I I. Ponti. Maxi. propterea miſſus eſt, vt ipſum Ponti. currentem quidem ſponte ſua, [3] ad Concilij procurationem acrius incitaret, eiúſque animum religionis ſtudio incenſum, vehementius (ſi fieri poſſet) inflammaret: Galliæ autem noſtræ recentia [4] vulnera, quæ ſine ſummo dolore tractari nequeunt, ita nudaret, ita detegeret Pontifici, ceu Parenti bono, vt tamen ea ipſa, ne obduci quidem alia ratione, niſi libero Concilio, nedum curari penitùs, aut ſanari poſſe contenderet. Adeſt quoque Arnoldus Ferrerius, in Senatu Pariſiẽſi Præſes, qui altero ferè die poſt Franciſci Secundi mortem, à Carolo fratre, ad eundẽ Pont. allegatus, nihil potiùs in mandatis habuit, quàm vt Concilium, [5] id eſt Conuentum Chriſtiani nominis vniuerſi, indici poſtularet, eiúſque occaſiones omnes, quoquomodo vr geret: admoneret etiam verendum eſſe, ne ex noſtris hominibus quàmplurimi, quos dudum Concilij futuri ſpes ægrè in officio retinebat, diuturna expectatione fatigati deficerẽt à nobis, & ad eas partes traducerentur, quas nomini, & perſuaſioni Romanæ maximè aduerſarias eſſe ſcimus: tantúmque decederet de grege Domini, magno non ſolùm Galliæ, & totius Chriſtianitatis incõmodo, [6] verùm etiam eorum, ad quos ea res potiſsimum [7] pertinebat, qui occurrere malis dum poterant, noluerunt, dedecore, atque infamia. Hæc apud Pont. non ſemel acta, vt cernitis, ſi [8] aliud profectò nihil, Chriſtianiſsimi tamen Regis de publica pace cõſtituenda curam, de ſarcienda inter [9] omnes ordines concordia ſolicitudinem, de ſanandis Eccleſiæ vulneribus ſententiam, atque iudicium cuiuis facilè probatura ſunt: grata quidem, ni fallor, hominum recordatione cum laude ad omnem poſteritatis memoriam peruenient. Neque verò ſolus Pontifex de Concilio à nobis ſæpè interpellatus eſt, ſed etiã [10] Ferdinandus inuictiſsimus & Auguſtiſsi. Imperator, Philippus quoque Hiſpaniarum Rex Maximus, atq; adeò omnes Europæ Chriſtiani Principes, & Reſpubl. omnes, omnes inquam

1 poteſt, eoſdem prudẽs ſcienſq; hodierna die vol.
2 eſſe
3 ad huius indicti Concil.
4 vulnera ita nud.
5 & conu.
6 ver. perpetuò eor.
7 pertinebat dedecore atq; infa.
8 aliud nihil,
9 omn. concordia
10 Inuicti. & Auguſ. Imp. Ferdinandus Philippus.

quam [1] Reges, vt ad rem præstantissimam, & vtilissimã, tam necessario tempore animum adiicerent: ad constituendam scilicet vnanimem de Religione consensionem, & restinguenda Ecclesiæ incendia, continuis legationibus, quotidianis precibus quanta fieri potuit maxima obtestatione, sæpe sumus cohortati. Hîc ego vos appello, quicunque adestis Illustrissimi atque Amplissimi Regum, & Rerũpublicarum Legati. Quòd si me ipsum quoque actor citare testem debeo, liquidè iurare possum de ea re, quæ mihi pro eo munere, quo in Gallia fungor, [2] æquè comperta & cognita est, atque alteri cuiquam, præsertim cùm [3] ipsa edictis Regiis, & publicis nostris tabulis contineatur. Sed facio imperitè, ne dicam insolenter, qui in re minimè [4] dubia & obscura artificiosas colligo probationes, potissimum apud vos, quibus nihil tam certum est, nihil tam fixum, nihil tam ratum, nihil tam denique ad [5] veritatem omnino persuasum, quàm id, in quo videor hactenus tantopere laborasse. Quamobrem [6] transeo nunc ad ea, quæ mihi pauca, sed necessariò dicenda sunt.

Magna Patres Amplissimi, & incredibilis est [7] expectatio, quam de se hic Sanctissimus conuentus, & confessus vester in animis mortaliũ excitauit. Non loquor ad gratiam, neque enim debeo, nec eos vnquam viros bonos putaui, qui ad istas artes essent [8] eruditi: sed quod in laudibus vestris verissimum esse censeo, id quominus eloquar, pudore, & verecundia vestra minimè debeo [9] prohiberi, Pergam igitur, vt cœpi, dicere. Præclarum est, & [10] penè diuinum, quod à vobis expectant homines. Sic enim existimant vos eos esse, qui non vestris quidem, id est humanis viribus, sed afflati Spiritu diuino, per Iesum Christum, Religionem nostram [11] tot in eam inuectis opinionibus saucią, reficere & recreare, qui Ecclesiam Dei per hosce [12] quinquaginta annos contrariarum opinionum, quasi ventorum [13] tempestate iactatam, in portu collocare: qui denique in his pugnantium, inter se doctrinarũ fluctibus, statuere optimè possitis, quid dignitas Ecclesiæ, & quid ipsa temporum ratio postulet.

1 *Reges ad constituendam vnanimem de Religione consensionẽ, & restinguenda Ecclesiæ incendia, sæpè sumus cohortati, vt ad rem præstantissimã & vtilissimam, tam necessario tempore, animum adiicerent con tinuis Legationib. quotidianis precibus & eflagitationibus, quanta fieri potuit, maxima obtestatione pios omnes Principes rogauimus. Hîc ego.*

2 *æquè cog. & comp. est*

3 *ipsa publicis tabulis contin.*

4 *dubia ar tificiosas*

5 *veritat. persuasum,*

6 *transeo ad*

7 *est ea expectat.* 8 *eruditi. Quod autem in* 9 *impediri* 10 *propè* 11 *tot peruectis in* 12 *quadraginta* 13 *tempest. miserè iactat. in portu sistere & collocare possitis. quib. denique solis statuere sit in his pugnantium in se do. fluctib. statuere quid dignitas, &c. & quid temp.*

quidem

Equidem humana imbecillitate fortasse,& aliqua prę-
fectorum Ecclesiæ incuria, [1] vel etiam, ne quid grauius dicam,
præpostera pietate irrepsisse in Ecclesiam, res nonnullas,
[2] antiquatione,abrogatione, vel moderatione dignas,fatea-
mur necesse est. Sed quemadmodum [3] ij homines compri-
mendi mihi semper visi sunt,qui arbitratu suo, [4] vel potiùs
libidine,sine authoritate, sine vllo decreto,cæremoniarum
[5] omnem penitùs rationem,quæ ipsa Comes est,& adminis-
tra Religionis,conuellẽtes,atque ob id in pacata Republi-
ca tumultuantes,impium quendam cultum,ritúsque nouos
induxerunt: sic contrà à nobis peccari fortasse potest,dum
omnia quæ seculis [6] muniuntur, & longa vetustate, mordi-
cùs retinenda esse putamus: neque satis spectamus,quid [7] in-
clinatio rerum, quid momenta temporum, quid publica
quies [8] postulet. Nonnulla atque haud scio an veriùs dixe-
rim multa communi concordiæ permittenda sunt, neque
quisquam [9] à dignitate sua vel constantia alienum putare
debet,aliquid alteri condonare potiùs, quàm [10] obstinatio-
ne rectæ sententiæ, tantam inter Christianos dissensionem
alere. Sed vos, quam de mitigandis iis, quæ citra Religio-
nem inoleuerunt, controuersiis curam & cogitationem su-
scepistis, [11] eandem nisi re perfecta, & absoluta, nunquam
[12] abiicietis.

1 vel præpost.
2 antiq. vel moder.
3 illi homi.
4 aut
5 omn. rationẽ à Patrib. traditam, conuellentes, atq; ob id in pacata Rep. tumultuantes.
6 muniuntur mordicus ret. put.
7 Incl. mometaq. tẽp.
8 postulet.
Multa, nisi fallor, communi concord.
9 à sua dignit. vel
10 obstinatione etiam rec. sent. dissensionẽ tantam alere.
11 eandem scio, nisi
12 abiicietis.

12 abijcietis. Ad hoc pulcherrimũ, &c. Nam quæ his notis { } includũtur ea omnia desunt: in exẽplo Orationis huiusce primũ exhibito.

{ Hæc spes reliqua nobis est, quæ bonorum mentes ho-
minum,cogitationésque sustentat. Pugnabit scio perpetuus
ille humani generis hostis, nihílque non aget, vt vos à cœ-
pto opere deterreat, vt hos vestros ad rem omnium præ-
stantissimam, & sanctissimam impetus frangat, vt honestos
eludat conatus vestros, vt auocet, & abducat vos ab insti-
tuto,ab officio: dissidiis quippe,ac diuortiis nostris, quibus
exedimur, & extabescimus, ille alitur, ille pascitur velut
suauissimo cibo: egregius prætereà scelerum artifex est, &
optimorum interturbator consiliorum. Quoties, quæso,
ita vobis obloquetur? Heu stultos, & frustrà susceptos la-
bores, quid aliud tot maris, terræque spatia emensi, præter
inuidiam & paupertatem domum reportabitis? Quò ruitis
nunc præcipites? Quid aliud hîc agitis, quàm, vt reuocata,

quæ

quæ penè ſepulta iacebat, priſca illa & ridiga veterum Patrum diſciplina, minus poſthac lautè, minus beatè, minus feliciter, minúſque tranquillè vitam degatis in otio? Ne in Principum ſcilicet aulas liceat penetrare, ne ſplendidè epulari, ne magnificè habitare, ne Regio comitatu & ornatu incedere, ne iis denique frui voluptatibus, quæ ſuauiſsimæ ſunt, ſine quibus vita omnis, & ingrata & iniucunda ſolet eſſe. Ergo paruo contentos viuere poſthac oportebit? ergo vni Sacerdotio tanquam ſcopulo affixos inhærere? monendo, ſuadendo, largiendo, alienis ſemper inſeruire commodis? quid concionari de loco ſuperiore? quid meditantes tam citò ſeneſcere? quid curis, & vigiliis abſumpto corpore in ipſo ætatis flore immatura morte concidere? Hæc aguntur per vos ſedulò, hæc acerba vitæ munerúmque veſtrorum officia, obſoleta illa quidem & antiquata, atque extincta prorſus, vos renouare, vos è tenebris eruere, & in lucem reuocare quæritis: ſtulti, & neſcij bonorum veſtrorum. Recognoſcitis, arbitror, Patres, tum exprobrationes, tum illecebras, quibus aduerſarius noſter ſpecie recti ſe inſinuat in animos noſtros: quem ſi benigni ſemel audieritis, ſi ſplendore falſi boni obiecto, aciem ingenij veſtri perſtringi patiamini, ſi quid denique plus apud vos valet, quàm publica vtilitas, prædico & prænuncio vobis: nihil agetis, ſuſceptum onus aut perfidè abiicietis, aut propter animi imbecillitatem deponetis: ſpem, quæ extrema nobis pendet, falletis: Conciliorum denique dignitatem & authoritatem, quæ initio naſcentis Eccleſiæ magna fuit, & bene conſtituta Republica maxima futura eſt, in poſterum omnem eleuabitis. Noſtra, Patrúmque noſtrorum, & auorum memoria, Synodos indictas fuiſſe, Epiſcopos conueniſſe, maximos in Germania atque in Italia conuentus peractos eſſe ſcimus. Vix tamen vllus, aut perexiguus inde fructus Chriſtianitati conſtitit. Nolo ſubtilius in cauſas inquirere, nolo rumores, ventóſque colligere: Hoc prætermittere certè non poſſum (quod vereor, ne nimis ad rem pertineat) minus legitima, minúſve libera fuiſſe dicuntur illa Concilia: qui aderant ad voluntatem alterius ſemper loquebantur, aut potiùs annuebant: qua re nulla in iudiciis pernicioſior, nullâve capitalior eſſe poteſt. Vos quotquot in Dei nomine huc conueniſtis, non deliberantium modò, ſed iudicantium perſonam geritis, ſtatuendi, diffiniendi, decernendi, Spiritu diuino ſuggerente, ius, facultatem & poteſtatem ſine vlla exceptione habetis: hanc facultatem & libertatem, diuinitùs vobis conceſſam, ex optima & vetere illa diſciplina Conciliorum, Carolus Rex noſter, vel ſuo ſolius periculo, ſi ita ſit ne-

ceſſe, ſartam & tectam ordini veſtro conſeruabit: in eam enim cauſam, potiſsimum hæc legatio decreta eſt. Quòd ſi in priuatarum rerum iudiciis, de fundo & ſtillicidio vbi agitur, ſententiam ſuam ad alicuius gratiam accommodare turpe haberi debet, & ſeueriſsimis legibus noſtris vindicatur, quonam quæſo ſupplicij genere digni ſunt, qui de rebus Diuinis, conſcripti iudices, dignitatis parum memores in cenſendo, vel auram captant popularem, vel Principibus quibus obnoxij ſunt, turpiter ſe venditant, vel ex aliorum dictatis & præſcriptis rogata tanquam mancipia, ſententiam ferunt? æternis certè tenebris & vinculis, leues iſti, & nummarij iudices mandandi ſunt. Hanc quærelam habuit ætas ſuperior. Ne idem quoque poſteri, qui incorruptè iudicaturi ſunt, de vobis exiſtiment, & loquantur, magnopere eſt prouidendum. Neque etiam, vt tecti ad homines eſſe poſsitis, ad Deum immortalem, quî poteritis eſſe? qualis enim quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, de cælo intuetur: cernit cupiditates noſtras, & cogitationes omnes: videt quid in calculo ponendo ſpectemus, quid in ſuffragiis & ſententiis ſequamur: num tacitis & compreſsis labiis ardeamus: num adulemur, num gloriæ cupiditate efferamur: num contentionis ſtudio nimio, præſentem & oblatam veritatem recuſemus accipere: num leuiſsimas delectationes grauiſsimæ vtilitati anteponamus: num aberremus & hallucinemur, prudentes ſcientéſque: num denique Imperatorum aut Pontificum, aut Regum liberalitates erga nos turpiſsimo obſequij genere, gratioſo ſcilicet calculo, & iudiciariis tabellis prouocare, atque elicere cupiamus. Quòd ſi quid eiuſmodi in his conuentibus peccetur (quanquam ſecus exiſtimamus, freti veſtra bonitate ac pietate) ſi peccetur tamen, nihil eſt prætereà quò confugere poſsimus. Mihi herclè omnia iam addicta vaſtitati videntur eſſe. Veniam longè à veritate, à coniectura certè non multum aberrabo: Ruet diſsidiis Chriſtiana ciuitas, ardentem & flagrantem inteſtinis bellis cernemus Europam, ciuilis ferri, aut ſubeunda nobis erit crudelitas, aut ſaltem funerum patriæ ſpectatores cogemur eſſe: à quorum cauſa belli fortuna ſteterit, ab iis ſtabimus omnes: quæ mihi profectò, tam videntur eſſe miſera & miſeranda, vt ad eorum cogitationem totus perhorreſcam. Quamobrem excitamini Patres, & incumbite in eam curam dies, noctéſque, vt hoc, quod ægrotæ, ac propè deſperatæ Reipublicæ Chriſtianæ vnicum remedium eſt, non fruſtrà exoptatum à nobis, non temerè à vobis adhibitum eſſe videatur. Et cùm ex nonnullorum fortaſſe Conciliorum inuidia hæc Synodus laboret, curate, vt omnes

intel

intelligant abiisse illud tempus, mutatam esse rationem: patere nunc aditum vnicuique ad disputandum, non flammis hîc disceptari, non fidem frangi, non agi præiudiciis, veritatis disceptationem integram esse, quippe cùm vna eadémque semper sit veritas ex omni æternitate fluens: Spiritum sanctum hîc adesse, hîc præsidere, illius denique instinctu & afflatu de publica vtilitate agi, de pacificatione communi, necnon Ecclesiæ totius conciliatione, & restituenda vetere eius disciplina hîc tractari ritè, legitimèque: operæpretium est Patres, vt rem ita se habere intelligant, & animorum vestrorum contentiones huc sciant pertinere: ad hanc quippe famam maxima illa & nobilissima Europæ pars Germania, pro qua potissimùm laboratur, velut è somno excitata, conueniet: Legatos mittet, aderit hîc vobiscum: suos de Religione sensus exponet familiariter, suósque intimos nudabit dolores: sic denique contrariis opinionibus iampridem dissecta & diuulsa, atque ob id ad omnes externas, & suas quoque iniurias opportuna Christianitas in vnum tanquam corpus coalescet. Erit terra labij vnius, & cordis vnius, vt quidam ait: Equidem hanc voluptatem, quæ incredibilis est, iam nunc mihi spe & cogitatione lubet præsumere. Iuuat oculis mentis intueri idem sentientes omnes Christianos, idem credentes, idem sperantes, eodem charitatis igne accensos: Quam sanè coniunctionem, & diuinam animorum conspirationem, vis nulla posthac reperietur, quæ perfringere, aut labefactare possit. Vt autem Patres, quod suscepistis non mediocre munus alacriore animo [1] conficiatis, } Carolum Christianissimũ Regem Francorum, (quando is nos suæ voluit esse nuncios & interpretes [2] voluntatis) ad omnes conatus socium fidelissimum, & adiutorem fortissimum vobis futurum spondemus, ac religiosè promittimus. Quem verò laudatorem actionum vestrarum, & assertorem acerrimum perpetuò habebitis, eundem hîc testem & spectatorem eratis habituri, nisi tenella ætas, insolens laborum atquè itinerum prohibuisset, aut potiùs nisi Ciuilis tumultus terrores, in Gallia necessa-

1 conficiatis. Ad hoc pulcherrimũ & sanctissimum opus Carolum Regem quando ipse nos.

2 voluntatis. Socium fid. & adiut. fortissi futurum vobis spondemus, & religiosè promittimus. Quẽ autem præstantissimarum actionum vestrarum laudatorem & assertorem acerrimum vobis publica fide ex mandato pollicemur, eum certè & testem, & spect. eratis hîc hab.

riò [1] retinuissent. Sed quod ille coràm studiosè facturus erat, vt se, suáque omnia vltrò vobis offerret, id nos vt diligenter atque officiosè curaremus, præcepit: & cùm ex authoritate sua aliquid accessionis ad id, quod per vos agitur, fieri posse confideret, iusit, mandauítque, vt id [2] ipsum significaremus, cum magna testificatione singularis suæ erga vos beneuolentiæ, erga ordinem vestrum voluntatis [3] atque obseruantiæ, erga Rempublicam Christianam studij, pro quibus omnibus non fortunas modò & facultates, [4] sed etiam vitam & sanguinem, si opus sit, cupiat effundere.

1 retinuissent. Quando igitur ille se suaq; omnia vobis coram offerre non potest: quod proximum est, vt id nos diligēter suo nomine atque officios. curari præcepit.

Legationem hanc nostram, vobis in eam causam decreuit, vt cùm ad præclaros vestros conatus ex authoritate sua aliquid accessionis fieri posse confideret. 2 Ipsum vobis publicè significe. 3 & 4 sed vitam atque sanguin. si necesse sit.

RESP

RESPONSVM SANCTAE SYNODI

in admißione Oratorum Regis Chriſtianiſsimi, datum in Seßione quarta Sacri Concilij Tridentini, ſub Sanctiſsimo Domino noſtro Pio Papa IIII. *Die* IIII. *Iunij,*

M. D. LXII.

EXPECTATVS, iucundúſque aduentus veſter Illuſtriſsime Domine à Lanſaco, Vóſque clariſsimi Legati, Sacroſanctæ huic Synodo, non modò ſummam animorum lætitiam, ſed certiſsimam quoque ſpem attulit, vt quæ, vel temporum vitio & infelicitate, vel potiùs perfidorũ hominum ſcelere & pertinacia, à priſca illa veræ Religionis puritate multis in Regnis, iam pridem in varios diuerſóſque hæreſum errores defluxerant atque deciderant (vt volumus atque cupimus) in priſtinum dignitatis ac ſynceritatis gradum reuocaremus. Nam cùm perditi homines ſuis conſiliis atque pertinacia, multos iam annos [1] non modò Pontificum atque Regum humana iura, ſed etiam Diuina ab Apoſtolorum iam temporibus, Chriſto ipſo magiſtro & auctore, partim monumentis, [2] partim viua voce per manus, velut hæreditaria nobis ad benè beatéque viuendum tradita atque relicta, ſuo arbitrio atque [3] libidine ita violare & perturbare auſi fuerint, nouis quibuſdam licentiæ, ſacrilegij, [4] impietatis, omnium denique ſcelerum ritibus ſuperinductis, vt ad vnicum ſalutaréque Sacri Oecumenici Concilij remedium à Pontifice Maximo Pio, ſolertiſsimóque Paſtore, tam libenter, quàm neceſſariò confugiendum fuerit. Quod Spiritu ſancto prælucente, tanta optimorum Regum, Chriſtianorúmque Principum, non modò animorum conſenſione, [5] ſed etiam concordiſsimis omniũ Chriſtianæ Reip. bene iuuandæ ſtudiis ſuſceptum eſt, & ornatum, vt breui Dei Eccleſia, multò purior, ſanctiórque [6] futura ſit. Meritò itaque Chriſtianiſsimum Galliarum Regem Carolum (in quo celerior eſt Regiarum virtutum, atque Religionis curſus, quàm ætatis) & laudamus, & admiramur: qui & Henrici patris, &

1 non humana ſolùm, ſed etiam diuina iura ab
2 partim prædicatione, & velut hæreditario iure nobis ad benè beatéq; viuen. per manus tradita,
3 libid. violare
4 & impietatis ritib.
5 ſed concordiſſim.
6 ſit futu.

Franciſci aui, Chriſtianiſsimorum Regum clariſsimis nominibus,& erga Sedem Apoſtolicam exemplis excitatus atque inflãmatus: cùm per ætatem nondum confirmatam,& impios [1] ſuorum, tam in ſe quàm in Chriſti Religionem tumultus huic ſaluberrimo,ſanctiſsimóque Generali Cõcilio adeſſe non [2] poſsit, Vos præſtantiſsimos viros ſumma prudentia, fide ac religione præditos, Legatos miſit, qui illius nomine omnem operam,opus, ſtudium,denique & parendi obſequium (vt decet) Sacroſanctæ Synodo liberaliſsimè [3]promitteretis.

1 ſuorum in Galliis tumultus,

2 poſſet,

3 promitteretis,& re ipſa fideliſsimè præſtaretis. Quos Sacrum hoc Generale Concilium, &c. Nam quæ notis hu{ } comprehenduntur,ea omnia deſunt Reſponſioni,ad exemplum Orationis antea exhibitum Congregationi.

{ Quam apud bonos pióſque,nulla aliorum Cõciliorum (quæ nec legitima, nec libera fuiſſe, qui Conciliis malè afficiuntur, parum verè obiiciunt) inuidia laborare, qui rectè ſenſerit,facilè æſtimabit,cùm clarum ſit ſacra,generaliáque Concilia, ritè Chriſti ſpiritu ab eo, qui poteſtatem habeat, inchoata,ritéque abſoluta, & legitima ſemper fuiſſe habita, & libera, & ad hominum ſanitatem ac ſalutem, quantum per eos, qui Spirituiſancto non reſtiterũt,licuerit, ſpectaſſe, ac ſalutaria fuiſſe. Nec aduerſus Tridentinum Sacrum iſtud Conciliũ Sathanæ inſidiæ,aut fraudes, per vos copioſè ſubtilitérque enumeratæ,quamuis variæ,atque ingentes,Chriſti Spiritu præſidente, præualebunt:qui illius omnes conatus,ſua virtute & potentia, cui ſoli confidimus, in quo ſolo omnes noſtras ſpes ac cogitatus collocauimus,franget, ſub pedibúſque noſtris ſubſternet: nóſque ab Eccleſiæ ſuæ ſynceritate ac veritate,nec aberrare,nec decipi,aut à quoquam cogi permittet. Itaque ſedulam veſtram & liberam admonitionem, Viri clariſsimi,ne ſcilicet in cõſultationibus,ſententiiſque noſtris ferẽdis, aut popularem auram captemus, aut Principibus noſtris obſequamur (ita enim mauult Sãcta Synodus ſenſum veſtrum interpretari,ne quid præter manſuetum, piúmque propoſitum, atque inſtitutum ſuum reſpondere cogatur)& ſi non neceſſariã fortaſſe & ſuperfluam exiſtimat:tamen, vt à vobis bonis viris, bona mente, atque animo profectam,ita in bonam quoque partem accipit. Et,

vt vos

vt vos isto vano metu, alióſque omnes liberet, ſuíque propoſiti ac veritatis certiores faciat, apertè prædicit, ſe cuiuſuis voluntatem, potentiam, aut cupiditatem Sacroſanctæ Synodi dignitati & auctoritati perpetuò poſthabiturã, quod ipſum vobis aliíſque, qui Sacro huic Concilio adſunt, aderúntve, res ipſa clariſsimè comprobabit. Itaque vt tandem [1] redeamus, } Sacrum hoc Generale Concilium vos ita libenter accipit & amplectitur, vt ſaluberrimi, Sanctiſsimíq; huius celebrandi Concilij operis [2] ſocios, ac participes habeat. Chriſtianiſsimo verò Regi veſtro Carolo, ita Regiè atque Sanctè educato, fideliſsimíſque & [3] Religionis amantiſſimis Senatoribus, ac Conſiliariis nunc ornato ac munito, tantum ſe debere fatetur, [4] vt quæcunque ad ipſius honorem, dignitatem, Regni ſtatum ac Religionem tuendum ac conſeruandum pertineant, libentiſsimè [5] præſtaturam ſe polliceatur, quæ ſalua fide, & Religionis puritate præſtari poterunt: tantóque libentius, ac iucundius præſtabit, quantò certius, firmiúſque exiſtimat, nihil à [6] vobis præſtantiſsimis viris, Religioníſque amantiſsimis Regis veſtri Chriſtianiſsimi nomine poſtulatum iri, niſi quòd honeſtè, [7] iuſtè, religioſè per tales viros poſtulari, & à Sacroſancto Oecumenico Concilio, & [8] Religionis Chriſtianæ dignitate, & ſyncèritate ſanctè præſtari poſsit, & debeat. Et mandata veſtra libenter, & prout iuris eſt, accipit & admittit.

1 redeamus. Quos ſacrũ hoc Gener. Concilium, ita lib. accipit, ita honorificè ample ſitur, vt

2 ſocios vos ac Conſiliarios charos gratoſq; habeat.

3 Religio. ſeruantiſſimis Senat. ac Con. orn.

4 vt omnia quæ ad

5 præſtatu. polliceatur,

6 vobis Illuſtriſſimi ac præſtantiſſimi viri, veráq; Religio. amantiſſimi, Regis.

7 iuſtè, ſanctè per

8 Chriſtia. Religio. dignitate, ac ſinceritate concedi poſſit ac deb. Mandata verò veſtra, quantum de iure debet, admittit.

R. D.

R. D. PATRIARCHÆ ORIENTALIUM ASSYRIORUM DE SACRO OECUMENICO TRIDENTINO CONCILIO APPROBATIO, & PROFESSIO, & LITERÆ ILLUSTRISSIMI DOMINI MARCIANTONIJ CARDINALIS AMULIJ AD LEGATOS SACRI CONCILIJ TRIDENTINI,

M. D. LXII.

LITERAE ILLVSTRISSIMI DOMINI *Marciantonij, Cardinalis Amulij, ad Legatos Sacri Concilij Tridentini, super professione fidei Patriarchæ Assyriorum Orientalium.*

REVERENDISSIMI & Illustrissimi Domini Colendissimi, Reuerēdus Dominus Abdlsu Assyriorū Orientalium Patriarcha, electus à Clero, & eorum Populorū consensu, qui finitima Tigri fluuio loca incolunt, Turcarum, & Persarū Imperio subiecti, anno superiore, vt confirmaretur à Pontifice Maximo, ad Vrbem se contulit, qui cùm literis, ac testibus fide dignis cognita eius electio, & probitas esset, ac per multos non solùm dies, verumetiam menses absolutam nostrorum rituum cognitionem, à quibus antea in nonnullis, non quidem grauibus dissenserat, à Catholicis, & eruditis hominibus accepisset, tādem (proponente me) à S. D. N. frequenti Consistorio, Patriarcha, & Pastor illorum populorum declaratus est: Cùm prius se nunquam à sanctissimæ Sedis Apostolicæ Decretis esse dissensurum, aut discessurum, solenniter de more, confessione, & Iureiurando policitus est. Quarum rerum memoria literis diligenter consignata, in Archiuio custoditur. Quod nisi senio iam confectus redire ad suos, impetrata primum à S. D. N. licentia, properasset, vt eos Eccle. Doctrina plenius institueret, ad sacrum Concilium profectus esset, vt istic fidē Catholicam, suúmque erga sedem Apostolicam singulare studium, & obedientiam profiteretur: Abeuntem summus Pontifex ipsum, suósque presbyteros, & Diaconum vestimentis, & rebus omnibus ad eius sacerdotium pertinentibus, & viatico est prosecutus. Huius viri eximiam in Deum

pieta

pietatem,optimúmque de vera fide ſenſum,cùm in multis aliis,tum in eo perſpeximus,quòd cùm diſcederet,petiit ſtudioſiſsimè,vt iſtius Sacri Concilij Canones, & Decreta perferenda ad eum curaremus: ſe enim quicquid in Concilio ſtatutum erit,omnino ſeruaturum promiſit,daturúmque operam, vt omnes ſui ſeruent, & Chirographo ſuo Chaldaica lingua cõfecto, quod Latinè exploratũ cum his literis mittimus,confirmauit. Nos autem libenter fecimus, vt eius probitatis, prudentiæ,eruditionis,ac nobilitatis teſtimonium his literis daremus. Nam ex celeberrima ortum familia, opibus etiam pro loci ratione abundantem, iam ſexagenarium, nec aliam ob cauſam tam longum, támque difficile, ac periculoſum iter ſuſcepiſſe, niſi, vt viſitaret Apoſtolorum limina, & Pontificis maximi pedibus oſculum ferret, optimámque erga hanc ſedem voluntatem oſtẽderet,perſpicuè cognouimus.In itinere ſemel à Cordis Populis,bis à Turcis male acceptum,ac fuſtibus percuſſum eſſe,ſatis conſtat.Hic ſæpe de ſacris literis interrogatus,grauiter admodum,& copioſè reſpondit,magna omnium admiratione, qui ſententiam eius verborum ab interprete audiebant: nominabat,eóſq; ſe habere dixit,libros omnes veteris,& noui Teſtamenti, etiam quos Hebræi, aut hæretici non probant, antiquos Doctores Græcos,& Latinos eoſdẽ fere,quibus nos vtimur, Chaldaicè, Syriacè, aut Arabicè,verſos diligenter legiſſe,nonnullos etiam,quorum nomina à nobis ignorãtur.Addebat hoc,in Caraemiet Turcorum Ciuitate libros eſſe ab ipſa fere Apoſtolorum ætate conſcriptos, qui nunc in quadam Bibliotheca cuſtodiuntur.Summam profectò Dei beneficentiã licet agnoſcere, quod in tam longinquis Regionibus,quæ nobis vix fama notæ ſunt: verè fidei cultus adhuc vigeat, & Chriſtiana Religio non minore fortaſſe, quàm apud nos pietate excolatur, conſeruata Doctrina: quam per ea loca Beatorum Apoſtolorum Thomæ, & Thadęi piis ſermonibus diſſeminatam,& Marrij eorum Diſcipuli prædicationibus confirmatam: hic Patriacha iſta aſſeuerabat, vt etiam id ſe ſcriptis probaturum promitteret. Sacramentis aiebat vti ſe, ac Populos illos iiſdem fere,quibus nos,confeſsione auriculari, precatione pro ſalute Mortuorum, Canone iiſdem ferè verbis in celebrãda Miſſa,conſecratione prorſus eadem, imagines quoque ſanctorũ piis precibus venerantur. Fideles autem huic Patriarchatui ſubiectos dicunt eſſe vſque ad ducenta millia, quo argumento etiam, præter ſexcenta alia,inania improborum hæreticorum commenta refellũtur,cùm per annos mille quingentos Eccleſiæ dignitas, ac doctrina ſalutaris apud gentes à nobis tot Terrarum interuallo diſiunctas, in tãta rerum,Re-

gum, & Regnorum mutatione, religionis varietate, sub infidelium graui, ac iugi per iurias, & contumelias vexatione, in medio Barbariæ, eadem tamen ad hanc diem permanserit, quæ nunc à gentibus nobis propinquis oppugnatur. Sed hæc quanti sint, atque adeò quantum sint, Domininationes Vestrę Illustriss. ponderabũt. Ego verò de S.D.N. mandato, confessionẽ ipsius Patriarchæ de obedientia sacro Concilio præstanda, cum his literis mitto, eique me humillimè commendo. Romæ, die XXVIII. Augusti, M. D. LXII.

DD. VV. Illustrissimarum & Reuerendissimarum

Humilissimus Seruus Marcusantonius Cardinalis Amulius.

ATERGO.

Illustriss. & Reuerendissimis Dominis Colendissimis DD. Cardinalibus Legatis Sacri Concilij Tridentini.

PROFESSIO FIDEI R. D. ABD, ISV *Patriarchæ Assyriorum Orientalium &c. facta sub S. D. N. Pio Papa* IIII.

CONFESSVS sum puro corde, & fide non ficta corã Reuerendissimis & Illustrissimis Dominis Michaele, Tituli sanctæ Sabinæ, Alexandrino, & Marcoantonio Tituli sancti Marcelli, Amulio, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteris Cardinalibus, in hanc formam videlicet:

EGO Abd, Isu, filius Ioannis de domo Martia ex Ciuitate Geziræ in Tygri flumine, olim Monachus ordinis sancti Antonij, Monasterij sanctorũ Rahæ, & Ioannis fratrũ, electus Primas siue Patriacha Ciuitatis Muzzal in Assyria Orietali, iuro, quod ita corde credo, & ore cõfiteor, sanctæq; Romanæ Ecclesiæ fidẽ, approbatis omnibus, & singulis illis, quæ ipsa approbat, & dãnatis similiter omnibus, quæ ipsa damnat, amplector, & perpetuo me amplexurũ, & retenturum esse profiteor, & promitto, & omnes fratres meos Metropol. siue Episcopos, ac Diœcesanos quouismodo meæ iurisdictioni subiectos, ita credendũ, & tenendum esse docebo, & modis omnibus, quibus potero, persuadere conabor, ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. In quorũ omnium fidẽ, hanc meæ fidei professionẽ, & attestationẽ manu mea scripsi, & subscripsi coram Reuerendiss. & Illustriss. Dominis D. Michaele

chaele Tituli sanctæ Sabinæ, Alexandrino, & D. Marcoantonio tituli sancti Marcelli, Amulio, vulgariter nuncupatis, S. R. E. Presbyteris Cardinalibus. Romæ, die VII. Martij, M. D. LXII.

FIDES PVBLICA DE IIS, QVÆ in infrascripto scripto continentur.

ANNO *Domini* M. D. LXII. *Die* XXIII. *Julij, Romæ coram Illustriss. & Reuerendiss. Cardinali Amulio, constitutus Reuerendissimus Dominus Abd Isu Patriarcha de Muzal, in Assyria, confessus est hoc scriptũ inclusum, lingua, & charactere Chaldaico, siue Syriaco exaratum, manu sua propria esse conscriptum. Cuius rei fidem fecit Dominus Ioannes Baptista Abiscinus Indus interpres, & præsentibus etiam Testibus infrascriptis: confessus est se velle obseruare totum id, quod in scripto huic inserto continetur, & de ipsius voluntate in præsentia Testium infrascriptorum, & de mandato Illustrissimi Domini mei vt suprà, propria manu fidem facio, vt possint hæc scripta authẽtica mitti ad sacrum Conciliũ, & inde cõfici publica documenta, si opus fuerit, & idem etiam Latina lingua versum adiunxi. Romæ, in Aedibus Illustrissimi Domini Cardinalis de Vrbino.*

Ita est Marcus Antonius Cardinalis Amulius.

Ego Bartholomeus Eustachius Sanctoseuerinas, affirmo vt suprà.

Ego Antonius Ioannotius, affirmo vt suprà.

Ego Christophorus Anichinus, affirmo vt suprà.

Ego Aurelius Sauignanus de mandato.

PATRIARCHA ASSYRIORVM ORIENTALIUM *iurat se credere, recipere, & tenere omnia Decreta Conciliorum, Præsertim Trident. &c.*

EGo Abd Isu filius Ioannis de domo Mattia ex Ciuitate Gezirę, in Tygri flumine olim monachus sancti Antonij, Monasterij sanctorum Rahæ, & Io. fratrum, nunc Dei, & Apostolicæ Sedis Primas, siue Patriarcha ciuitatis Muzzal, in

Asyria Orientali, sub cuius iurisdictione multi Metropolitæ Episcopi, & Dioceſani continentur. Vz, Arbel Metropolis: Siraua, Hancaua Episcopatus: Cheptiam Metropolis, Caramleys, Achusch Episcopatus: Nassybin Metropolis, Macchazzin, Tallescani, Mardin Episcopatus, Sceert Metropolis: Azzen Episcopatus, Elchessen Metropolis, Zuch, & Mesciara Episcopatus: Gurgel Metropolis, Esci Episcopatus: Amed Metropolis: Chiaruchiæ, Hayn, Tānur Episcopatus, quæ omnes simul regiones subsunt Turcarum Imperio. Ormi superior Metropolis, Vscimi, & Cuchia Episcopatus, Ormi inferior Metropolis, Durra solddos, Escinuh Episcopatus, Espurgan Metropolis, Nare, Giennenc Episcopatus, Salamas Metropolis, Baumar, Sciabathan, Vasthan Episcopatus, omnes Persarum Regi, vulgo Sophi nuncupato subiecti: In India verò Lusitanis subiecta, Cuschin Metropolis, Cananor Metropolis, Goa Metropolis, Calicuth Episcopatus, cui subest Carōgol ciuitas, quæ adhuc ab idolatris, & ethnicis hominibus possidetur. Iuro, & polliceor cùm mihi non liceat ad Sanctam Sacram Tridentinam Synodum accedere, sed necesse sit, vt ad Patriarchatum meum me transferam, qui meo eget auxilio, & sine custode, me absente, permanet. Munus, enim Ecclesiarum Præsulis est, animas sibi subiectas quotidie in sancta Christiana fide instruere, & moribus vitæque integritate eas in fide confirmare, ne grex sibi commissus Pastoris regimine destitutus, in varios incidat morbos, quod eò facilius gregi meo accidere posset, qui cum sit sub infidelium tyrannide, adhuc multos in Christiana fide imbecilles tenet, & quotidie, etiam mea diligentia Dei gratia cooperante, ampliari potest. Cumque difficilè fratres mei Metropolitæ Episcopi, & Diœcesani, qui tam longe absunt, possint in hanc sacram Tridentinam Synodum conuocari.

Ea de re, tam meo, quam eorū nomine, quos omnes ex corde sanctæ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ partes tenere non dubito, inhærendo iuramento fidelitatis, aliâs per me confessio, siue per me præstito.

Iuro inquam, & polliceor, omnia nos tenere, & credere, quæ in sanctis Oecumenicis Conciliis hucusque sunt acta, & secundum eorum Decreta promitto omnes filios nostros instituere, & præcipuè in iis, quæ in sancta sacra Oecumenica Tridentina Synodo terminabuntur. De cuius legitima Congregatione nihil pœnitus dubito, sed ei, & meo, & eorum nomine reuerenter, & humiliter me subiicio, vocatúsque ad hanc, seu ad aliam sanctam Synodum, cum dictis fratribus meis libenter semper accedam, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.

COM

COMPARITIO ORATORIS Sigiſmundi Regis Poloniæ, Die XXIII. Octob. M. D. LXII.

Literæ. Oratio. Reſponſum.

LITERAE SIGISMVNDI REGIS POLONIÆ, *exhibitæ ab eius Oratore in ſua Comparitione, Die* XXIII. *Octobris,* M. D. LXII. *in Generali Congregatione.*

SIGISMVNDVS Auguſtus, Dei gratia, Rex Poloniæ: Magnus Dux Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæq;, &c. Dominus & hæres, Reuerendiſsimis in Chriſto Patribus, Dominis Sanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, ac Sacroſancti Concilij Tridentini Legatis, cæteriſque Reuerendis & Venerabilibus Dominis Epiſcopis, Abbatibus, Ordinum Generalibus, ac aliis omnibus Vniuerſale Oecumenicum Concilium Tridenti repræſentantibus, amicis noſtris chariſsimis, ſalutem, & beneuolentiæ noſtræ commendationem.

Reuerendiſ. in Chriſto Patres, & Reuer. ac Venerab. Domini Amici N. chariſsi. Fecimus pro officio noſtro Regio, vt ad hunc celeberrimum & Sacroſanctum Dominationum veſtrarum conuentum ablegaremus noſtro nomine Reuerendum in Chriſto Patrem, Dominum Valentinum Herburtum Epiſcopum Præmiſlienſem Oratorem noſtrum. Cui quoniam noſtro nomine quædam ad Dominationes veſtras renuntianda commiſimus, ab illis petimus, vt eum diſſerentem benignè audiant, ipſiúſque verbis non multò minus quàm noſtris fidem adhibeant. Quas optimè valere cupimus. Datæ Vilnæ, Die VI. menſis Septembris, Anno Domini M. D. LXII. Regni verò noſtri, Anno XXXIII.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS REX.

A TERGO.

Reuerendiſsimis in Chriſto Patribus, Dominis Sanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, ac Sacroſancti Concilij Tridentini Legatis, cæteriſque Reuerendis ac Venerabilibus Dominis Epiſcopis, Abbatibus, Ordinum Generalibus, ac alijs omnibus Vniuerſale Oecumenicum Concilium Tridenti repræſentantibus, Amicis noſtris chariſsimis.

ORATIO HABITA A REVERENDO DOMINO Valentino Episcopo Præmisliensi, Oratore Sereniss. D. Sigismundi Regis Poloniæ, in eius Comparitione in Generali Congregatione, Die XXIII. Octobris, M. D. LXII.

SERENISSIMVS & clementissimus Dominus meus Rex, Illustrissimi Sedis Apostolicæ Legati, Amplissimi Oratores, Reuerendissimi in Christo Patres, Venerabilésque viri, eo nomine quòd hoc Sacrosanctum Concilium, tam necessario tempore coactum sit, Ecclesiæ Dei vnicæ dilectæ in Domino nostro Iesu Christo parenti suæ, vehementer gratulatur. Cui prauis & pernicioſis impiorum hominum opinionibus, ceu violentissimis tempestatibus iactatæ atque afflictæ, nihil opportunius, nihilque magis necessarium, quàm hoc Sacrosanctum Concilium accidere potuisse existimat. Scit enim Sacra illius Maiestas eius generis tempestates, nulla re commodius, quàm Oecumenicis Conciliis, posse, aut vnquam potuisse ab Ecclesia Dei propulsari. Et vt ex optimo animo Serenissimus Rex hoc tam peropportunum, & perne cessarium negotium Ecclesiæ Dei gratulatur: sic de singulari vestra pietate, omnia præclara, atque egregia sentiens, facilè sibi persuadet Vos vnum id agere, in id vnum incumbere, vt salutaribus huius Sacræ Synodi Consiliis, tam horribilis Ecclesiæ Dei tempestas componi, aut dissipari possit. Et est (Deo optimo Maximo sit gratia) Serenissimi Regis mei hæc de vobis opinio minimè vana. Nam video omnes curas cogitationésque vestras in salutem Ecclesiæ Dei conuersas, video vos ea de re vehementer esse solicitos. Est omnibus Catholicis Viris, semperque erit Serenissimo Regi meo grata, & iucunda vestra tam necessaria, & pia solicitudo, eam vos memores salutis vestræ non debetis deponere. Hæc enim muneris nostri conditio, nobis diuinitùs data est, vt omnes curas solicitudinésque patienter perferamus, dum iis rebus Ecclesiæ Dei pax, ac tranquillitas saluíque pariatur. Et eò certè id nobis diligentius faciendum est, quòd nisi id fecerimus, certò scimus nobis illam æternam curam atque solicitudinem, quæ instar pestiferi vermis conscientiam conficit, esse subeundam. Sed non est quòd quisquam vereatur commissuros vos vnquam, vt curæ aliquid & diligentiæ prætermittatis, in hoc Sacro-

sancto

ſancto Concilio optato fine terminãdo. Nam cùm obſeſſa impiorum hominum furore, velut facibus ac telis ad vos tendat ſupplex manus Catholica Eccleſia, vobis ſe, vobis gregem precioſo ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti redemptum, vobis aras, templa, ipſúmque ſummum Dei Opt. Max. cultum commendans: eritíſne tam duri, vt illam in extremo diſcrimine deſeratis? nec de illius ſalute, inſtituta conſilia inire perſeueretis? Vos verò pro veſtra pietate, non modò id non facietis, ſed ne cogitabitis quidem. Quòd autem in tanta oppugnatione, ac magnis procellis Eccleſiæ, Sacroſanctum hoc Concilium velut præſens auxilium, ac gratiſsimus Sol illuxit, id primum Dei benignitati, deinde Beatiſsimo ac Maximo Pontifici Pio IIII. meritò acceptum ferre debemus. Quas enim ille Pontifex impenſas, quos labores, quas curas non ſuſcepit ac pertulit, priuſquàm hunc veſtrum Sanctiſsimum grauiſsimúmque cœtum coëgit? Quæ igitur illo pro tam ingenti diuinóque beneficio præmia, quæ honoris inſignia, quæ laudum munimenta ab Eccleſia Dei non debentur? Sed cùm ille ſuo tam præclaro ac egregio facto contentus, iſta non poſtulet, hoc tamen vel inuitus conſequetur, quòd id illius præſtans in Eccleſiam Dei beneficium mortalium memoria aletur, ſermonibus creſcet, atque literarum monimentis inueteraſcet, corroborabitúrque: ac ita demum ſempiternum eſt futurum, nec illud vnquam ætas conticeſcet. Neque verò vlla illud non opportunè Dei benignitate accidit, quod ad Eccleſiæ ſalutem defendendam tuendámque Pius, & Inuictiſsimus Imperator, ac alij Catholici Reges, Principes, Réſque publicæ magno ſtudio, vt ex hac Oratorum clariſsima, magnáque frequẽtia cognoſci poteſt, conſentiũt. Quid Sereniſsi. ac clementiſ. Dominus meus Rex? diſſenſit ne ab hac tam pia cauſa à reliquis Catholicis Regibus? Is verò cùm illis mente, voluntate, ſtudio ac virtute, ad conſeruandum veterem illum Catholicę religionis ſtatum vehementer conſenſit. Ac in eo ſtudio ſe Regiis facultatibus ſuis huic Sacroſancto Cõcilio non defuturum offert atque pollicetur. Nam cùm is Sereniſsi. Rex meus ſapientia, iuſtitia, fortitudine, temperantia, omníque illo pulcherrimo choro virtutum ſtipatus, ac in primis ornatus ſit: tum pietatis tanto, quantus eſſe maximus poteſt, lucet ſplendore. Quot enim is Templa, delubráque honoris, & cultus Dei Opt. Maxi. gratia magnificè extruxit, ac copioſè ampliſsiméque ditauit? Quantum extat eius ſtudium in vera religione augenda, dilatanda, ac etiam ad Barbaras gentes Regno ſuo vicinas proferenda? Iam verò quanto ſtudio contendat, & elaboret, vt hæc lues tetra, quæ noſtro ſeculo pleraſque Europæ Pro

pæ Prouincias peruagata est, si minus funditùs euelli, saltem reprimi, & sopiri queat, nos qui Regni illius incolæ sumus, testes locupletes esse possumus. Sed quid omnia Serenissimi Regis mei pietatis certissima signa persequi necesse est, cùm non mediocre eius rei documentum sit, quòd cùm ipse belli, ac Regni sui grauissimis negotiis impeditus, ad hoc Sacrosanctum Concilium venire non posset, me licèt indignum suum Oratorem miserit. Noluit enim pius Rex in hoc totius Christiani Orbis, de componendis dissidiis religionis ardore à Beatissimi Maximique Pontificis, ac ab omnium Catholicorum Regum studio, studium quoque suum abesse. Sed factum fortasse est, vt Sacra illius Maiestas, in ea re serius aliquantò Ecclesiæ Dei ac ipsi religioni officium suum præstitisse videatur. Id verò officium si diligentius examinetur, penitúsque inspiciatur, profectò præmaturũ potiùs, quàm serum esse iudicabitur. Nam cùm in veteri more ac instituto Regni Serenissimi Regis mei hoc positum sit, vt de decernendis, mittendísque quaquauersum legationibus in Comitiis Regni suscipiatur deliberatio, vtique nisi Comitiali Decreto intercedente, Orator Regiæ Maiestatis huc non erat mittẽdus. Sed cùm Serenissimus Rex aliquot iam annis à regno suo in remotioribus Regionibus belli negotiis vehementer impeditus abesset, ac ob eam causam facultatem celebrandorum Comitiorum Regni ad hoc vsque tempus prorsus sublatam sibi videret, diutius pro sua pietate se tenere non potuit, quin huc Oratorem suum, non expectato ea de re Comitiali Decreto ablegaret. Ex quo satis cuiuis perspicuum esse potest, quòd Serenissimus Rex meus maturiùs Oratorem suum huc miserit, quàm per morem in Regno receptũ, ei licere videbatur. Id verò eo fecit alacriùs, quòd ea, quæ in Christianam religionem hac nostra infelici ætate grassatur pestis, pestiferum virus suum in regnum quoque illius Maiestatis longè latéque diffudit. Quod quidem malum Serenissimus Rex à suo regno, ac ab vniuerso Christiano orbe auersum & propulsatum in salutaribus eius Concilij Decretis, confidit ac sperat. Quæ ne spes eum atque adeò vniuersum Terrarum Orbem fallat, per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi obsecro, ea qua cœpistis solicitudine curate. Nihil enim ad eam tempestatem, qua nauis vobis commissa iactatur, componendam, nihil ad eam pestem qua gregem, cuius Pastores estis, populari videtis depellendam vobis deesse videtur. Nam & præclara eius Concilij occasio, & tanta quanta videtis, Catholicorum Regum ac Principum studia, modò non emissa voce, vestri officij vos admonent, vtque iis tantis malis occurratis atque obsi-

statis

ſtatis expoſcunt. Quibus autem rationibus fieri poſsit, Deus optimus Maximus vobis inſpiret, ac quæcunque inſpirauerit illa in honorem & gloriam ſuam, veſtram totiúſque Catholicæ Eccleſiæ ſalutem propitiùs redundare velit.

RESPONSVM SANCTAE SYNODI *in admiſsione Oratoris Sereniſsimi D. Sigiſmundi Regis Poloniæ in Generali Congregatione, Die* XXIII. *Octobris, Anno* M. D. LXII.

REVERENDISSIME & Illuſtriſsime Domine Orator, Sigiſmundi Auguſti optimi, ac potentiſsimi Regis veſtri, ſingularis pietas, & excellens iuuandæ Catholicæ Eccleſiæ ſtudium adeò perſpectum Sanctæ Synodo ſemper fuit, vt quemadmodum ſumma cum lætitia & voluptate eius Legatum aduenientem excepit, ita certè nullam moræ & tarditatis excuſationem ab eius Maieſtate expectandam eſſe vnquam exiſtimauit. Cùm enim Sereniſsimus Poloniæ Rex is ſit, qui acceptam à clariſsimis Regibus maioribus ſuis Catholicæ fidei veritatem, non ſolùm ipſe conſtanter retinuerit, verumetiam optimis legibus, ac continentibus propè bellis, à nefariorum hominum ſcelere atque impetu defendendam ſumma cum laude ſuſceperit, ſatis per ſe Sancta Synodus intelligebat, eum celeberrimo huic, ac legitimo totius Orbis Concilio animo intereſſe, eandémque pietatem omni tẽpore Sanctæ Dei Eccleſiæ re ipſa præſtiturum eſſe, quam Inuictiſsimus Cæſar, cæteríque Chriſtiani Orbis Reges, ac populi, miſsis legationibus profeſsi eſſent. Accedebat autem Hoſij Cardinalis Ampliſsimi aſpectus, præſentiáque ad declarandam Regiam mẽtem & voluntatem, veluti magnum aliquod atque illuſtre teſtimonium. Neque enim dubitari poterat, Sigiſmundum Auguſtum Regem, omnia quæ ad Sacræ huius Synodi decus & ornamentum pertinerent, ſummo ſtudio curaturum eſſe, in qua Ditionis ſuæ hominem Apoſtolicæ Sedis legationem obire perbenignè pateretur. Hæc igitur ſunt, præſtantiſsime Orator, quę hactenus fecerunt; ne ab hoc Generali Concilio Regis veſtri pietas, & authoritas abeſſe videretur. Verùm quando per Legatum etiam ſumma religionis & prudentiæ, & integritatis laude præditum adeſſe voluit. Hoc quidem Sanctæ Synodo eò iucundius accidit, quòd intel-

lexit eius Maiestatem, non expectatis Regni Comitiis, de hac re deliberasse, ne scilicet cùm ea longius differrentur, aliquod pietatis officium ab optimo & religiosissimo Rege defuisse illis videri posset, qui minus sincerè, atq; adeò inuidiosè Catholicorũ Principũ facta interpretari solent. Quare Sancta Synodus Regiæ Maiestati de honorificentissima legatione, déque eius in Catholicam & Apostolicam Ecclesiam egregia voluntate, maximas gratias agit. Deinde verò te Reuerẽdissime Domine, non solùm quia illius Regis, cui nihil antiquius vera religione vnquam fuit, personam geris: sed quia Hosij Cardinalis & Legati Amplissimi laudatione es ornatus, non potest hoc munere non dignissimum iudicare, libentissimè excipit, mandatúmque tuum, prout iuris est, admittit. Quod autem Sanctam Synodum hortaris, vt Dei causam, quam suscepit, ita tueatur, vt aliquando sancta Ecclesia pristinam dignitatem recuperare queat, illa quidem sua sponte incitata, in hanc curam omni cogitatione incumbit: lætatúrque Dei misericordia tam præclara diuini huius operis fundamenta iacta esse, vt diuina ope & auxilio freta, speret fore, ne cùm sibi à Pio IIII. Pontifice Maximo, cuius virtutem immortalitati consecratam omnes ætates admirabuntur, summa constituendæ Ecclesiæ adiumenta suppeditata fuerint, ipsa suo muneri & officio defuisse existimari possit.

LITERAE CAROLI CHRISTIANISSIMI Regis Francorum, exhibitæ patribus ab Illustriss. & Reuerendiss. Principe D. Carolo Cardinale à Lotharingia: in Generali Congregatione Oecumenici Tridentini Concilij, Die XXIII. Nouembris, M.D.LXII.

CAROLVS Dei gratia Francorum Rex, Sanctissimis, & Reuerendissimis Patribus in Sacro sancto Tridentino Concilio congregatis salutem. Et si ea fuit Dei Opti. Maxi. voluntas, vt iam inde ab ineunte ætate, nos ad tanti huius Regni Imperium vocarit, eiúsque altæ, & infinitæ iudiciorum Prudentiæ placuit, nobis committere huius Principatus initia, adeo tumultuum, & ciuilium bellorum plena, vt nulla

illius, vel minima Prouincia inueniri possit, quæ hisce calamitatibus careat: oculos tamen pueritiæ nostræ hæc ipsa diuina bonitas ita aperuerit, vt tantorum malorum causam facilè iudicauerimus, non aliun de quàm ex varia, & multiplici de religione opinione, qua populus noster imbutus est, processisse: cognoscamus etiam huius grauissimi morbi remedium non ab hominum prudentia esse petendum, sed à Deo viuo & inexhausto misericordiarum Fonte, qui requirentibus eum ex animo, suique nominis gloriam tantum, & honorem spectantibus nunquam defatigatur beneficia, & gratias conferre. Itaque eodem Sancto spiritu ducti cùm primum Regia corona sumus insigniti, nihil nobis magis fuit in votis quàm cum maiorum nostrorum exemplo, ad sacros conuentus velut ad eius ægritudinis vnicum & præsens medicamentũ confugere, tum in bonę memoriæ Francisci Regis Domini & fratris nostri amantissimi vestigiis permanere, & quanto potuimus studio, & diligentia hanc ipsam in quam nunc ex variis orbis terrarum partibus conueniistis, celeberrimam synodum expetere. Ac illud quidem grauissimè tulimus, Nos qui huius instituti adeo pij & optati authores fuimus, non tamen efficere potuisse vt Prælati nostri in hoc generale Concilium primi conuenerint, sed huiusmodi dilationis causam, & alij omnes & vos ipsi necessariam esse iudicastis. Cúmque amantissimum, & dilectissimum consobrinum nostrum Cardinalem Lotharingũ Archiepiscopum & Ducẽ Rhemensem, Primũ Franciæ patrem, inque illius comitatu aliquot regni nostri Episcopos & Abbates aduenire videatis, nihil quidem à nobis cum simulatione, aut exquisitis diffugiis, sed omnia serio, piáque & Sancta voluntate gesta esse facilè existimabitis. Causa autẽ sanctissimi Patres, propter quam Cõsobrinum nostrum ad vos misimus, duplex est. Altera quòd ille muneris sui non oblitus quique optimè nouit, quid ecclesiastica *professio, horúmque temporum calamitas* ab eo suique ordinis hominibus requirat, sæpius & vehementer istuc eundi facultatẽ à nobis petiit & optauit. Altera quòd ille à teneris annis ad secretiora nostra cõsilia euocatus, & in regni nostri grauissimorum negociorum administratione educatus optimè nouit fontes, & origines tumultuum nostrorum & quibus rebus egeamus, vt iis sedari possint, eique in mandatis dedimus, ea apud vos exponere, & quę à prudentia vestra, & amore paterno remedia vitæ expectari possunt, non solùm propter regni nostri tranquillitatem, sed etiam totius Reipub. Christianæ salutem à vobis impetrare: cũ enim præ oculis, (quod est verè & purus Dei cultus) semel habuerimus, poterimus tandem ad laudatam illam & adeo ex-

petitam rerum commendationem, quæ Episcoporum iniuria, & hominum malitia funditus perierat peruenire, ac in honorem & exaltationē Dei nominis, vnitatémque Ecclesiæ, antiqua illa Catholicæ Ecclesiæ maiestas, & integritas splendebit. Quam rem velut munere vestro dignam vniuersus orbis iure suo à vobis requirit, eámque si feceritis, accedet vobis inenarrabilis remuneratio à manu illius liberali qui se harum rerum liberalissimum remuneratorem profitetur. Reges item & Respu. Principésque omnes vobis se merito deinctos existimabūt, vestrámque pietatē, magna cum vestra laude posteritati commendabunt: & qui eo est ingenio Consobrinus noster, vt ea planè nouerit, quę vos speciatim scire cupimus, obsecramus vos Sāctissimi Patres, illum vt æquo, & lubenti animo audiatis, eámque illi fidem quam nobis, si istic essemus adhibeatis. Petentes interea à Deo Opti. Maxi. vt vos suo præsidio, totíque orbi Christiano diutius conseruare dignetur.

ORATIO ILLVSTRISS. ET REVE-rendiss. Domini Caroli Cardinalis à Lotharingia, habita in Sacrosancto Oecumenico Concilio Tridentino, Die XXIII. Nouemb.

M. D. LXII.

ILlustrissimi Domini, Reuerendissimi Episcopi, Christianissimus Rex Carolus Reginæ Matris Christianissimæ authoritate, ac præcipuo Regis Nauarræ assensu, procerúmque omnium conscriptorum consilio, has literas, quæ modò perlectæ sunt decreuit, mihíque ad vos perferendas dedit: quarum præcipua ea capita quæ maiorem à me explicationem desiderant, pro ea, quæ mihi credita est fide explicabo, quàm breuissime potero. Hæ (vt meministis) statim in initio rerum regni illius nostri nobilissimi, amplissimi, ac florentissimi quondā, summæque erga Regem fidei, & obseruantiæ statum, & conditionē testantur. Dicam vno verbo non sine incredibili animi dolore: fuimus Galli, fuit ingens gloria Francorum: Hæ rerum omnium, Clarissimi Oratores, sunt vicissitudines: Manus Domini tetigit nos viri Patres, & fratres. Hæc nobis iustum Dei in ira sua iudicium prouocauerunt, corrupti omnium ordinū mores, ac ecclesiastica omnis collapsa disciplina: Has turbas excitauerūt hæreses non suppressæ, & à Domino Deo nostro

ſtro inſtituta remedia tãdiu neglecta. Hinc illæ lachrymę,& per totum Regnũ diſsidia,rapinę,bella inteſtina,ac pluſquam ciuilia: luctus vbiq;, vbiq; dolor,& plurima mortis imago. Nec ſacro ſanctis Dei tẽplis parcitur, Presbyteri,& religioſi viri ad aras vſq;, quas amplexãtur moriẽtes trucidãtur, viſibilia ſacramentorũ ſigna pedibus conculcantur, & comburuntur, paſsim erecti apparent rogi ex omni genere Eccleſiaſticorum ornamentorũ: accẽſa ex imaginibus deiectis pyra, additis omnium non ſolùm Eccleſiaſticorũ, ſed antiquiſsimarum bibliothecarũ libris, nec quicquam ex chartis publicis,& inſtrumentis, quæ ad dotationem pertinent, reſeruantur: Sanctorum reliquiæ ruptis altaribus in cineres rediguntur, qui ſunt poſt hæc in profluentẽ proiecti. Horreſco referens, nec à ſummorũ Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Epiſcoporum, & ſine diſcrimine paſsim aliorũ omnium ſepulchris abſtinetur, eorum maximè, qui de Eccleſia Dei benemeriti per monumenta reperiuntur: Nomen Domini vbique blaſphematur: ſpiritus mendacij in ore omnium eſt, qui falſo verbi Dei miniſteriũ vſurparunt, atque ita expulſis Paſtoribus, alieni ouis cuſtos, fur, & latro aſcendit. Poſtremò (quod longè omnium eſt grauiſsimum) iuge,& ſacro ſanctum Sacrificiũ apud eos ceſſat, quod intermiſſum, quantã ruinam ſecum afferat,& quantã Regibus iacturam, & meminiſtis viri Doctiſſimi ex prophetarũ oraculis, & experientia iam in magnis Imperiis, florentiſsimis Regnis, ampliſsimis prouinciis didiciſtis, atque in Gallia nunc aſpicitis: Regis enim maieſtas contemnitur, imperia detrectantur, non modò vectigalia, ſed prouẽtus etiam negantur: iura omnia,& leges ſilẽt: Quilibet vindictã, quam exercet ex priuato odio metitur, ad defectionem populus excitatur,& excuſſo Monarchiæ, quod aiunt, iugo, Anarchia in concionibus publicè proponitur. Hæc omnia apud vos cogitate clariſsimi oratores, & quod in Gallia nunc videre otioſis licet, ſera nimis pœnitentia experiemini, ſi mole ſua Gallia ex vicinia vos in ruinã trahat. Sed quid vos ſanctiſsimi Epiſcopi detineo, aut diutius affligo? ſuperſunt toto huic noſtro malo opportuna remedia. Habemus enim magnæ ſpei pupillũ Regem, non tam Regni ex legitima ſucceſsione Monarchã, quàm religionis,& virtutum omnium auitarum hęredẽ, quem Pater Henricus,& Auus Franciſcus excitat,& in quo iam Franciſci fratris demortui, omnium generis virtutũ igniculi relucent. Nec deſunt Catherinæ Reginæ viduæ,& Nauarræ Regis optima cõſilia,& infractæ procerum vires. Nullis opibus parcitur, vndique auxiliares copiæ cõparantur, fitque via vi, ſed in noſtra viſcera, quantumcúmque victrix dextra ſit, ferrum conuertitur: eruuntur

opes,& fit lamentabile Regnum,Iámque nulla ad ſedandos tantos tumultus aptior via,nullum præſentius eſt remediũ,quàm, quod ab hac ſacroſancta vniuerſalis Eccleſiæ legitimè in Spiritu ſancto congregata Synodo expetitur:Huc vos maiorũ exempla trahant: Hoc Dei verbum docet,ac vt ſperemus in promiſsis ſuis (quæ nunquã fecit irrita) imperat,atque ita demum ex hoc loco pax Dei,quæ exuperat omnem ſenſum,expectatur: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod ſumus nos viri Patres,& tametſi diuiſiones gratiarum ſint, omnes tamen nos in vno ſpiritu,qui nomine Domini Ieſu Chriſti congregati ſumus, quos & dicere neceſſe eſt, & prout Spiritus ſanctus dabit eloqui. Quæ omnia vt magis ſcire poteſtis ad benè, beatéque decernendum ex Diuino præſcripto ſunt omnino neceſſaria.Hæc omnia Chriſtianiſsimus Rex cùm ſibi ſatis perſuadeat, nec quicquã alienũ ab his à nobis expectet: Duo tamen præcipua ſunt ea, de quibus vos admonet pro ſua in hanc Synodum obſeruantia,& pro ea,quam ſentit,ex his in religione diſsidiis ſumma modeſtia.Primum itaque à nobis poſtulat,vt quantum fieri poterit noua diſsidia vitemus, nouas (inquam) & infructuoſas relinquamus quęſtiones,ac demum,quantũ nobis licet curemus,vt Principes & Prouinciæ omnes ab armis abſtineant,ab hoc deſiderio excitandorum bellorũ prorſus nos alienos eſſe oportet, ne qui ex nobis diſceſſerunt,& ſe ab Eccleſia Dei præciderunt, exiſtimẽt magis hoc conuentu Principes ad arma excitari: & ſocietates, & fœdera iniri ad bellum, quantumcunque ſacrum,quàm de vniuerſali omniũ animorum reconciliatione decerni:ſolliciti ante omnia ſeruare vnitatem Pacis: Si quid in ea ſententia peccatũ eſt, parcite quæſo Patres ampliſsimi. Henricus pater author fuit pacis, quæ in Chriſtiano orbe tam fœliciter hactenus ſeruatur: eam quaſi teſtamento paulo pòſt moriens filio Franciſco Regi commendauit:Hanc Franciſcus frater ſi nobis tam cito ereptus non fuiſſet,magna prudentia retinere conabatur. Pupillo, & viduæ iniquiſsimas ſemper turbas,& bella inteſtina Rex,& Regina Mater valde pertimuerunt, & pacatos ſubditorum omnium animos, ne quies publica interturbaretur, ſumma prudentia, ac vt ætatẽ, & ſexum decet perpetuo exoptauerunt. Quod etiam ſi (vt negari non poteſt) infeliciter ſucceſsit, infeliciores tamen belli euentus ſunt pertimeſcendi,ne ſi omnes in eodem periculo verſentur, eadem & tempeſtate acti, nemo periclitantes adiuuet, ac ſi vnum, idémque omnes naufragium faciamus.Summã propterea ratione haberi deſiderat,eorum qui lapſi ſunt,vt & illis,quantum ex Deo poterimus,cõdonemus, quibus & nos amicos eſſe liceat,ſed vſq; ad Aras. Alterum legationis

meæ

meæ caput est,quod iã à principio Regi meo Christianiss.cùm serenissimo Imperatore,& reliquis Regibus, & Principibus viris, quorũ hîc Oratores clarissimos viros habetis,fuit cõmune: nempe, vt de reformatione,& morum,& Ecclesiæ disciplinę omnino decernatur.De hac iterũ,iterumq; vos admonet,ad eam serio amplectendã(qua potest obseruantia)hortatur,& per Dominũ nostrum Iesum Christũ, qui iudicaturus est viuos, & mortuos obtestatur, si Ecclesiæ authoritatẽ integram esse vultis,si eius dignitatẽ conseruare, si iam inclinatũ nobilissimæ Galliæ Regnum retineri posse iudicatis,nec vos ex vestris cõmodis,nostra incõmoda metiri æquum est: Si enim vniuersa hęc Italia,si Hispania omnis,sedẽ & clauũ tenet, gratulamur vobis felicissimi Patres. Nos puppi excidimus,& vix supremo digito gubernacula retinemus.Hic nobis liceat iure vestro causas à nobis tantæ tẽpestatis exquirere.Quem accusabimus coepiscopi fratres?Quem tanti mali authorẽ constituemus?Memini quid velitis, nec memoria excidit vestrũ de ea re commune omniũ iudicium: hoc non sine innato pudore, & magna anteactæ vitæ pœnitentia dicere me oportet.Propter nos tẽpestas hæc orta est viri fratres: propterea mittite nos in mare. Quid addam amplius?habetis confitentes reos,in eos vt libet animaduertite. Nunc iudiciũ incipiat à domo Dei & mundentur,qui fuerunt vasa domini.Attendamus nobis,& viuerso gregi.Quiescamus peruersẽ agere,& discamus benè agere: immò potius tu misericors, & bone Deus per viscera misericordiæ tuæ attende,placare,& fac:adauge nobis fidem,vt sine timore de manu inimicorũ liberati seruiamus tibi. Nunc viribus opus est Patres,nunc pectore firmo. Sed vereor Illustriss.Domini,& Reuerendiss.Episcopi,ne nimis importunè agam:non est enim sponte currentibus addendũ calcar.Finem igitur faciã:est enim mea hæc expedita à Rege legatio. Si quid scire vos amplius oportebit:hæc omnia clarissimi Regis oratores curabũt. Ego verò,& mecũ vnà, qui ex Galliis aduenerũt Reuerend. coepiscopi in hac vniuersalis Ecclesiæ sacr o-sancta Synodo testamur Beatiss.Papæ D.Pio Pont. Max. post Deũ in perpetuũ subditos esse velle, eius enim nos in terris primatum super omnes Ecclesias agnoscimus,cuius nunquam imperia detrectabimus. Ecclesiæ autem Catholicæ,ac sacræ generalis Synodi Decreta veneramur.Vobis Illustriss.ac Reuerend.Legati Fasces submittimus,sanctissimis Episcopis dextras societatis offerimus, & clarissimos Oratores testes sententiarum nostrarum hîc adesse vehementer gratulamur, vt Spiritu sancto Duce in omnibus, per omnia,& semper honorificetur Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi.

ORA

ORATIO HABITA A DOMINO RENALDO *Ferrerio Præsidenti in Parlamento Parisiensi, Oratore Caroli Galliarum Regis Christianiss. in Generali Congregatione, Die* XXIII. *Nouembris,* M. D. LXII.



RATIONIBVS, quas nunc audistis Illustriss. Domini, Sanctiss. Patres, nihil est quod à nobis quicquam addi, aut detrahi debeat, tantùm vnum dicemus bona venia paternitatum vestrarum pro muneris nostri ratione. Christianissimi Regis pius, religiosus, & in Catholicam Ecclesiam propensissimus animus: anteà quidem erat omnibus satis perspectus, & cognitus: nunc autem aduentu & oratione Illustrissimi Principis, & Reuerendiss. Cardinalis adeò est illustratus, vt ne vllius quidem dubitationi locum relinquat. Nam quo minus antea tanti viri aduentus ab hominibus prudentibus, & peritis rerum humanarum sperabatur, eo magis cùm venerit, nemo est, vel mediocri ingenio præditus, qui non plane videat quãtum Galli Ecclesiæ Catholicæ consultum velimus, quique non intelligat plures, eásque grauissimas esse causas, quibus adductus Rex Christianissimus, illum ad vos miserit, cuius singulari consilio, in rebus magnis agendis, cùm antea semper vsus est, tum maxime his miserrimis, & calamitosissimis Galliæ temporibus: qui autem existimant priuato magis commodo, quàm Reipub. Christianæ causâ hæc à nobis fieri, vehementer falluntur. Potest (si modo velit) Rex Christianissimus vel triduo seditiones omnes, ac motus suorum componere, inque officio, & obsequio Gallis innato, subditorum omniũ animos retinere. Sed non tam, quæ sua sunt quærit, quàm quæ sunt Catholicæ Ecclesiæ, & Pontificis Maximi, cuius dignitatem, & authoritatem, vt sartam tectam in Gallia retineat, non dubitat tanti Regni Imperiũ, vitam, & fortunas magnorum Principum, procerum, & nobiliorum in periculum adducere. Hic est Galliæ nostræ status. Hæc fundi nostri calamitas. Quòd si quis nos roget, Quid tãdem illud est, quod vos, Ecclesiáque vestra Gallicana tantopere à Concilij Tridentini Patribus expetit? Non sumus Patres sapientissimi, in petitionibus nostris admodum morosi, & difficiles: nihil aliud petimus, quàm quòd totus orbis Christianus efflagitat, quod à Cõcilij Niceni patribus petiit ille magnus Constãtinus. Hoc ipsum à vobis requirit Rex Christianissimus: omnia illius postulata continentur

nentur aut ſacris bibliorum literis, aut vetuſtis Eccleſiæ Catholicæ Conciliis, aut antiquis Pontificum & Patrum conſtitutionibus, Decretis, & Canonibus: Hæc ſunt, hæc, inquam, ſunt, quorũ nomine Rex Chriſtianiſsimus, Eccleſiæ Catholicæ primogenitus filius, Eccleſiæ (inquam) Catholicæ petit reſtitutionem in integrum apud vos, quos Dominus noſter Ieſus Chriſtus Prætores legitimos creauit, neque hoc ipſum petitur ex clauſula (vt dicitur) generali: ſed ex verbis expreſsis edicti illius diuini, & perpetui, aduerſus quod nunquam fuit, neque vnquàm erit vſucapioni, aut præſcriptioni locus. Redeant quaſi poſtliminio in ſanctam Dei ciuitatem, & in lucem hominũ tandem prodeant, quæ antiquus hoſtis Sathan vi eripuit, & lõgo tempore ſuppreſsit. Sic Darius Perſarum Rex motus in Iudęa propter religionem excitatos ſedauit. Non enim ad arma continuo, verùm vt maiorum ſuorum leges, & antíqua edicta inquirerentur iuſsit, inuentúmque Regis Cyri edictum de reditu Iudæorum in Iudæã, & de templi inſtaũratione à maioribus ſuis neglectum, & mandauit executioni, & ita pacati ſunt tumultus. Ioſias Rex laudatiſsimus, & ſyncériſsimus Eccleſiaſticæ diſciplinæ exactor, & reformator, librum legis ab Helcia magno ſacerdote repertum (poſteaquam hominum malitia longo tempore ſuppreſſus fuerat) primùm legit diligentiſsime, deinde lectum recitauit populo: Tum ex illius præſcripto ritus, & præcepta Diuina Iudęis reſtituit. Strenui illi Nehæmiæ milites quos tantopere commendat Chriſoſtomus, altera quidem manu telum tenebãt, altera muros Hieruſalem ædificabant, hoc eſt Eccleſiam ex antiquis Patrum legibus reſtituebãt: Niſi hæc fiant Patres ſanctiſsimi, fruſtrà à vobis rogabimur: num etiam pacata eſt Gallia? nos enim vobis reſpondebimus, quod Iehu Regi Ioram roganti, num pax, num pax? Et quomodo inquit ille, pax, cum adhuc ſuperſit, & vigeant. noſtis cætera. Niſi his rebus diligens detur opera: nos fruſtra cõfugiemus ad potẽtiſsimi illius, & maximi Regis Catholici affinitatem, ſingularem amicitiam, incredibilem liberalitatem, fruſtra fidem & auxilium implorabimus Pontificis Maximi, Sereniſsimi Venetorum Dominij, Lotharingiæ, Allobrogum, & Hætruriæ Principum auxiliares copias: Fallax enim (mihi credite) erit equus ad ſalutem, niſi hæc à vobis fiant: Turbabitur breui nimia quorundam ſecuritas, & quod caput eſt, qui interea peribunt, tametſi id illis ſua propria iniquitate & peccato eueniet: vobis tamen peribunt: hoc eſt ſanguis illorum de manu veſtra requiretur. Sed priuſquam nos ad ea veniamus, quæ ſuo loco, & tempore ſumus dicturi, ſecundumque mandatorum noſtrorum Formulam agemus: Petimus à

vobis sapientiss. Patres, à vobis, inquam, quos vestra sponte scimus esse satis incitatos, quorũque pietatis, religionis, & in omnes homines charitatis, sumus non solùm auriti, sed etiam oculati testes: vt ea de quibus iamdiu cepistis deliberare, quàm breuissimè fieri poterit absoluatis: quo citius possitis de multo grauioribus, & magis hoc tempore necessariis, sententiam vestram dicere, & his conuentibus Ecclesiasticis finem imponere, ad laudem, & honorem Dei Patris omnipotentis eiusque Filij Domini nostri Iesu Christi.

RESPONSVM HABITVM SANCTAE *Synodi nomine, à Reuerendiss. D. Mutio Calino Archiepiscopo Iachen. Illustrissimo Cardinali à Lotharingia, ac Christianissimi Regis Oratoribus. In Generali Congregatione, Die* XXIII. *Nouembris,* MD. LXII.

ILLVSTRISS. ac Reuerendiss. Domine: Inter cæteras Christianæ Reip. miserias, & calamitates, quarum memoriam sancrosancta Synodus neque deponere, neque sine lachrymis repetere vnquam potest: nulla eius animum cura magis anxium, ac sollicitum semper habuit, quàm seditiones, & bellici tumultus, qui religionis causa in florẽtissimo Galliarum Regno commoti, & concitati dicerentur. Nam cùm omni tempore Regnum illud firmissimum Catholicæ veritatis præsidium, & columen iure optimo habitum fuerit: cogebatur sancta Synodus incredibili dolore affici, cùm intelligeret eiusmodi factam esse rerum commutationem, vt non in vna, aut altera, sed in pluribus eius Prouinciis omnia fere, impietas, cædes, vastitas occupasse videretur. Accedebat præterea ad augendam doloris acerbitatem, quòd nunciabatur nobilissimos gentis vestræ proceres, quòd scilicet alij orthodoxam fidem labefactatam, & euersam, alij defensam, & conseruatã maximè cuperent, tanto animorum ardore ad arma cõcurrisse, quanto olim Christianissimi Reges vestri totius Gallici nominis consensu pro Christiana religione propaganda eiusque dignitate recuperanda difficillima sæpe bella susceperint, ac cõfeciſſent. Verùm anteà cùm hæc mala sancta Synodus multorum fama, & auditione accepisset, grauiter sane dolebat & præsentem incliti Regni statum maximè deplorabat, ita

ita tamen, vt facile crederet multo sibi miserabiliorem eius fortunam videri posse, si quæ aurium sensu perceperat, cernere etiam oculis, & propius omnia eius vulnera intueri, ac penitus pernoscere licuisset. Quod quidē illi nunc insperato quodāmodo contigit. Etenim Illustr. & Reuerendiss. Amplitudo vestra Christianiss. Regis literas quæ nuper recitatæ sunt oratione sua subsecuta, ea verborū copia, grauitate, prudentia Gallicarū rerum statum, & conditionē expossuit, vt eas non cōmemorasse, sed earū veluti expressam imaginē omnium oculis subiecisse videatur. Quare cōstanter S. Synodus affirmat, se nullas ei proprias, ac præcipuas doloris partes cōcedere, verum eo acerbius hāc calamitatem ferre, quòd amplitudo vestra Matris, sancta Synodus Chariss imæ, & dulciss imę filiæ erumnas, & incōmoda defleat, ac conqueratur. Sed tamen in tantis malis animum erigit, & confirmat, siquidem breui futurum confidit, vt Deus reddat Puero Regi pristinam maiorum suorū & præsertim Aui, Parentis, ac Fratris clariss imorū Regum virtutem, ac fortitudinē, qua non solùm nepharios hostiū conatus reprimere & audaciam vlciscī queat, sed in tenera etiam ætate singulare aliquod pietatis exemplum ad pulcherrimi facti imitationem posteritati prodere. Deinde verò cum diuina clementia atque misericordia, & Sanctiss. D. N. Pij Pont. Maxi. opera, & authoritate hoc sanctum, & generale Concilium coactum sit, si vnquam antea, nunc certe maximè sperandū est, fore, vt verus Dei cultus discussa errorū caligine ab omnibus agnoscatur, mores emendentur, pax, & trāquillitas Ecclesiæ restituatur. Qua in re quemadmodū adhuc sancta Synodus omnem diligentiam adhibuit, vt quæ sui muneris, & officij esse intelligebat (adiuuante Deo) perficeret, ita in posterum nihil se de ea cura remissuram. Verùm si fieri possit aliquid potius ad eam studij & industriæ addituram esse pollicetur, ac spondet. Neq; verò Illustriss. Domine, te impulsore solum, atque hortatore, sed multo magis (quod summæ felicitatis loco habendū existimat) adiutore, & consiliario id faciet. Nouit enim quanta tua sit optimarum artium, & prę cipuè sacrarum literarum scientia, maximarum rerum vsus, atque tractatio apud Regē potentiss imum, summósque principes existimatio, & authoritas, & quod caput est, pietas in Deum, vitæ integritas, & innocētiæ, ac veræ & Catholicæ religionis sincerum studium. Quæ quidem tot, & tanta sunt, vt quid potiss imum in te homines laudare debeant, maximarúmne virtutum cumulum, an in quoque genere absolutam, & perfectam earum formam merito dubitari possit. Illud autem exploratiss imum sancta Synodus habet, tam multa ab Illustriss ima Amplitudine vestra

ad cõmunis cauſæ vtilitatem adiumenta allatum iri, vt ſibi nunquam minus iucundam eius aduentus memoriam futurã confidat, quàm ille ipſe dies quo venientẽ excepit lætiſsimus, ac iucundiſsimus omnibus illuxiſſe viſus eſt. Itaque Illuſtriſs. Domine, omnes hi Sanctiſs. Patres quòd tam longo, difficili, ac periculoſo itinere ſuſcepto ad tuendã ſanctæ Matris Eccleſiæ dignitatẽ tanta animi alacritate accurreris, quòd ſaluus, & incolumis cum tot grauiſsimorum Patrum comitatu adueneris: quòd tua præſentia, authoritate, ſplendore frui liceat: Primùm Deo immortali maximas gratias agunt, deinde tibi ex animo gratulantur, ſanctáque omnia, ac fœlicia à Domino precantur. Cæterũ quæ vel de communibus Catholicæ Eccleſiæ rebus, vel de priuatis Gallicarum Eccleſiarum commodis proponenda erunt, ea ſancta Synodus quotieſcunque Regiis Oratoribus viris præſtantiſsimis, vel Illuſtriſsimæ Amplitudini veſtræ de his dicendi locus, & poteſtas dabitur, libentiſsimè audiet. Neque enim dubitat, quin eius Regis nomine, qui pueritiæ commendationem à pietatis acerrima defenſione duxerit, cuiuſcunque in omni vita præcipuum ornandæ atque amplificandæ religionis ſtudium eſſe debeat, illa proponantur, quę in primis cum vera Dei gloria, perpetuáque ſanctę eius Eccleſiæ vtilitate, & ſumma Apoſtolicæ Sedis dignitate & amplitudine coniuncta eſſe videantur.

LITERAE EMANVELIS PHILIBERTI *Ducis Sabaudiæ, exhibitæ ab eius Oratore in Generali Congregatione, vltima Ianuarij, Anno Domini,* M. D. LXIII.

ILLVSTRISSIMI & Reuerend. Patres: In *tanta rerum* perturbatione, in qua totus Chriſtianus orbis periclitatur, illud nobis, vt certiſsimum, ita vnicum remedium, quod ab iſtius Sacroſancti Concilij diu deſiderata diffinitione dependet, relictum eſſe videtur. Reliquæ enim omnes, quæ huic morbo adhibentur, medelæ, vulnus potiùs exacerbare, quàm obducere dignoſcuntur. Quare & Pontifici ſummo, qui hoc tam ſalubre medicamentum adhiberi voluerit, & Vobis omnibus, qui veſtra opera, diligẽtia, virtute, in hanc rem prorſus incumbere, & pro Religione tot labores ſuſtinere non recuſatis, maximæ ſunt agendæ gratiæ, Chriſtianis verò omnibus ſummoperè gaudendum, quòd Religione

gione ſuo priſtino candori reſtituta, & omnibus erroribus deploſis, viam, quam ſequantur, veritatis minimè ſint ignoraturi. Mihi quidem nulla res gratior, nec deſiderabilior obuenire poterat, tum totius Rei publicæ Chriſtianæ cauſa, tum etiam populorum meorum, vt quos à bellorũ anfractibus, diuino munere liberatos mea magna lætitia conſpicio, eos etiam animarum pace fruentes, maiore cum gaudio intelligam. Quòd ſi ſerius ad vos Oratorem & Procuratorem meum, qui mos omnibus Catholicis Principibus eſt antiquus, deſtinaui, id facilè mihi à vobis condonatum iri exiſtimo, ſi varia atque eadem grauia negotia, quæ me hactenus totum occupauerunt, conſiderare non dedignabimini. Nunc cùm primùm licuit, Reuerendum Epiſcopum Auguſtenſem, iſthuc mittendum curaui, qui & Oratoris & Procuratoris mei munere, apud iſtam Sacroſanctam Synodum fungatur: ab eo intelligetis, & quãto in periculo conſtituti ſimus, & quo teneamur deſiderio conuentum hunc veſtrum vnanimi conſenſu ad totius orbis Chriſtiani quietem, & ad Catholicæ religionis augmentum perfici: qua denique afficiamur voluntate veſtra decreta, veſtráſque diffinitiones, quantum in nobis erit, omnibus fauoribus proſequi & adiuuare: vt quod à vobis (Spiritu ſancto cooperante) determinatum fuerit, id à nobis pro virili noſtra ſinceriſsimè executioni demandetur. Valete. Taurini, Kal. Ianuarij, M. D. LXIII.

Illuſtriſsimarum & Reuerendiſsimarum DD. VV.
Obſequentiſsimus Filius Dux Sabaudiæ
E. PHILIBERT.

A TERGO.

Sacroſanctæ Oecumenicæ Synodo Tridenti in Spiritu ſancto congregatæ.

MANDATVM DVCIS SABAVDIAE, EXhibitum ab eius Oratore in Generali Congregatione, Die vltima Ianuarij, Anno Domini M. D. LXIII.

VM Philibertus Dei gratia Dux Sabaudiæ, Chablaſij, & Auguſtæ Sacri Romani Imperij Princeps, vicariúſque perpetuus, Marchio in Italia, Princeps Pedemontium, Comes Gebennarum, Gebenneſij, Baugiaci, Recondimontis, & Aſtæ: Baro Vaudi, Gai, & Faucigniaci,

Niciæque, Breſciæ, ac Vercellarum, &c. Dominus. Vniuerſis pateat, quòd cùm Sereniſs. in Chriſto Pater, Dominus Pius diuina prouidentia Papa IIII. pro hæreſibus extirpandis, moribus reformandis, abuſibus corrigendis, atque aliis, quæ ad Catholicæ religionis veritatem aſſerendam, priſtinúmque candorem reſtituēdum neceſſaria fuerint, proponendis, tractandis, diffiniendis, & exequendis, Sacrum Oecumenicum Concilium in Ciuitate Tridentina proſequendum indixerit, quo in loco multi iam Patres conuenêre, atque huic tam ſalubri, ac neceſſario negotio operam nauare minimè deſinunt. Nos pro ea, qua erga religionem Catholicam afficimur pietate, Sacroſanctum hunc Conuentum omni ſtudio, omníque fauore proſequi cupientes, vt pro virili noſtra vniuerſæ Reip. Chriſtianæ, & his præſertim populis, quibus regendis Diuina nos præpoſuit benignitas, in re tã neceſſaria prodeſſe valeamus, vt Principem decet Chriſtianum, noſtrum illuc Oratorem & Procuratorem tranſmittere decreuimus. Confiſi itaque de fide, legalitate, ſcientia, probitate, rerum experientia, aliíſque virtutum moribus, Reuerendiſsimi Conſiliarij noſtri chariſsimi Domini Marciantonij Bobbæ Epiſcopi Auguſtenſis, Eundem Epiſcopum Oratorem, & Procuratorem noſtrum elegimus, deputauimus, & fecimus, ac tenore præſentium ex certa noſtra ſcientia, motúque proprio, & citra aliorum per nos hactenus conſtitutorum Procuratorum reuocationem eligimus, deputamus, & facimus, eíque authoritatem & facultatem impartimur noſtro nomine, ſeſe dictæ Sanctæ Synodo præſentandi in Congregationibus, Seſsionibus, aliíſque in locis, vbi fuerit opportunum, interueniendi, ea, quæ Chriſtianæ Reipublicæ neceſſaria & vtilia fuerint, proponendi, Decretis & deffinitionibus aſsiſtendi, illáque & illas acceptandi, atque illorum, & illarum obſeruantiam promittendi, ac demùm omnia alia in præmiſsis, & circa tractandi, gerendi, negotiandi & concludendi, quæ nos, ſi prę̃ſentes eſſemus, tractare, gerere, negotiari & concludere poſſemus. Promittentes in verbo Principis, omnia & ſingula per D. Epiſcopum Oratorem & Procuratorem noſtrum, propoſita, tractata, concluſa, acceptata, & promiſſa, rata, grata, & firma habere, & tenere, eáque inuiolabiliter obſeruare: Renunciantes quibuſcũque Legibus Priuilegiis, & aliis omnibus, quibus contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum facere, vel venire poſſemus. In quorum fidem, has manu propria ſubſcripſimus. Datum Ripolis die prima Ianuarij, M. D. LXIII.

E. PHILIBERT.

ORA

ORATIO HABITA A R. D. EPISCOPO *Augustensi, Oratore Illustriss. D. Emmanuelis Philiberti, Ducis Sabaudiæ, in eius Comparitione.*

VELLEM, Illustrisimi & Reuerendisimi Patres, tantum mihi hodie daretur eloquentiæ, vt in hoc dignisimo Cõsessu, pro rei, de qua agitur grauitate, & pro eius, cuius nomine ad vos venio, Principis egregia in religionem Catholicam pietate, nonnulla breuiter explicare possem, non quòd existimem oratione quantumuis prolixa & elaborata, posse me quicquam, non dicam plenè cõplecti: sed ne summatim quidem per capita attingere: quod non à vobis, & acutisimè præuisum & diligentisimè examinatum fuerit. Sed quoniam rem vobis minimè ingratam, & fortasse non omnino inutilem me facturum puto, si quanti apud homines vestri fiant labores, quomodo vestra probentur consilia, quæ denique sit omnium de vobis expectatio, cursim exposuero: mox aliqua de glorioisisimo Principe Emmanuele Philiberto Sabaudiæ Duce subiecero, quæ licèt vobis sint notisima, ea tamen silentio prætereunda non esse duxi, quòd earum rerum, quæ maximè expetuntur, & prosunt, iucunda mirum in modum solet esse rememoratio. Illud itaque vos minimè latere scio, cùm superioribus annis seditio hęc pesima, Christianam Rempublicam inuasit, & modicis non contẽta finibus, longè latéque peruagaretur, eam bonorum omnium fuisse sententiam, Concilium cogendum esse, cuius authoritate salubris huic morbo medela adhiberetur, eóque non tantùm malè affectæ Prouinciæ purgarentur, sed ne alię polluerentur, quàm citisimè prouideretur. Id aliquando impetratum est, Conciliúmque hac in eadem Ciuitate agi cœptum: qua in re cùm à Patribus vigilantisimè insudaretur, renouato inter eos Principes bello, apud quos summa Christiani orbis & potestas, & authoritas erat, ab eo, re imperfecta, cessatum est, quæ cessatio, vt maximum bonis omnibus dolorem attulit, ita Catholicæ religioni grauiores peperit difficultates. Nam multi qui cùm Concilium perageretur, illius censuram horrescentes obmutuerunt, vt eo timore sese liberatos dimisis Patribus crediderunt, audaciores facti, quasi tempus, quo tacuerant recuperare volentes, non secus ac amnis intra claustra aliquãdiu conclusus, sublatis obiicibus, vehementius defluit, acrius venena sua diffundere, & contra receptas ab Eccle-

sia

sia sententias nouas asserere opiniones non destiterũt, donec omnibus perturbatis, Galliam ipsam Nobilissimam, atque eandem religiosissimam Prouinciam in hoc, quod videtis Patres, discrimen traxerunt. Sed quid dixi Galliam? imò verius vniuersum orbem: hac enim amissa, alias Prouincias diu in religione contineri non posse, summopere timendum est. Quare cùm res in maximam viderentur redactæ desolationem, Omnipotens Deus, qui nobis semper præstò est in tempore opportuno, pace inter Principes conciliata, huius instaurandi Concilij facultatem nobis restituit, quod diuina primùm bonitate, deinde Sanctissimi D. N. Pij IIII. prudentia, & incomparabili erga creditam sibi Ecclesiam charitate, singulari etiam Principum Christianorum voluntate, vestra præterea Patres, virtute & diligentia frequentissimum, & certè Reipublicæ Christianæ maximè necessarium conspicimus, quàm verò vtile futurum sit, res ipsa indicabit. Hoc tam celebri Conuentu omnium permoti animi, omnium excitata studia, omnium spes erectæ, omnes vos laudare, omnes vos admirari, quòd in tempore tam difficili domibus, opibus, amicis, propinquis, Ecclesiis vestris relictis, non frigora, non maria, non hostium gladios exhorruistis, quin vos huc religionis tuendæ, & pacis in Ecclesia Dei constituẽdæ gratia conferretis. Fingite vos Patres in amplissimo Theatro constitutos esse, & huius vestræ actionis omnes homines spectatores habere, summos, infimos, bonos, malos, pios, impios, sed non omnes eisdem oculis, eadémque mente vos intueri: non omnes eundem exitum huius negotij expectare. Alij enim, qui sibi soli sapere videntur, & de nobis pessimè sentiunt, nihil aliud in votis habent, quàm vt Conuentus hic, qui præter suam ipsorum opinionem celeberrimus euasit, discordibus sententiis dissoluatur, illud secum ratiocinantes (& meherculè summa cum ratione) nihil religioni Catholicæ perniciosius, nihil quod eorum malam causam magis adiuuet, euenire posse. Quare si quæ inter vos aliquando exoriuntur quæstiones, quæ longiori egeant tractatu, tum verò maximè exultant, vt hominum sunt ingenia, qui ea facillimè credunt, quæ vehementer cupiunt, has controuersias ad concordiam redigi minimè posse certissimè sibi persuadent, nihil minus, quàm Spiritum sanctum in nobis esse constanter affirmantes. Alij verò in vobis omnem spem repositam esse cognoscentes, qua si fallamur, omnia nobis mala timenda esse, tum precibus apud Deum contendunt, tum vos rogant obtestantúrque, ne communi & necessariæ causæ deesse velitis, in hoc cum aliis conuenientes, Concilij re infecta dimissionem grauissimas vniuerso orbi calamitates

tes allaturam, in cæteris ab illis omnino dissentientes, siquidem istis vestri conatus multo cum honore extolluntur, illis magna cũ detestatione deprimuntur. Isti disceptationes vestras veritatis indagandę studio adscribunt, illi occultandæ desiderio attribuunt: isti charitatis igne nos flagrare arbitrantur, illi cõtradictionis spiritu agitari calumniantur. Quid plura? boni benè omnia interpretantur, mali in malum omnia detorquent sensum. Quocirca, vt istis, Patres (quod vos prorsus velle certò scio) satisfactum eat, illud potissimùm à nobis expectari existimate, vt cùm aliqua quæstio discutienda proponetur, illud Cassianum semper præ oculis habeamus, cui bono? vt scilicet, si quid tractandum fuerit, quod ad disciplinam Ecclesiasticam temporum iniuria, & hominum vitio inclinatam subleuandam, quod ad hæreses extirpandas, quod ad pacem in Ecclesia Dei cõponendam pertineat, in hoc totis viribus insudemus, & quid agendum sit, sincerè explicemus: at si aliqua inciderint, quæ nobis magnum faceſſant negotium, rei verò, de qua nunc agitur, moras potius iniiciant, quàm adiumentum afferant, hæc prætereuntes, ad ea, quæ maximè profutura sunt, vnanimes descendamus. Duo sunt, quæ à nobis desiderantur, morum castitas, & puritas Doctrinæ: hæc si fideliter præstiterimus, breui nos summa bonorum omnium cum lætitia ab hoc negotio expediemus, quo nihil primo aspectu difficilius, at si rem interius consideremus, nihil explicatu facilius esse potest. Quid enim difficilius, quàm mores per tot secula deprauatos corrigere, & licentiosam multorum vitam duro seuerioris censuræ fræno cohibere? Quid difficilius, quàm in tanta opinionum varietate, ita vestras proferre sententias, vt benè sentientes confirmetis, malè autem opinantes à tenebris ad veritatis lucem reuocetis? Quid, inquam, hominibus difficilius, quàm Sacras aperire Scripturas, Sacra tractare mysteria, & quasi Dei consiliarij fuerimus, illius arcana, sensúsque scrutari & interpretari velle? Contrà quid facilius, quàm id agere, quod vt fiat, in tua positum est voluntate? Iure enim ea difficilia credimus, quæ nobis etiam maximè adnitentibus assequi minimè possumus: at huius nostri negotij ea est natura, vt quicquid velimus, id in Domino possimus, à quo sexcentæ nobis de hac re factæ sunt promissiones. Fidelis autem Deus est, & eas irritas fieri non patietur. Quid facilius, quàm ne cogitantes quidem ea loqui, quæ hominum prudentissimi summo studio, summa cura, summa diligentia, non solùm non intelligere, sed ne attingere quidem (nisi Deus adsit) vnquam potuerunt? At nobis, ne cogitemus quid loquamur, à Domino mandatum est, quem submi-

nistratorem verborum nostrorum habemus, quòd suam per nos, non nostram velit prædicari Doctrinam. Quid facilius, quàm veritatis interprete Spiritusancto, veras proferre diffinitiones? Ille nos docebit omnia. Ille nobis suggeret omnia. Nihil tam veritati contrarium est, quàm error, at vbi Spiritus sanctus adest, illinc, vt omnis error absit, necesse est: ergo ne falli quidem possumus, nisi Spiritui resistamus. Ille semper nobiscum est, hîc circumuolitat, is hæret parietibus, hîc in medio nostrûm manet, non tantum quidem, vt omnia compleat, sed singulari quodam modo nostros occupaturus sensus, quos si ei aperire voluerimus, profectò & corda nostra Sacris repleri mysteriis, & linguas nostras (ne cogitantibus quidem nobis) ad ea pronuncianda solui sentiemus, & magnalia Dei loquentes, ab omnibus summa cum admiratione audiemur. Reliquum est Patres, vt ad religiosissimum Principem Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem mea conuertatur Oratio, qua in re paucis me expediam: Neque enim in illustranda Sereniss imæ illius familiæ nobilitate, in Ditionis latitudine describenda, in rei militaris scientia laudanda, in clarissimis victoriis recensendis, denique in virtutibus, quibus fulget, innumeris connumerandis immorabor, tum quia is non est locus, tum etiam, quia ea vos ita cognita habetis, vt digitos vestros. Duo tantùm dicam, quæ rationi huius temporis maximè conueniunt, primùm nobis gaudendum esse, quòd Strenuissimus, non tam sua fortitudine antiquum Regnum sibi recuperauerit, quàm sua pietate in religione Catholica conseruauit. Si quidem eò processerat militum licentia, inuitis & repugnantibus iis, penes quos tunc erat administratio, vt multoties dubitatũ fuerit penitùs actum esse de Religione, quæ, quòd adhuc in illis partibus retineatur, id totum post Deum, Sabaudiæ Ducis virtuti acceptum ferre debemus. Alterum illud est, quod ab eo præcipuum mihi datum est in mandatis, vt suo nomine vobis profiteor, Vos in vestris Decretis obseruandis alacriorem, in exequendis promptiorem habituros neminẽ. Dixi.

RESP

RESPONSVM SANCTAE SYNODI

in admissione Oratoris Illustrissimi D. Ducis Sabaudiæ, datum in Generali Congregatione, Die vltima Ianuarij,

M. D. LXIII.

REVERENDISSIME Domine, ac Illustris Orator, Multæ sunt, & eæ quidem graues rationes, quę huius Oecumenicæ Synodi animum & voluntatem excitare debēt ad ea omni diligentia persequenda, & iuuante Domino, perficienda, quæ summa bonorum omnium approbatione instituit. Hoc enim Christianæ Reipublicæ afflicta sanè & misera conditio postulat, fidelis populus non solùm expectat, sed etiam flagitat, charitas suadet, & Sereniſsimi Domini nostri Pij IIII. Pontificis Maximi, summa authoritas suo iure expetere videtur. Veruntamen spes illa, quæ indies maior bene gerendæ rei ostenditur, ita eius studium commouit, vt sua sponte satis incitata nullius cohortatione indigeat. Nam, vt omittamus eius benignitate, in cuius manu corda sunt Regum, factum esse, vt præter omnium opinionem pax inter Christianos Principes constitueretur, sine qua, aut Generale Concilium cogi, aut de eo conuocando, ne cogitari quidem vllo modo poterat, cùm Sancta Synodus animo repetit, quæ deinde consequuta sunt, in maximam spem adducitur fore, vt Deus Sanctæ Ecclesiæ calamitates miseratus, laborum suorum exitum afferat, quem omnes optamus. Ac primùm quidem illud mirum videri debet, tantum breui temporis spatio ex remotis, & disiunctisimis locis Patrum concursum factū esse. Deinde posteaquàm de grauissimis rebus agi cœptum est, quàmuis in deliberando nonnullæ interdum, & variæ disputationes orirentur (quòd alia ratione veritas satis elucere non possit) tamen in decernendo summa inter omnes, & verè Christiana consensio nunquam defuit. Præterea in quo omnia ferè esse posita videntur, tanta Catholicorum Principum alacritas, tam propensa in orthodoxam fidem omnium voluntas, tanta animorum conspiratio tot honestisimis legationibus declarata est, vt hoc veluti certisimum constituendæ Ecclesiæ pignus à Deo immortali Sacrosancta Synodus habeat. At verò inter cæteros maximi nominis Principes, cuius se vel dignitate ornari, vel pietate, & opibus plurimum iuuari posse sibi persuadet, quanti facere debeat Emmanuelis Philiberti optimi, &

fortiſsimi Sabaudiæ Ducis clariſsimum nomen atque authoritatem multò notius eſt, quàm vt pluribus verbis demonſtrari oporteat. Vt autem multa paucis comprehendantur, ſatis illud argumento eſſe poterit, quòd Dux veſter nobiliſsimi generis ſplendorem, Ditionis amplitudinem, ſummam bellicæ artis, & cæterarum virtutum gloriam, ita cum veræ pietatis & Religionis ſtudio coniunxit, vt ſimul regnandi, & Catholicæ fidei defendendæ initium fecerit. Itaque Reuerendiſsime Domine, vel quòd eius Principis perſonam geris, in quo Sancta Synodus, multum præſidij poſitum eſſe iure optimo exiſtimat: vel quòd te iis virtutibus ornatum eſſe intelligit, quæ tam graui perſonæ & cauſæ maximè conueniunt, & ſumma lætitia venientem excepit, & ea modò loquentem, quæ à prudenti Viro, & pietatis ſtudioſiſsimo expectanda erant, libentiſsimè audiuit: atque in poſterum omnia beneuolentiæ & humanitatis officia, quæ nunc tibi prolixè pollicetur, re ipſa multò libentiùs præſtabit. Mandatum verò tuum, prout iuris eſt, benigno animo admittit.

COMP

COMPARITIO ILLVSTRISS. D. Comitis à Luna, Oratoris Philippi Regis Catholici, in generali Congregatione, Die XXI. Maij, M. D. LXIII.

Protestatio ipsius Comitis super præcedentia.

Responsum Oratoris Regis Gallorum, ad Protestationem.

Mandatum Regis Catholici. Oratio.

Responsum sanctæ Synodi.

PROTESTATIO FACTA AB ILLVstrißimo D. Comite de Luna, Oratore Philippi Regis Catholici, in eius prima Comparitione in generali Congregatione, Die XXI Maij. M. D. LXIII. super præcedentia, quam sibi deberi proximam Oratoribus Regis Romanorum, adserit.

ILlustrißimi & Reuerendißimi D. Sanctißimi Patres, Don Claudius Fernãdez, Vegil de Quignones Comes Lunæ, &c. Philippi Hispaniarum, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, &c. Regis Catholici, Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, Brabantiæ & Mediolan. &c. Comitis Habspurgi, Flandriæ & Tyrolis, &c. Ad hoc Sacrum Oecumenicum Tridentinum Concilium, Orator, &c. Et si mihi, vt tali Oratori, is & aliâs, & in hoc Consessu locus debetur, qui primus post Imperatoris Romani Oratorũ sedem est (quod ante omnia testificor & protestor) Verùm cùm hic locus, & ea causa, qua de agitur, tempúsq; etiam ipsum Reip. sit eiusmodi, vt humanis vllis contentionibus Sanctißimus hic diuinarũ rerum, & salutis publicæ petendæ cursus impediri minimè debeat: Cumque sit maximè consentaneum, vt qui adiuuandum, suscipiendum, præstãdum hoc communis causæ consiliũ adsint, ij primum ipsi diligentißimè curent, déntque operam, ne, quam à se afferant contentionis, discordię, secessionis vllis hominibus vel minimam causam.

Cùm hæc ita sint, quod ad locum sedémque attinet, accipio quod datur, eóque in præsentia, & quoad erit commodum, vtar: ita tamen, vt omnes intelligant velle me (id quod sedulò prædicò ac protestor) ne quod hæc mea moderatio & salutariũ huius sacri Oecumenici Conuentus deliberationum, à me habita ratio præiudicium vllum vlla ratione dignitati, Maiestati, iuri Principis mei Philippi Regis Catholici, posterísve eius afferat: néve attulisse videatur, quominus & hoc & alio quouis tempore, ac loco, quauis causa, ius id suum integrum eis saluúmque sit. Quas ob res ius id Domini mei Philippi Regis Catholici, posterorúmque eius nomine iustissimã, verissimámque intentionem omnibus vt Regibus, loco & honore omni præferatur: & ad has, & alias omnes causas omnia loca, tempora reseruatum esse volo, ac reseruo: vt semper ea iura, eámque intentionem & prosequi & tueri perinde possint, ac si hoc tempore & hoc loco debitus mihi, vt tali Oratori locus quem dixi, datus fuerit, iis omnibus, quæ à quouis hominum obiecta, huic meæ asseuerationi & protestationi aduersari videri poterunt, minimè obstantibus omninóque abnegatis. Quam meam protestationem, hoc libello comprehensam à vobis peto, Patres Sanctissimi, vt actis huius Sanctissimæ Synodi inseri, adscribíque faciatis: neque sine eius integro exemplo hodiernæ actionis huius monimenta circunferri, edíve cuiquam patiamini: mihique inprimis huiusce rei exemplum, testationémque publicis tabulis obsignatam à Reuerend. Secretario, Scribisque vestris iubeatis dari, Patres Reuerendissimi.

RESPONSVM ORATORVM CHRIstianissimi Regis, ad Protestationem Oratoris Regis Catholici, super præcedentia in Generali Congregatione, Die XXI. Maij, M. D. LXIII.

SI nos hodie in hac Sancta Synodo alio loco sederemus, quàm semper maiores nostri, & nouissimè in Concilio Constantiensi, & vltimo Lateranensi, qui primi post Imperatoris, & ante omnes cæterorum Regum Oratores sederunt: si etiam nouus hic locus, in quo nunc extra ordinem Oratorum sedere incipit Clariss. Catholicæ Maiestatis Orator Illustriss. Comes à Luna, posset nobis aut aliis Oratoribus esse

damno

damno. Vos certè Patres Sanctiſs. qui Eccleſiam vniuerſalem repreſentatis nobili veſtro officio,& maiorum exemplo nos omnes ad antiquum Ordinem reuocaretis, aut ſaltem denunciatione Euangelica nobiſcum ageretis. Cùm autem taceatis, neque etiam huic nouitati intercedant Clariſsimi Cæſar. Maieſtatis Oratores, quibus cum cauſa noſtra non poteſt non eſſe communis. Nos qui hodie in ordine Oratorum,& proximi Cæſar. Maieſtatis Oratori priſtinam poſſeſsionẽ Regi noſtro conſeruamus,fretique fide,amicitia,& affinitate Maximi & Potentiſsimi Philippi Regis Catholici in Carolum fratrem pupillum Regem Chriſtianiſs.poſtulamus tantùm à vobis, vt hodiernum dictum & factũ Illuſtriſs. Comitis à Luna ita interpretemini, ne quod inde præiudicium fieri poſsit antiquiſsimæ prærogatiuæ, & perpetuæ poſſeſsioni Regis Chriſtianiſsimi.Idque in acta veſtra referri iubeatis.

MANDATVM PHILIPPI REGIS *Catholici, exhibitum ab Illuſtriſsimo Domino Comite à Luna eius Oratore, in Generali Congregatione, Die* XXI. *Maij,* M. D. LXIII.

PHILIPPVS Dei gratia Rex Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgund. Braban. & Mediol. &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ,& Tyrolis,&c. Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium vniuerſis. Quòd cùm ſuperioribus diebus Sanctiſsimus in Chriſto Pater ac Dominus noſter D. Pius IIII. diuina prouidẽtia Sãctæ Romanæ,ac vniuerſalis Eccleſiæ Pont. Max. Concilium Oecumenicum, & vniuerſale Tridenti cœptum, & per aliquot annos ſuſpenſum, ibidem proſequendum indixerit ac conuocauerit. Nos volentes tam ſancto,vtili ac neceſſario operi,quãdo præſentes, vt cupiebamus, adeſſe non poteramus, per noſtros Oratores fauere, & aſsiſtere, Illuſtriſs. Marchioni Piſcariæ in mandatis dedimus, vt Oratoris noſtri munus in ea Sanctiſsima Synodo gereret, nominéque,ac vice noſtris omnia ea ageret & procuraret,quę ad proſecutionem ipſius Concilij & felicẽ eius progreſſum, vtilia, & neceſſaria fore exiſtimaret, noſtram operam,ſtudium,& fauorem Patribus in eo congregatis,non modò polliceretur: ſed re ipſa etiam præſtaret. Iſque munus hac in parte (vt de eius probitate, fide, & prudentia

confi

confidebamus) adimpleuerit. Verumtamen cùm eidem Sacro Concilio intereſſe, noſtriſq; rebus in Inſubria, cuius adminiſtrationi præeſt, vno & eodem tẽpore adeſſe non poſsit, ita vt cùm Tridẽto abſit, caulæ Dei deeſſe, cùm à Mediolano diſcedat, noſtris rebus non benè conſultum eſſe videatur, eum propterea Mediolani ſe continere iuſsimus, & in eius locũ alium Oratorẽ, qui in eodẽ ſacro Concilio Tridẽtino noſtro nomine compareat. noſtráſque partes agat ſufficere, & nominare decreuimus. Conſiderantes ergo ſingularẽ fidem, religionẽ, & ſtrenuũ animum, ac in rebus gerendis experientiã & dexteritatẽ Illuſt. fidelis nobis dilecti Don Claudij Fernandez de Quignones Comitis Lunæ Conſiliarij, & apud Cæſ. Maieſtatẽ Oratoris noſtri, eum ad ſacrũ Concilium Tridentinũ Oratorem, Nunciũ, & Procuratorem noſtrum (citra aliorum Procuratorum & Mandatariorum noſtrorum reuocationem) fecimus, conſtituimus & deputauimus, atq; harum ſerie facimus, conſtituimus & deputamus. Dantes ei inſolidum plenam facultatem, & poteſtatem, vnà cum amplo & libero mandato, vt in dicta ciuitate Tridentina, & loco in eadem celebrationi ſacri Concilij deputato, coram Reuerendiſs. in Chriſto Patribus S. R. E. Cardinalibus ac Beatiſs. Pontificis Legatis, nominatis, & deſtinatis, aliiſque Patribus ibidem congregatis noſtro nomine comparere, prædictæque celebrationi Concilij interuenire, eíque adeſſe & intereſſe, locúmque & vices noſtras in omnibus Seſsionibus, conſultationibus, deliberationibus, & actibus obtinere, atque alia omnia, & ſingula agere, facere, dicere, gerere, & tractare, procurare & promouere poſsit, & valeat, quæ ex vſu Reip. Chriſtianæ & dignitate noſtra fore videbũtur, quæq; nos ipſi facere, dicere, gerere, tractare poſſemus, ſi corã præſentes eſſemus, etiã ſi talia eſſent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quàm præſentibus eſt expreſſum. Habituri proinde gratum, & firmum, quicquid per dictum Oratorem, Procuratorem, & Mandatarium noſtrum præmiſſo modo actum, geſtum & procuratum fuerit, dolo & fraude remotis. Harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri impreſsione munitarum. Datæ in oppido noſtro Madriti, Die xx. Octobris, M. D. L x i i. Regnorum autem noſtrorum, videlicet citerioris Siciliæ, Anno nono: Hiſpaniarum verò & aliorum, ſeptimo.

PHILIPPVS.

GONSALVVS PEREZIVS.

PET

PETRI FONTIDONII SEGOVRENSIS

Doctoris Theologi Oratio, habita ad Patres in Sacro Concilio Tridentino, nomine Illustriß. viri D. Claudij Fernandez Quignonij, Comitis Lunensis Regis Catholici, Oratoris. Die XXI. *Maij,*

M. D. LXIII.

MIrabitur fortasse quispiam vestrûm Illustrisimi Legati, Sanctisimique Patres, Clarisimi Oratores, quid sit, quòd cùm in ipsis huius sacri Cõcilij primordiis, Philippus Rex Hispaniarum Catholicus, & Inuictisimus, Illustrisimum Marchionem Piscarium, lectisimum, & ornatisimum virum ad vos iam Legatũ miserit, qui aliis grauisimis suæ Maiestatis negotiis occupatus diutius hîc adesse non potuit: nunc tandem in ipso Concilij flexu, extremóque decursu eius etiam nomine, Claudius, hic, Quignonius Comes Lunensis, vir maiorum gloria, & maximarum ipse virtutum splendore clarisimus, euocatus ex Germanica legatione, qua apud Cæsarem fungebatur, denuo legatus Tridentum aduenerit: Sed cùm huius consilij causam rationémque cognouerit, nihil ab eo fieri consultius, nihil iis temporibus aptius excogitari, nihil vobis nunc Sanctisimi Patres gratius, nihil iucundius accidere potuisse iudicabit. Nam cùm post decimum octauum iam annum quo sacrum istud Concilium inceptum, temporum iniuriis intermissum, bellorum procellis iactatum, & inimicorum nostrorum insidiis sæpè disipatum fuisse videmus, Portum quem iam, veluti ex alto conspicitis, Grauisimi P. diuini spiritus aura fauente, breui, complicatis velis, sitis occupaturi, in quo & vos ex tam longa iactatione nauseáque recreati conquiescere, & afflicta Ecclesia Christiana, ope, & auxilio vestro, erepta, ex hoc miserrimo naufragio respirare, & placidiorem deinde feliciorémque sibi possit cursum polliceri: Cúmque decreta vestra Sanctisima, quæ suspensis omnium bonorum animis spectantur, in omnes Christianorum prouincias diffundi iam, atque dilatari debeant, quæ magnopere Regum præsidium, authoritatémque requirant, in tantis præsertim huius seculi infeliciisimi perturbationibus, quibus sic æstuat orbis Christianus, vt neque Conciliorum authoritates spectentur, neque leges audiantur, sed vis, furor, audacia, gladiique dominentur: cùm denique instet iam tempus illud, in

quò Reges & Principes Christianos, quos hactenus hîc per Legatos rerum, quæ à vobis gerebantur, testes, & spectatores habuistis: Nunc patronos, & defensores sitis habituri. Nunc inquam, nunc voluit Catholica Maiestas vobis per hunc ornatissimum virum renunciare, se paratum iam esse ad agendas illas partes, quas Martianus Imperator, qui Concilio interfuit Chalcedonensi, Imperatoribus & Regibus Christianis dixit esse sustinendas, vt veritatem per sacrum Concilium inuentam sic illi tuerentur, vt exorientibus illius causa tumultibus obuiam irent, & exortos seuera animaduersione coërcerent. Voluit significare, se libenter omne suum Imperium, quod sibi in primis ad Ecclesiæ salutem, ad conseruandam Religionem, ad tuendas vestras sanctissimas leges diuinitus sentit esse tributum, ad protegendum hoc sacrosanctum Concilium, & illius decreta esse collaturum. Voluit demum significare, se cupere vehementer hanc sanctam Synodum, quam Carolus Quintus Imperator Clarissimus eius pater primo nascentem fouit, aluit, prouexit, & vt adolesceret summo studio elaborauit, cuius causa bella difficillima & periculosissima suscepit: & quam nunc etiam religiosissimus, & inuictissimus Ferdinandus Imperator eius patruus, summa pietate, & studio resarciendæ religionis inflammatus, consilio, & opera sustentat, ipse etiam simul eam ad felicem exitum frugémque perducere. Nam ab illo die, quo Christianam Religionem simulque cum amplissimo Regno à paternis humeris in suos deuolutam inclinantémque prospexit, omnia sua consilia, studia, cogitationes ad eam instaurandam & reficiendam conferendas putauit. Et cum duo sint officiorum genera, quę à Principibus Christianis, iisce potissimum temporibus Ecclesia Christi suo iure possit exigere, Alterum vt cogendo celebrandoque Concilio, (quod vnicum semper fuit afflictis, & calamitosis illi rebus remedium) adessent, atque fauerent: Alterum, vt Prouincias sibi subditas in antiqua Religione, & obedientia Sedis Apostolicæ conseruarent: sic in vtroque præstando se gessit, vt si glorioſam illam Catholici Regis compellationem à maioribus hæreditario iure non accepisset, illam nunc iure optimo fuisset omnium iudicio amplissimam consecutus, acceptam verò posteris longè sit illustriorem traditurus. Etenim cum Pium IIII. sanctissimum, & piissimum Pontificem Maximum & persona, quam sustinet, & pietas incredibilis, & miserabilis Ecclesiæ ruina, & Christi gloria ad cogendum, & terminandum iam hoc tantum Concilium impulisset: nullum ille officium, quod à verè Catholico Principe sperari posset, prætermisit. Pastores Hispanos

(ipsum inquam Hispaniæ florem) quos hîc præsentes intuemini, è suis illico sedibus excitauit, & Tridentum misit, quorum studium in tuenda Religione, in instauranda veteri disciplina, grauitatem, sapientiam in dicenda sententia, in tuenda constantiam, in optanda Ecclesiæ salute, pietatem, in quærenda, diligentiam, fidem & industriam nobis tacentibus, vel hæc ipsa amplissima vestra subsellia testantur. Doctores prætereà omni literarum & virtutis genere præstantes, quorũ singularem eruditionem, quorum studium in inuestiganda veritate, in refellendis erroribus, vim, & acrimoniam, suggestũ etiam illud theologicum abundè vobis Sanctissimi Patres indicauit. Curauit preterea diligenter, ne quid detrimenti Concilium ab aduersariis, acciperet, ne quid Ecclesiæ hostes molirentur, & ne illorum insidiis, aut hostilibus armis hic vester cursus felicissimus impediretur, solicitè prouidit: suas omnes vires atque potentiam ad protegendum hunc locum pollicitus est, vt sine vllo metu, sed summa securitate Ecclesiæ saluti consuleretis. Quanta verò solicitudine, Prouincias, Regna, Nationes suo Imperio subiectas in officio continuerit, & conseruauerit, ne ab Ecclesiæ vnitate, & Romani Pontificis obedentia abducerentur, vel illud abundè magno est argumento, quòd in illis potissimum sinceram Religionem, & Apostolicæ Sedis obseruantiam florere videamus. Testis est in primis Hispania, in qua cùm tot haberet Philippus domestica exempla clarissimorum Regum, qui acerrimi Religionis assertores extiterunt, à quibus degenerare turpissimum, quorum virtutem imitari glorioſum duceret: Cùm in mentem reuocaret veterem illam Religionem, & antiquum iusiurandum, quod Decretis Toletani Concilij ab Hispaniæ Regibus exigebatur, ne aliquem non Catholicum in ea prouincia versari paterentur: Cùm aui Philippi, cum ataui Ferdinandi recordaretur, de cuius singulari in Religionẽ studio, nulla vnquam ætas, nulla posteritas conticesceret. Cùm Caroli V. Imp. maximi parentis sui viua recẽsq; memoria immortali dignissima ante illius oculos obuersaretur, memor antiquæ religionis, memor Hispanicæ gloriæ, memor patriæ auitæque virtutis: veritus ne Hispania in has tantas hæreticorum insidias incideret, ne communi hoc totius orbis naufragio religiosissima prouincia mergeretur, veritus denique, ne aliqua sua culpa, aut negligentia Hispania dehonestata & maiorum suorũ gloria obscurata videretur, tam solicitam curã, tam vigilans studiũ adhibuit, vt eius beneficio inter saucias, & furentes vicinas prouincias Hispaniã incolumẽ, & sanã habeamus,

tanto cæteris Regibus antiquis maiorem gloriam adeptus, quanto est glorioſius, nauem in magna aliqua tempeſtate, quàm in portu regere, & conſeruare, quanto eſt illuſtrius & magnificentius Hiſpaniã ex tam pernicioſo, tam funeſto, & tam vicino incendio & quaſi ex ipſis ſæpe hæreticorum vnguibus & faucibus eripuiſſe. Etenim cùm noſset illud hæreſum vafrum, & callidum ingenium, quæ inſidias amant, quæ latere cupiunt, quæ occultis meandris & cuniculis irrepunt in hominum mentes, omnia tam ſolicitè circunſpexit, vt non modo vtcunque tectos & occultos hæreticos, ſed ipſam hæreſim in ipſis animorum venis meduliſque latentem detexerit, morbum ipſum tacitè graſſantem, tam diligenter inquiſierit, tam ſapienter aperuerit, tam opportunè ſanauerit: vt ſi vlli mortalium, illi potiſsimum, ſecundum Deum tanquam aſſertori religionis, acceptam Hiſpaniæ ſalutem referre debeamus. Quoties obſecro ille hæreſim per vtráſque Pyrenæorum montium fauces ex vicinis Prouinciis in Hiſpaniam irruere conantem propulſauit? Quoties illam ſe tacitè inſinuantem, & obſcurè ſerpentem, è tenebris in lucem, è latebris in hominum conſpectum extraxit, & ſublatis nefariæ coniurationis ducibus extinxit? Quoties illam ad *extremos Indos nauigare cupientem* repreſsit? Nulla vnquam hæreſis Sanctiſsimi Patres, tanto exarſit ſtudio ſe propagandi, ſicuti hæc, quæ miſerè nunc affligit Eccleſiam, quæ non contenta iis Europæ Regionibus, quas omnes fermè crudeliter vulnerauit, neque in terra flammas, neque in mari naufragia, non hominum gladios, neque diuinam iram perhorreſcens, emenſo vaſtiſsimo pelago in Occidentalem Indiam commigrare cupiebat, vt illic in ipſis Indorum animis primò naſcentis, & pullulantis Religionis ipſas radices inficeret: Et in illam latiſsimam Regionem, in quam Rex Catholicus Ferdinandus Hiſpanorum ſigna, CHRISTI nomen illis gentibus inauditum, & puriſsimam caſtiſsimámque Religionem Chriſtianam primus inuexit, ipſa furias & Erinnes aſportaret ad illius pacem tranquillitatémque turbandam. Et niſi illius nefariæ cupiditati interceptis ſæpe libris & ſceleratis Sathanæ miniſtris comprehenſis, obuiam iſſet Philippus, niſi ab illo curſu, quo in Indiæ perniciem properabat, ab illa improba ſpe conatúque depulſa fuiſſet, haud dubiè iam in Indiam cum ingenti illius orbis periculo, & acerbiſsimo Eccleſiæ dolore penetraſſet. Cùm magnum præterea Hiſpaniæ periculum ab hæreticorum libris imminere conſpiceret, omnes maritimas oras, quæ mediterraneo mari & Oceano abluuntur, diligenti cuſtodia muniuit, vt nullus aditus huiuſmodi libris, aut ſceleratis

ratis ministris patere potuisset. Quòd si contingeret aliquando (vt est insidiosa hæresis) vt latebram aliquam (qua sese insinuaret) inueniret: omnibus in locis & in omnibus oppidis industrios,& oculatos homines collocauit, qui omnia odorarentur,& subolfacerent,omnia curiosis oculis rimarentur, vt obsessa iis firmissimis præsidiis, hæresis contra religionem se commouere non posset, quin quamprimum emersisset,comprimeretur. Sic ergo Dei in primis optimi maximi clementia,& huius clarissimi,& verè Catholici Principis industria,viget in Hispania religio, fides, & doctrinæ puritas, sic floret antiqua disciplina,sic sancta illa,& minimè curiosa,sed verè Christiana prudénsque simplicitas in Hispanorum animis conseruatur, Vt mihi quidem, quoties afflicta Mater Ecclesia,reliquas Prouincias,erroribus æstuantes,à quibus se pulsam lamentatur,ægro & consternato animo lustrat, cùm deinde luctu, mœroréque confecta, oculos lacrymis manantes, in Hispaniam conuertit,quam sibi iactatæ portum dulcissimum,& sacram anchoram, quam afflictæ solatium, quam miseræ perfugium, quam denique exuli & calamitosæ vnicam aram ad quam confugiat, intuetur, suas omnes miserias illius suauissimo conspectu consolari videatur. Vtinam, vtinam Sanctissimi P.hanc Catholici Regis seueritatem, in coërcendis iis hominibus nouarum rerum cupidis, Principes omnes, & Respublicæ Christianæ fuissent imitatæ. Vos vtique hac celebrandi Concilij solicitudine, & Ecclesiam iis tantis erumnis & calamitatibus liberassent. Neque verò hoc ardens instaurandæ religionis Catholicæ Maiestatis studium, Indiæ solùm Hispaniæque regionibus terminatum est, sed in aliis etiam Christianis Prouinciis emicuit. Testis est Anglia celeberrima insula, qua cùm hac hæresum peste non infectam modo, sed perditam propè atque desperatam doleret: Mariam Angliæ Reginam lectissimam,& religiosissimam fœminam non alio nomine duxit vxorem, quàm vt si fieri potuisset collapsam ibi religionem erigeret,& tantum illud in Ecclesiæ fortunis, ab Henrico Rege excitatum incendium extingueret: Quod tanto animi ardore, tanta contentione, tam certa spe, aggressus est, vt breui tempore, vniuersam insulam, ad Ecclesiæ sinum, vnde abstracta fuerat, adduxerit, & vt publicè Iulio III. Pont. Maxi. obedientiam restitueret, vt in Sathanæ ministros animaduerteret, & vt Ecclesiæ Romanæ leges & instituta sequeretur, impetrauerit: & nisi immatura mors, Regina sublata, hanc tantam Angliæ felicitatem inuidisset, aut nisi potius diuina bonitas,illorum hominum crudelitate,& sceleribus offensa, vt de illis supplicium acerbissimũ sumeret, fœminam

sanctissimam, & religiosissimam vnicum eius gentis remedium illis eripuisset, haud dubiè eam insulam, si non prorsus sanam, non tamen ita vulneratam & sauciam haberetis. Testis est Flandria, quæ cùm nonnihil sordium istarum gentium commercio & consuetudine contraxisset, nisi illius saluti opportunè fuisset diligentérque consultum, eodem fuisset iam cum reliquis Prouinciis funere sublata. Testis est Mediolanum, Neapolis, Sicilia, cæteræque Insulæ, Regna, Prouinciæ, Nationes, quotquot eius latissimo continentur imperio, quibus antiqua religio summo Catholicæ Maiestatis studio, consilio, & industria conseruatur. Testis est demum, nunc etiam vicina Gallia, in qua cum videret hæreses in apertum furorem prorupisse, arma contra Regem Christianissimum & contra religionem arripuisse: nonnullos Angliæ & aliquarum prouinciarum Germaniæ Principes ad illa etiam infelicia & sacrilega arma solicitasse, omnia iam turbasse, omnia commouisse, incendiis omnia, & cædibus funestasse, miserorum Gallorum sanguine ipsa templa cruentasse, flumina infecisse, odium suum, crudelitatem, & rabiem saturasse, ea denique immanitatis exempla in amicos, in fratres, in parentes, in patriam & in Ecclesiam ædidisse, quæ silicem dolore frangere, quæ ab ipsis rupibus & saxis commiserationem & lachrymas extorquere potuissent, ne ruēti in Gallia religioni, ne Christianissimo & amicissimo Regi, ne clarissimo Regno deesse in tanto discrimine videretur, contra tantam vim sceleris, audaciæ, & proditionis eorum hominum, qui prætextu religionis Regi suo & infanti, & pupillo nefarium bellum intulerunt, suas omnes vires, potentiam, opes, se denique ipsum cum magno exercitu ad propulsandam illam insignem iniuriam, obtulit Christianissimo, & sibi charissimo Regi: ille verò, qui iam exercitum numerosum contra ciues contumaces & perfidos proditores, comparauerat, & ad id bellum clarissimis Galliæ Ducibus vtebatur, exiguis Hispanorum, & Germanorum auxiliaribus copiis contentus, Deo auspice, ita fœliciter cum aduersariis pugnauit, vt parta clarissima victoria, quam acerrimis illis religionis propugnatoribus præstantissimisque Ducibus Catholici adepti sunt, fracti hostium conatus, & afflictis Gallorum rebus, signum quoddam salutis sublatum fuisse videretur. Etenim si penes aduersarios extitisset illa victoria, nullus erat, qui non de religione, & de Catholicis omnibus actum in Gallia esse iudicaret. Memini vos Sanctissimi P. exhilaratos illo lætissimo nuncio & in maximam spem erectos, eo die decretis supplicationibus, ad agendas Deo Opti. Maxi. gratias pro tam singulari beneficio in Diui

Vigilij

Vigilij templum lætis animis conueniſſe. Neque enim vllus dies lætior Galliæ, aut felicior illuxit illo, quo illas teterrimas furias omnia populãtes in acie concidiſſe conſpexit: Nullúmque tunc ex vobis extitiſſe, qui diuinam miſericordiam agnoſcens non exclamarit, O diuina bonitas, ó ſumma clementia, & miſericordia ſummi Dei, qui licet hæc mala in Eccleſia Chriſti ob noſtra ſcelera exoriri patiaris, non tamen illa diutius ad noſtram pernicié & tuam contumeliam domina ri permittis: Neque enim ſine diuino conſilio accidiſſe, tunc omnes arbitrabantur Sanctiſsimi P. vt illi tam perditi religionis hoſtes & regni proditores ex occultis illis, & perniciosis inſidiis, in apertum latrocinium coniicerentur, vt debitas aliquando tantis ſceleribus pœnas ſuſtinerent, & vt illa ferox, audax, cruenta, & ſuperba hæreſis, quæ erecta ceruice, euaginato gladio, ardentibus oculis, furorem & crudelitatem ſpirans: tot populorum ſtrages, Vrbium euerſiones, templorum ruinas, cædes miſerabiles ædebat, interitum denique Gal liæ, & extremam perniciem minabatur, fracta tunc, atque debilitata iaceret, & ingemiſceret, & Eccleſia illa Gallicana, quę quondam inter ſummas Chriſtianæ religionis delitias, ob eius pietatem incredibilem habebatur, & tunc toto corpore ſaucia, & animo conſternata iacebat, oculos illos, quos lachrymis præ dolore madidos, præ pudore in terram defixos habebat, ad aſpiciendam lucem attolleret. Hæc ſunt Sanctiſs. Patres Catholici Regis in Chriſtianã religionem officia, quę non ſolùm in ſuorum Regnorum finibus, ſed in aliis etiam Prouinciis atque Nationibus verſantur. Quæ quidem ego omnia, vt omnibus nota, & explorata, ſilentio libenter præteriiſſem, niſi, non tam ego, huius tanti Principis laudes, quàm veſtrum, & afflictæ Eccleſiæ ſolatium, ſpectaſſem, quod in tantis ærumnis & calamitatibus huius Clariſsimi Regis, & rerum ab illo geſtarum commemoratione capere debuiſſet. Neque verò illud prætermittendum exiſtimo, quod ad ſummam eius laudem, & totius Chriſtiani orbis vtilitatem arbitror pertinere, quod cùm grauiter, & iniquo animo ferret religionem non terra modò, ſed mari etiam ab hoſtibus infeſtari, quod infinitis ſit prędonibus refertum, à quibus non ſolùm oræ maritimæ omnes, miſerè crudelitérque vexentur: ſed quod eſt omnium longè miſerrimum, Chriſtiani innumerabiles captiui abducantur, qui (quod ſine lachrymis & dolore commemorari non poteſt) partim blanditiis allecti, partim miſera, & longa ſeruitute fracti, partim metu, víque tormentorum coacti, ad deſerendam (proh dolor) Chriſtianam religionem impellantur. Cùm nullæ prætereà maritimæ ciuitates, nulli portus,

nullæ

nullæ oræ, nulli abditi, & sepositi sinus tuti satis, atque securi sint. Cùm nulla Nauis, nulla Triremis oram, per hosce annos è portu soluat, quæ non interitum, aut seruitutem pertimescat, vt aut hyeme, cum fluctibus, aut vere, cum pyratis sit predonibúsque pugnandum: classem parat numerosam, qua clausa vobis maria patefaciat, qua pyratis expurget, qua securam reddat nauigationem, qua denique Christianam religionem terra marique tueatur. Et tamen in hoc tam vasto curarum Oceano, cùm spem omnem Ecclesiæ sitam in vobis nunc, & collocatam, è vestris Sanctissimis Decretis potissimum pendere videat, nunquam ab hoc Sacro Concilio remouet oculos, sed vt Regem vigilantem, & religiosum decet, omnia circumspicit, consilia atque conatus hostium diligenter obseruat, ne vllis technis, aut prauis hæreticorum consiliis disipetur, quo sublato, simul etiam spem omnem salutis Ecclesię sublatam, & ereptam intuetur. Militum si sit necesse, firmissima hîc præsidia collocaret, & si ad tuendum hunc locum sacrosanctum, & Concilij libertatem fuisset opus, iam hîc ipse armatus adesset, & nunc absens corpore, præsens animo inter hæc subsellia, & vestra latera, mente saltem, & cogitatione versatur, & se iam ad tuendas vestras sanctissimas leges, paratum esse denunciat. Atque hoc est primum huius legationis caput, & eius rei gratia, hic vir Illustrissimus Legatus aduenit, quem cùm intuemini, Philippum vos religiosissimum & potentissimum Regem intueri, atque hîc præsentem adesse existimate. Quis ergo iam erit, qui non istius legationis, iustissimam hãc & optimam esse causam arbitretur? Quid enim vobis optatius Sãctiss. Patres euenire potuisset, quàm tam piũ, tã religiosum, tam Catholicũ, & tam potẽtem Regẽ pro dignitate vestra, & Ecclesiæ salute contra sacrilegam hæreticorum audaciam, pietate, & ferro, magnitudine animi, atque potentia armatũ videre? Quis non videat Deo Opt. Max. gratias immortales agendas esse, quòd eius diuina bonitate in tanta Catholici Regis potẽtia, tam incorrupta fides, pietas, religio, tam ardens instaurandæ religionis studium, his præsertim calamitosis temporibus conseruatur? Sed venio iam ad alterum huius legationis caput explicandum, in quo quid nunc Catholica Maiestas à vobis Patres Sanctissimi postulet, quid optet, quid expectet, breuiter aperiemus: quanquam neminem esse arbitror, qui cùm ea, quæ pro tuenda religione ab illo gesta sunt, in memoriam reuocauerit, non eius nunc sanctissimum votum deprehendat. Duo etenim sunt, quæ à vobis præstari Ecclesiæ Christi hoc tempore vehementer exoptat: Alterum, vt ad reficiendas miseras illius ruinas, ad colligendas & confirmandas

mandas has exiguas reliquias diſsipatæ religionis, omni ſtudio (ſicuti vos facere intelligit) incumbatis. Alterum verò, vt non prius de diſceſſu ex hoc loco cogitetis, quàm rem omnium ſeculorum grauiſsimam, difficillimam, & maximè neceſſariam ſæpè cœptam, & infeliciter intermiſſam perficiatis. Neque enim vlla magis lætalis, & mortifera plaga infligi poteſt Eccleſiæ, quàm ſi hac vnica & extrema iam ſpe deſtituatur: non tam atrox, exitiale vulnus, hoſtium crudelitate petita, quàm diſceſſu veſtro deſerta atque deſtituta ſuſcipiet. Iam verò in gerendis rebus illam quam hactenus retinuiſtis conſuetudinem magnoperè probauit, & conſeruari cupit, vt doctrinæ ſimul atque morum vulnera curentur. Et licèt non defuerint, qui vos prorſus à doctrina ad ſanandos mores traducere conarentur, minimè tamen illam prætermittendam prudenter iudicaſtis. Cùm ſit præſertim maioris ponderis, atque momenti, cùm illa ſemper fuerit conſuetudo veterum Conciliorum, cùm maius periculum ex conuulſa Euangelica veritate, quàm ex deprauatis quórundam moribus Eccleſiæ comparetur. Sed illud in primis ſummis votis exoptat, Eccleſiæ Maieſtatem vobis (vt par eſt) Sanctiſsimi Patres eſſe chariſsimam, & illorum piam fortaſſe magis quàm circumſpectam ſententiam diligenter à vobis examinandam & expendendam arbitratur, qui multa nunc Chriſtianæ religionis hoſtibus à vobis putant eſſe permittenda, vt Indulgentia victi ad Eccleſiæ ſinum reuertantur. Qui vos id præſtandum, & ad hanc, quam putant miſericordiam, vel ea ratione conantur impellere, quòd Parentes ſitis, qui filiorum pereuntium ſaluti indulgentia paterna proſpicere: Paſtores, qui abactas oues, ſummo ſtudio, & charitate conquiſitas, ad Eccleſiæ caulas reuocare: Pientiſsimi medici, qui non acerbam aliquam (neque enim illam tempora patiuntur) ſed blandam, & exulceratis animis aptā medelam adhibere debeatis. Fuiſſe iam dicunt quondam ſecula quædam, quæ virgas ferreas, & ſecures pati potuiſſent: Nunc verò in tanta temporum & animorum acerbitate, nonnulla eſſe hominum ſi non improbitati, imbecillitati ſaltem, à vobis condonanda. Ita vt in curandis his morbis, temperum potiùs quàm rerum rationem habuiſſe, pietatem, quàm ſeueritatem, ſummam clementiam, quàm ſummum ius ſecuti fuiſſe videamini, atque hanc vnicam eſſe viam conciliandæ pacis arbitrantur. Pia ſanè, & à ſincero Chriſtianóque pectore profecta, neque à vobis ſanctiſſimi Patres repudianda ſententia, ſi hac ratione concordiæ, & vnitatis conciliandæ certa ſpes eluceret: Sed quæ obſecro ſpes pacis cum illis eſſe poteſt, qui infinitis aliis erroribus, ita pertinaciter adhæſerūt,

vt facilius à vita, quàm ab illis depellantur? Quæ pacis certa conditio cum illis, in quibus incredibilis crudelitas, & nulla iam fides reperitur? Cum iis qui non ipsi se ad Ecclesiam venire: sed Ecclesiam ad se adducere, & suis cupiditatibus subiicere conantur? Cum iis, qui illis rebus, quas vehementer expetunt, vel hoc vno nomine, quòd à Concilio concedantur, se minimè vsuros esse profitentur, si non concedantur nihil curent? Quæ ista erit humanitas, pietas, aut clementia? Non est vobis certamen Sanctissimi Patres, cùm iis hominibus, quos vllum beneficium, vlla pietas, quos vlla iam possit flectere misericordia. Vtinam sic illi vestram authoritatem agnoscerent, vtinã sic essent in sacrum istud Concilium animati, vt si quid à vobis nunc in illorum gratiam decerneretur, optimè secum & clemẽter actum esse putarẽt. Sed quis sibi persuadere potest, eos vestram clementiam requirere, à quibus authoritas vestra negligatur? Crudelis esset hæc sanè misericordia, quę in nullum eorum emolumentum, & in maximum fortasse Ecclesiæ dedecus redundaret. Quæ ea semper vsa est grauitate atque constantia, vt multa suis hostibus, quæ honestè concedi potuissent, ad infringendam illorum pertinaciam sæpissime denegauerit, non est ne cesse exempla referre, vos ipsi recordamini. Vestrum igitur erit nunc Sanctissimi Patres, sic illorum saluti Ecclesiæque maiestati consulere, vt omnia ex huius potius dignitate, quàm ex illorum libidine geri videantur. Illud denique ad extremum non modò Rex Catholicus, sed vniuersus Christianus orbis à vobis ardentibus, & suspensis animis optat, & expectat, vt infructuosis quæstionibus (quæ nullum Ecclesiæ commodum, aduersariis verò maximum scandalum parere possunt) omissis, omnium Christianorum ordinum vulnera sanare studeatis, vt omnia illa Christianæ Reipublicæ vitia, quæ Deo stomachum mouerunt, & ad sumendum hoc de nobis supplicium acerbissimum prouocarunt, ab Ecclesia Christi repellatis, vt in ipsos malorum fontes, vnde hæc, quæ modò patimur, promanarunt, coniectis oculis, & ea quæ diuinos oculos offenderunt, quæ hostium animos à vobis alienarunt, & quæ tacitas etiam vulnerant filiorum cogitationes, è medio tollantur, vt ipsæ denique malorũ radices extirpentur, quæ licet sine aliquorum dolore euelli non possunt, patienter ab illis & æquo animo ferendum est, si Ecclesiam salutem esse cupiunt: sæpè etenim membra vruntur, & resecantur, vt vnius hominis salus & vita conseruetur, eò iam miseriarum ventum est, vt (quod Medici desperata ægri salute facere consueuerunt) extrema iam remedia Sanctissimi Patres, experiri debeatis: hoc à vobis ipsa petit Ecclesia, hoc temporum conditio

requirit

requirit, hoc omnes clamant, hoc Principes, Reges, Respublicæ, Populi, Prouinciæ, Nationes, hoc filij, & hostes, Catholici, & hæretici postulant, hoc ipsi iam lapides saxáque loquuntur; hoc tot incendia, cædes, ruinæ, hoc tot martyrum, qui passim pro Christo trucidantur, effusus sanguis, & luctuosæ voces, hoc denique hic tantus, quem vel hîc vos audire arbitror, ruentium Ecclesiarum fragor efflagitat: Quæ quidem mala omnia, cùm præ se ferant iram, indignationémque diuinam, errant, qui sibi vllam salutis spem, nisi placato Deo pollicentur, quo irato, frustrà labores omnes suscipiuntur, inanes sunt omnes illi conatus, qui diuina misericordia destituũtur, & spes fallaces, quæ non vnica placati Dei clementia bonitatéque nituntur. Si Deum placare cupitis, omnem ab illius Ecclesia turpitudinem, & sordes remouete: si lætale vulnus hostibus infligere vultis, medelam prius nostris vulneribus adhibete. Sauciam Ecclesiam in vestris manibus habetis, cuius vulnera explicare non est necesse, quæ & vos probè nostis, & quæ Legati, ex omnibus Prouinciis non modò vobis aperuerunt, sed totum illius corpus saucium vulneratúmque nudarunt: Illam nunc vos solos intuentem, vestram fidem implorantem, supplicem, & obsecrantem videtis, ne sc. miseram & ægram, sine spe salutis à vestris genibus repellatis, non hominum modò, sed angelorum etiam ipsorum oculos in vos conuersos atque defixos videtis: sanctissimos Apostolos, quorum vices geritis, Pastoréque illos beatissimos, qui florentem Ecclesiam, & hæreticorum spoliis ornatam vobis reliquerunt, & nudam nunc, & spoliatam intuentur, testes hîc, & spectatores habetis. Christum denique ipsum, non modò rerum quæ à vobis geruntur, sed cogitationum etiam inspectorem, quem Ecclesiæ sponsæ, suæ causa, omni honore & vnica (quam solam habuit) tunica spoliatum & obiectum acerbissimis iniuriis, & crudelissimæ morti, recordamini. Cauete igitur per Deum immortalem, Sanctissimi Patres ne Christus, Ecclesia, Angeli, Apostoli, totus orbis Christianus, præsens seculum, & ipsa etiam posteritas, ad quam hæc pestis non compressa premanabit, iure de vobis queri possit aliquando. Erunt etenim futuris temporibus multi, cùm ex historiis huius miserrimi seculi, calamitates, & Ecclesiæ ruinas collegerint, cùm occurrendi iis malis gratia, hoc tantum Concilium, tanta Patrum frequentia, tam opportuno loco atque tempore, tanto Regum & Principum Christianorum præsidio coactum celebratúmque cognouerint. Si (quod Deus auertat) nihil vos adiumenti Ecclesiæ rebus attulisse. sed (re infecta) discessisse viderint, in quem obsecro existimatis, huius mali culpam illos esse

deriuaturos? Vobis planè quibus tanta affuerit ſanandæ Eccleſiæ facultas, voluntatem defuiſſe, mirabuntur illi quidem & ſtupeſcent. Efficite ergo Sanctiſsimi Patres, vt & iis Iudicibus, & populi nunc Chriſtiani votis, & tantæ totius orbis expectationi ſatisfactum à vobis fuiſſe videatur. Hoc eſt, quod Catholica Maieſtas vehementer exoptat, in quo ſi omne ſuum Imperium, dignitas, ſalus, & vita eſſent periclitanda, libenter hæc omnia ad Eccleſię ſalutem incolumitatémque conferret. Huius rei gratia, hanc inſtituit legationem, & hunc Illuſtriſsimum virum, cuius ſingularis prudentia, moderatio animi, fides, religio, probitas, in magnis & arduis rebus ſibi cognita ſatis, & perſpecta eſt, cuius maiores bello, & pace clariſsimi, & de Hiſpaniæ Regibus, de Republica Chriſtiana, & de religione benemeriti ſemper extiterunt, qui has omnes hæreſibus infectas Prouincias peragrauit, qui hæreticorum conſilia, intimos ſenſus conatúſque perſpexit, qui eſt ſuæ Maieſtati chariſsimus, ob magnas excellentéſque virtutes, qui denique digniſsimus viſus eſt, qui tanti Principis perſonam tantam ſuſtineret. Hunc inquam ad vos ſuæ in hanc ſanctam Synodum voluntatis & obſeruantiæ, in religionem ſtudij, in Eccleſiæ ſalutem, animi teſtem obſidem mittit, qui ſuum iſtum vobis animum patefaciat, qui polliceatur ſe curaturum, ne leges à vobis ad inſtaurandam religionem conditæ, violentur, ne decreta ab hoſtibus conuellantur: ſed vt hæreſis, veſtris ſententiis iugulata, à ſe penitùs in omnibus ſuis regnis atque Prouinciis extinguatur, vt pax veſtra ſapientia parta, ſua potentia conſeruetur, vt denique ſumma in primis miſericordia Clementiſsimi Dei, veſtris deinde Sanctiſsimis Decretis & ſuis armis, Eccleſiam (quod futurum ſperat) priſtinæ dignitati & ſplendori reſtitutam, lætam, florentem atque beatam in Chriſti Optimi Maximi gloriam & laudem videamus.

Dixi.

RESP

RESPONSVM SANCTAE SYNODI

in admissione Illustris D. Comitis à Luna Oratoris Sereniss. Philippi Regis Catholici, datum in Generali Congregatione, Die X XI. Maij,

M D. LXIII.

MAGNO in dolore Illustris Orator, quem in communibus miseriis capimus, non mediocrē nobis consolationem attulit tua ista eximiæ Sereniſsimi ac potentiſsimi Philippi Regis Catholici in Christianam Religionem, atque in hanc sanctam Synodum pietatis acstudij commemoratio: Non eam quidem ob causam, quòd ignotus nobis antea fuerit tam pij, tāque de Christiana Rep. benemeriti Principis animus: sed quòd ea, quę sigillatim superioribus tēporibus animaduerteramus copioſiſsimè nūc explicata, atque ante oculos posita vno aspectu omnia conspeximus. Atque illud in primis gratum nobis, atque iucundū accidit, & maximā nostris animis alacritatē addidit, quòd sua Rex studia omnia, suas vires (quæ quantæsint, non ignoramus) ad ea quæ sanxerimus, tuenda, atque defendenda se collaturum tanto animi ardore pollicetur. Quod idem Pientiſsimum, atque Inuictiſsimum Cæsarem, alióſque Christiani nominis Reges, ac Principes facturos cùm exploratum nobis sit, quibusdam quasi stimulis incitamur, vt accuratè operam demus, vtî actiones nostræ, tot ac tantorum Principum studiis cumulatè respondeant. Atque id nos quidem, & sponte nostra, & Sanctiſsimi Domini nostri cohortatione iam diu facimus: Nihil enim aliud ex quo die huc acceſsimus, meditamur, neque in alia cura, atque cogitatione versamur, quàm vt & in morum, atque Eccleſiasticæ disciplinæ emendatione, & in doctrinæ Catholicæ explicatione, nostras partes diligenter exequamur: sicque omnibus in rebus tueamur cum pietatis moderatione iustitiam, vt publicæ vtilitati maximè consulatur, atque ad optatum tandem exitum hanc Sanctam Synodum perducamus. Id quod à Deo immortali petere quotidie summis precibus non desistimus: & cùm à bonis omnibus, tum à Pontifice ipso Maximo summoperè desiderari intelligimus. Quamobrem cùm prior Orationis tuæ pars, quæ Catholicæ Maiestatis egregia facta, propensámque in Dei Ecclesiam voluntatem, atque ingentia merita complectebatur, nos mirum in modum delectarit: posterior etiam, quæ de labenti, ac propè cadenti Christiana Republica fulcienda, atque in pristinum

(quoad eius fieri posit) dignitatem reuocanda, præclara multa continebat: ea, vt mirificè cum nostris sensibus atque consiliis cõueniebat, ita grata nobis admodum fuit. Nunc (quod huius temporis est) quantas maximas possumus, Regi ipsi gratias & agimus, & habemus, tum pro singulari eius, ac perpetuo in Catholicam fidem studio, à qua glorioſum illum titulum sibi à Maioribus suis relictum, præclarè tuetur: tum pro recenti ac tam piæ in Sancta Synodum voluntatis profeſsione: tum verò etiã quòd te potiſsimũ, Illustris Orator, ex magno clariſs. atq; ornatiſs. virorũ numero delegerit, quem post Illustrẽ Marchionẽ Piscariæ, ad nos huc mitteret. Cuius præsentia, non mediocre communi huic causæ & adiumentum, & ornamentum afferret. Neque enim ignoramus quanta prudentia, moderatione animi, probitate, religione, & maximarum rerum tractatione excellas. Quare sancta hæc Synodus lætiſsimis te oculis atque libentiſsimis animis, & intuetur, & excipit. Ac mandatum tuum, prout iuris est, libenter admittit.

LITERAE ILLVSTRISSIMI DOMINI *Cosmi Floren. & Senarum Ducis, exhibitæ à Reuerendiſs. Domino Episcopo Cortonen. eius Oratore, in Generali Congregatione, Die* XXIIII. *Iulij*, M. D. LXIII.

ILluſtriſsimi, Reuerendiſsimi, & Ampliſsimi Patres, Domini Obſeruandiſsimi, Hieronymũ hunc Gaddium Episcopum Cortonen. non minus nobilitate natalium, literarum peritia, morum grauitate, rerúmque gerendarum ſolertia, quàm ordine Pontificio, ac Religione præclarum ad Amplitudines Veſtras, ac Sacroſanctam iſtam vniuerſalem Synodum, alterum iam Oratorẽ legaui, proſequendi officij causa ipſis affuturum: atque iis, quæ ad diuinæ Maieſtatis gloriam, rectæ fidei cultum, atque Sacræ Romanæ Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ reuerentiam, noſtræ item perpetuæ voluntatis, & in ampliſsimum ordinem iſtum obſequij promptitudinẽ pertinent, explicandis, partes noſtras acturum. Sicut autem quæ ſui muneris fuerint, probè ipſum atque ex animi mei ſententia impleturum ſpero: viciſsim quoque ſtudioſè peto, eáſque impenſius rogo, vt comiter illum ac benignè excipiant, & (quæ illarum eſt humanitas) audiant patienter: ipſíque in omnibus

nibus coram explicandis & tractandis, indubitatam fidem non secùs ac mihimetipsi habere velint: ac sibi persuadeant, nihil mihi antiquius, nihil optabilius fore, quodque studiosius ac vehementius curaturus sim, quàm vt dignitatis & existimationis earum vbique gentium ratio & honorifica in primis mentio habeatur: vtpote quæ maximè Christiani orbis afflictæ Reipublicæ misereantur, congruámque tandem corporis huius vulneribus ac scissuris medelam adhibere conentur. Quas Omnipotens Deus, qui eas ad id munus, & ministerium obeundum, curandúmque assumpsit, seruet incolumes. Florentiæ Nonis Iulij, M. D. LXIII.

Earundem DD. VV. deditiß.

COS. MED. FLOREN. ET SEN. DVX.

A TERGO.

Illustrißimis & Reuerendißimis Dominis Obseruandiß. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Præsidentibus, & Patribus in Sacro Tridentino Concilio congregatis.

MANDATVM ILLVSTRISSIMI D. *Cosmi Florentiæ & Senarum Ducis, exhibitum à Reuerendiß. Domino Episcopo Cortonensi eius Oratore, Die* XXIIII. *Iunij,* M. D. LXIII.

COSMVS Medices Dei gratia, Florentiæ, Senarúmque Dux Illust. &c. Vniuersis has patētes literas inspecturis, salutem, & synceræ dilectionis affectum. Sanè iam inde ab administratione quam gerimus, diuino fauore susceptа, officij nostri esse cognoscimus, more, institutóque maiorum, Sanctæ Cathólicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ (cuius fidem, pietatémque profitemur) vestigiis atque obsequiis studiosè ac reuerenter insistere, atque eò feruentius, quò grauiorum negotiorum, curarúmque solicitudo & pondus incumbit, vt in præsenti conuulsæ Religionis, morúmque lapsorum discrimine imminere comperimus. Quapropter vt nostri perpetuò similes, eiusdémque voluntatis ipsi quoque pro virili nostra pio huic muneri adesse videremur, Reuerendum

dum virum nobis dilectiſsimum,Hieronymum Gaddium, Præſulem Cortonen.fide,probitate, atque eruditione præclarum, ipſiſq; rerum experimentis probatum, ad Sacroſanctam Tridentinam Synodum, Deo authore, ac Sanctiſs. Domino noſtro ſummo Pontifice pientiſs. congregatã,deſtinauimus cum mandatis, eundémque itẽ Nuncium, Procuratorémque harum patentium literarum ſerie deputamus: vt noſtro ſcilicet nomine,noſtráque poſsit authoritate,quoties oportuerit,Illuſtriſs. Reuerendiſsimiſque Sedis Apoſtolicæ Legatis,ampliſsimorúmque Patrum Sacroſancto Concilio,ipſorúmque cuilibet adeſſe,atque in Seſsionibus, Congregationibus, & extra, & in omnibus tam celebri negotio,quomodolibet opportunis & expedientibus,aſsiſtere,inſeruire,proſequi,& obſequi. Cùm Cæſareæ quoque Maieſtatis,& Sereniſsim.Regum,ac ſublimium Principum Legatis, Nunciis, negotiorúmve geſtoribus,& eorum quilibet,quoties expedierit,& ipſi Hieronymo Procuratori placuerit,ea,quæ Sanctiſsimæ Trinitatis, ac Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriam, cultúmque, ac ſanctæ matris Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ fidem,vnitatem,auctoritatem, puritatémque reſpiciunt,profiteri,promouere,ſuadere,agnoſcere & acceptare:cæteráque ad hæc pertinentia gerere,tractare & explicare, etiam ſi nominatim nuncupanda, & ſpecialiori nota cenſenda eſſent, plena videlicet, & libera ipſi poteſtate per nos attributa. Cuius acta, geſta,tractata,& explicata, quæcunque fuerint, bona fide, rata nos & grata perpetuo iure, atque optimo recipimus & profitemur. Datum Florentiæ, Anno M. D. LXIII. Indictione ſexta, Nonis Iuliis.

COS. MED. FLOREN. ET SEN. DVX.

VIDIT LAELIVS.

LITE

LITERARVM, MANDATORVMQVE Principum,& Orationum eorundem,necnon Concilij ad eas Reſponſionum Index.

M. D. LXII.

COMPARITIO *Oratorum Ferdinandi Romanorum Imperatoris Electi,pro Imperio,Regno Bohemiæ,& Archiducatu Auſtriæ,& pro Regno Hungariæ ſeparatim.pagina* 185

Mandatum Inuictiſsimi Ferdinandi, tanquam Imper.Electi, & Regis Bohemiæ, & Archiducis Auſtriæ in perſonam ſuorum Oratorum: exhibitum in Seßione ſecunda Tridentina,ſub Pio Papa IIII. ibidem

Reſponſum Sanctæ Synodi ad Oratores Cæſareos,in eorum Comparitione,die 6.Febr. 1562.& in Seſsione ſecunda, 26.Febr. 287

Literæ Ferdinandi Imper. Electi, quibus conſtituit Oratorem in Concilio, vti Rex Hungariæ:exhibitæ in generali Congregatione die 6. Feb. 288

Mandatum Ferdinandi Imp.Electi,in perſonam ſui Oratoris,pro Regno Hungariæ, exhibitum die 24. Februarij 1562. in Congregatione generali, & in Seſsione ſecunda die 26.dicti menſis. 189

Oratio Georgij Draſcouitij Epiſcopi Quinqueccleſienſis Legati Ferdinãdi Imp.pro Regno Hungariæ:habita in Congregatione generali 24.Febr.1562. 190

Reſponſum Sanctæ Synodi in ſecunda Comparitione Epiſcopi Quinqueccleſienſis, Oratoris Ferdinandi Imper.pro Regno Hungariæ die 24.Feb.1562.& in Seſsione ſecunda 26.eiuſdem menſis. 194

COMPARITIO *Oratoris Sebaſtiani Portug.Regis,die 9.Feb.1562.* 195

Literæ eiuſdem ad Concilium,exhibitæ in Congregatione generali, 9.Feb.1562. Et poſtea in Seſsione ſecunda,die 26.Febr. ibid.

Mandatum eiuſdem,exhibitum in dicta Congregatione & Seſsione. 196

Oratio eiuſdem nomine, habita 9.Febr.1562. 198

Reſponſum Synodi ad eam 9.Feb.1562.& vigeſimoſexto Februarij,in ſecunda Seſsione. 202

COMPARITIO *Oratoris Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, 16. Martij 1562.* 203

Mandatum eiuſdem, exhibitum die 16.Martij 1562. & in Seſsione tertia, die 14. Maij. ibid.

Oratio Galeatij Brugoræ, habita nomine Marchionis Piſcarij Philippi Regis Legati,16.Martij 1562. 205

Reſponſum Sanctæ Synodi ad eam 16. Martij 1562. & Seſsione tertia, die 14. Maij. 208

COMPARITIO Oratoris Cosmi Ducis Florentiæ & Senarum, die decimasexta Martij, 1562. 209
Literæ eiusdem Ducis ad Concilium, exhibitæ die 16. Martij 1562. ibid.
Mandatum eiusdem exhibitum Sessione tertia, die 14. Maij 1562. 210
Oratio Ioannis Strozij, eiusdem Ducis Oratoris, die 18. Martij 1562. 211
Responsum Sanctæ Synodi ad eam, in Congregatione generali, 16. Martij 1562. & in Sessione tertia, die 14. Maij. 215
COMPARITIO Oratorum Reip. Venetorum, die 25. April. 1562. 216
Literæ eiusdem ad Concilium, exhibitæ in Generali Congregatione 25. April. 1562. & Sessione tertia, die 14. Maij. ibid.
Mandatum eiusdem, exhibitum Sessione tertia, die 14. Maij 1562. 217
Responsum Sanctæ Synodi, in admissione Oratorum Venetorum, die 14. Maij. 218
COMPARITIO Oratorum septem Cantonum Heluetiorum Catholicorum, Sessione quarta, die 4. Iunij 1562. 221
Literæ eorundem Cantonum, exhibitæ dicta Sessione. ibid.
Mandatum eorundem Cantonum, exhibitum quarta Sessione suprascripta. 222
Mandatum Prælatorum & Cleri dictorum Cantonum, exhibitum dicta Sessione. 224
Oratio Adamantij, habita nomine Oratoris, dictorum Cantonum in Comparitione, die 20. Martij 1562. 227
Responsum Sanctæ Synodi ad eam, dicta 20. Martij 1562. 230
COMPARITIO Oratorum Alberti Bauariæ Ducis, die 27. Iunij 1562. 231
Literæ eiusdem Ducis Alberti, exhibitæ in generali Congregatione, dicta die 27. Iunij 1562. ibid.
Oratio Legati eiusdem Ducis, dicta Congregatione habita. 232
Responsum Sanctæ Synodi ad eam, dicta Congregatione. 242
COMPARITIO Oratorum Caroli Gallorum Regis Christianissimi, 26. Maij in Congregatione generali 1562. 243
Literæ eiusdem ad Concilium, exhibitæ dicta Congregatione, & posteà Sessione quarta, die 4. Iunij 1562. ibid.
Oratio Guidonis Fabri, eiusdem Regis Legati, habita in dicta Congregatione. 245
Responsum Sanctæ Synodi ad eam, Sessione quarta, die 4. Iunij 1562. 253
LITERAE R. D. Marcianonij, Cardinalis Amulij, ad Legatos S. Concilij: super professione fidei Patriarchæ Assyriorum Orientalium. 256
Professio Fidei R. D. Abd, Isu Patriarchæ Assyriorum Orientalium. 258
Fides publica de eiusdem Professione Fidei. 259
COMPARITIO Oratoris Sigismundi Augusti Regis Poloniæ 23. Octobris 1562. 261

Literæ

Literæ eiusdem exhibitæ in generali Congregatione, 23. octobris 1562. ibid.
Oratio Valentini Episcopi Præmisliensis, eiusdem Regis Legati, in generali Congregatione, die 23. octobris 1562. 262
Responsum Sanctæ Synodi, ad eam, in dicta Congregatione. 265
LITERAE *Caroli Christianissimi Regis Francorum, exhibitæ ab Illustrissi. & Reuerend. Principe D. Carolo Cardinale à Lotharingia, in generali Congregatione, die 23. Nouembris 1562.* 266
Oratio Illustriss. & Reuerendiss. D. Caroli Cardinalis à Lotharingia, in dicta Congregatione. 268
Oratio altera, habita à D. Renaldo Ferrerio, Oratore Caroli Galliarum Regis Christianissimi, in dicta generali congregatione. 272
Responsum Sanctæ Synodi, ad Orationes Illustriss. Cardinalis à Lotharingia, ac aliorum Regis Christianissimi Oratorum, in generali congregatione, die 23. Nouembris 1562. 274

M. D. LXIII.

COMPARITIO *Oratoris Emmanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis, in generali congregatione, die vltima Ianuarij 1563.* 276
Literæ eiusdem Ducis ad Concilium, exhibitæ dicta congregatione. ibid.
Mandatum eiusdem Ducis exhibitum, dicta congregatione. 277
Oratio Episcopi Augustensis eiusdem Ducis Legati, in dicta congregatione. 279
Responsum Sanctæ Synodi ad eam, in dicta congregatione. 283
COMPARITIO *Comitis à Luna Oratoris Philippi Regis Catholici in generali congregatione, 21. Maij 1564.* 285
Protestatio eiusdem Comitis, in eadem congregatione, super præcedentia, quam sibi nomine Philippi Regis sui, proximã Oratoribus Regis Romanorum deberi, contendit. ibid.
Responsum Oratorum Caroli Gallorum Regis ad eam Protestationem, eadem congregatione. 286
Mandatum Philippi Regis Catholici, in personam eiusdem Comitis, exhibitum in eadem congregatione. 287
Oratio Petri Fontidonij, habita nomine dicti Comitis 21. Maij 1563. 289
Responsum Sanctæ Synodi ad eam, in dicta congregatione. 301
COMPARITIO *Episcopi Cortonensis, noui Oratoris Cosmi Ducis Florentiæ & Senarum in generali congregatione, 24. Iulij 1563.* 302
Literæ eiusdem Ducis, exhibitæ in dicta congregatione. ibid.
Mandatum eiusdem Ducis, exhibitum in dicta congregatione. 303

BVLLA S.D.N.D. PII DIVINA PROVIdentia Papæ quarti, super Confirmatione Oecumenici Generalis Concilij Tridentini.

PIVS Episcopus Seruus seruorum Dei, Ad perpetuam Rei Memoriam.

Benedictus Deus,& pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum,& Deus totius consolationis, qui respicere dignatus Ecclesiam suam sanctam, tot procellis & tempestatibus agitatam atque vexatam,& grauius indies laborantem, apto tandem ei subuenit optatóque remedio, ad plurimas,& pernicioſiſsimas hæreſes extirpandas, ad corrigendos mores,& restituendam Ecclesiasticam disciplinam: ad pacem,& concordiam Christiani populi procurandam. Indictum iampridem in Ciuitatem Tridentinam Oecumenicum,& generale Concilium à piæ memoriæ Paulo III. prædecessore nostro,& sessionibus aliquot habitis cœptum fuerat:ab eius autē successore Iulio in eandem vrbem reuocatum,post alias sessiones celebratas,variis impedimentis,& difficultatibus obiectis, ne tum quidem peragi potuerat. Itaque diutius intermissum fuerat, non sine maximo mœrore piorum omnium,cùm quotidie magis Ecclesia eiusmodi remedium imploraret. Nos autem post susceptum Sedis Apostolicæ regimen, tam necessarium, ac salutare opus (sicut Pastoralis solicitudo monebat) diuinæ misericordiæ fiducia perficere aggressi, adiuti pio studio chariſsimi in Christo filij nostri Ferdinandi Romanorum Imperatoris Electi,& aliorum Christianorum Regum,Rerumpublicarum ac Principum:tandem consecuti sumus, quod nec diurnis, nec nocturnis curis elaborare destitimus, quódq; à Patre luminum assiduè precati sumus.Cùm enim eam in vrbem vndique ex Christiani nominis nationibus conueniſſet nostris conuocata literis,& sua etiam ipsorum pietate excitata, Episcoporum,& aliorum insignium Prælatorum maxima,& Oecumenico Concilio digna frequentia, præter plurimos alios pios,& Sacrarum literarum scientia, diuinique & humani Iuris cognitione præstantes viros, præsidētibus ipsi Synodo Sedis Apostolicæ Legatis, nobis adeò Concilij libertati fauentibus, vt etiam de rebus Sedi Apostolicæ propriè reseruatis, liberum ipsi Concilio arbitrium, per literas ad Legatos nostros scriptas, vltrò permiserimus: quæ de Sacramentis,& aliis

rebus

rebus,quæ quidem neceſſariæ viſæ ſint, tractãda,diffinięda,& ſtatuenda reſtabant,ad confutandas hæreſes,ad tollendos abuſus, & emẽdandos mores à ſacroſancta Synodo ſumma libertate diligentiáque tractata, & accuratè, ac maturè admodũ diffinita, explicata, ſtatuta ſunt. Quibus rebus perfectis, Concilium tanta omnium, qui illi interfuerunt,concordia peractum fuit, vt conſenſum eum planè à Domino effectum fuiſſe conſtiterit: idque in noſtris atque omnium oculis valde mirabile fuerit.Pro quo tam ſingulari Dei munere ſupplicationes ſtatim in Alma hac Vrbe indiximus, quæ magna Cleri & populi pietate celebratæ fuerunt, laudéſque & gratias diuinæ maieſtati meritò perſoluendas curauimus, cùm eiuſmodi Concilij exitus ſpem magnam, & propè certam attulerit,fore, vt maiores indies fructus ad Eccleſiam ex ipſius decretis conſtitutionibúſque proueniant. Cùm autem ipſa ſancta Synodus pro ſua erga Sedẽ Apoſtolicam reuerentia, antiquorum etiam Conciliorum veſtigiis inhærens,decretorum ſuorum omnium,quæ noſtro, & prædeceſſorum noſtrorum tempore facta ſunt, confirmationem à nobis petierit, decreto de ea re in publica Seſsione facto. Nos ex Legatorum literis prius,deinde poſt reditum eorum,ex iis quæ Synodi nomine diligenter retulerunt, poſtulatione ipſius Synodi cognita,habita ſuper hac re,cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione matura,ſanctique Spiritus imprimis auxilio inuocato, cùm ea decreta omnia Catholica,& populo Chriſtiano vtilia,ac ſalutaria eſſe cognouiſſemus ad Dei omnipotentis laudem:de eorundem fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu,in Conſiſtorio noſtro ſecreto, illa omnia, & ſingula authoritate Apoſtolica hodie cònfirmauimus, & ab omnibus Chriſti fidelibus ſuſcipienda,ac ſeruanda eſſe decreuimus, ſicut harum quoque literarum tenore,ad clariorem omnium notitiam,confirmamus,& ſuſcipi, obſeruaríque decernimus. Mandamus autem in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis à ſacris Canonibus conſtitutis, aliiſque grauioribus, etiam priuationis, arbitrio noſtro infligendis, vniuerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis,& aliis quibuſuis Eccleſiarum Prælatis,cuiuſcunque ſtatus gradus, ordinis, & dignitatis ſint, etiam ſi Cardinalatus honore præfulgeant: vt eadem decreta,& ſtatuta in Eccleſiis ſuis, Ciuitatibus & Diœceſibus,in iudicio & extra iudicium,diligenter obſeruẽt, & à ſubditis quiſque ſuis, ad quos quomodolibet pertinent, inuiolabiliter faciant obſeruari,contradictores quoſlibet,& contumaces per ſentẽtias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas,etiam in ipſis decretis contentas, ap-

pellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam, ſi opus fuerit, Brachij ſecularis auxilio. Ipſum verò chariſsimum filiũ noſtrum Imperatorem electũ, cæteróſque Reges, Reſpublicas, ac Principes Chriſtianos monemus, & per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti obteſtamur: vt qua pietate, Concilio per Oratores ſuos affuerunt, eadem pietate, ac pari ſtudio diuini honoris, & populorũ ſuorum ſalutis cauſa, pro Sedis quoque Apoſtolicæ, & ſacræ Synodi reuerẽtia, ad eiuſdem Concilij exequenda, & obſeruanda decreta, Prælatis, cùm opus fuerit, auxilio & fauore ſuo adſint: neque aduerſantes ſanæ, ac ſalutari Concilij doctrinæ opiniones à populis ditionis ſuæ recipi permittant, ſed eas penitus interdicant. Ad vitandum præterea peruerſionem, & confuſionẽ quæ oriri poſſet, ſi vnicuique liceret prout ei líberet, in decreta Concilij commentarios & interpretationes ſuas edere: Apoſtolica authoritate inhibemus omnibus, tam Eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcunque ſint ordinis, cõditionis & gradus, quàm Laicis quocũq; honore ac poteſtate præditis, Prælatisquidẽ ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, aliis verò quicunq; fuerint, ſub excõmunicationis latę ſententiæ pœnis: ne quis ſine authoritate noſtra audeat vllos commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, vllúmve omnino interpretationis genus ſuper ipſius Concilij decretis quocunque modo edere, aut quicquam quocunque nomine, etiam ſub prætextu maioris decretorũ corroborationis aut executionis, alióve quæſito colore, ſtatuere. Si cui verò in eis aliquid obſcurius dictum, & ſtatutũ fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione, aut deciſione aliqua egere viſum fuerit: aſcẽdat ad locum quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apoſtolicã omnium fidelium magiſtrã, cuius authoritatẽ eiam ipſa ſancta Synodus, tam reuerenter agnouit. Nos enim difficultates, & cõtrouerſias, ſi quæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas & decidẽdas (quemadmodũ ipſa quoque ſancta Synodus decreuit) reſeruamus, parati, ſicut ea de nobis meritò confiſa eſt, omnium prouinciarum neceſsitatibus, ea ratione quæ commodior nobis viſa fuerit, prouidere. Decernentes nihilominus irritũ, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Vt hæc autem ad omnium notitiam perueniant, néve quis excuſatione ignorationis vti poſsit: Volumus & mandamus, vt hæ literæ per aliquos curiæ noſtræ Curſores in Baſilica Vaticana principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranẽſi, tunc cùm in eis populus, vt Miſſarum ſolennibus interſit, congregari ſolet, palàm & clara voce recitentur, & poſtquàm recitatæ fuerint, ad valuas earum Eccleſiarum, itémque Cancellariæ Apoſtolicæ

licæ,& in loco ſolito Campi Floræ affigantur:ibiq́ue, vt legi, & omnibus innoteſcere poſsint,aliquantiſper relinquantur. Cùm autem inde amouebuntur,relictis de more ibidem exemplis,in Alma Vrbe ad impreſsionem tradantur, quò commodius per Chriſtiani nominis Prouincias,& Regna diuulgari poſsint. Tranſumptis quoque earum,quæ manu alicuius publici Notarij ſcripta ſubſcriptáve, & ſigillo, ac ſubſcriptione alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint,fidem ſine vlladubitatione haberi,mãdamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã noſtræ confirmationis,monitionis,inhibitionis,reſeruationis,voluntatis mandatorum & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit,indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ,apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ M. D. LXIII. Septimo Kal. Februarij. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

† Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

† *Ego F.Car. Piſanus Epiſ.Oſtien.Decanus.*
† *Ego Fed.Car.Cæſius Epiſcopus Portuen.*
† *Ego Ioan.Card Moronus Epiſco.Tuſculan.*
† *Ego A.Car.Farneſius Vicecan. Epiſ.Sab.*
†
†
† *Ego R.Car.S.Angeli Maior pœniten.*
†
†
†
† *Ego Io.Card. S. Vitalis.*
† *Ego Io. Michael Card. Saracenus.*
†
† *Ego Io.B.Cicada Card.S.Clem.ſſ.*
† *Ego Scipio Card.Piſarum.*
† *Ego Io. Card.Reomanus.*
† *Ego F.M.G.Card.Alexandrinus.*
† *Ego Clemens Card. Aracæli.*
† *Ego Ia.Card.Sabellus.*
†

†
† *Ego B.Cardinalis Saluiatus.*
† *Ego Ph.Card.Aburd.*
† *Ego Lud.Card.Simoneta.*
†
†
† *Ego F.Card.Pacieccus,y de to.*
† *Ego M.A. Card. Amulius.*
† *Ego Io.Franc Card. de Gambara.*
† *Ego Carolus Card. Borromeus.*
† *Ego M.S. Card.Conſt.*
† *Ego Alph.Card Geſualdus.*
† *Ego Hip.Card.Ferrar.*
† *Ego Franciſcus Card.Gonzaga.*
†
† *Ego Gui.Aſc. Diac. card.Cam.*
† *Ego Vitellotius Card. Vitellius.*
†
†
†

H. CVMYN.

CATA

CATALOGVS LEGATORVM, PATRVM, *Oratorum, & Theologorum omnium, qui ad Sacrosanctam Oecumenicam Tridentinam Synodum conuenerunt: Quorum Nomina, Cognomina, Patriæ, & Dignitates, hic simul explicantur.*

CARDINALES LEGATI ET PRAESIDENTES.

† HERCVLES Gonzaga S. R. E. Presb. Cardinalis tituli sanctæ Mariæ nouæ Mãtuanus, obiit Tridenti, die secunda Martij 1563. & sepultus Mantuæ.

† Hieronymus Seripandus S. R. E. Presb. Card. tituli sanctæ Susannæ Neapolitanus, obiit Tridenti, die 17. Martij 1563. & ibi sepultus in Ecclesia sancti Marci ordinis fratrum Eremitarũ sancti Augustini, quorum olim fuerat Generalis.

Ioannes Moronus S. Romanæ Ecclesiæ Card. Episcopus Prænestinus, Mediolanensis in demortui Card. de Mantua locum missus.

Stanislaus Hosius S. R. E. Presb. Card. tituli sancti Laurentij in Palisperna Polonus Vvarmiensis.

Ludouicus Simoneta sanctæ R. E. Presb. Card. tituli sancti Cyriaci in Thermis, Mediolanensis.

Marcus Siticus sanctæ R. E. Diaconus Card. Basilicæ duodecim Apostolorum de Altaemps Germanus.

Bernardus Nauagerius sanctæ R. E. Presb. Card. tituli sancti Nicolai inter Imagines Venetus, in demortui, Cardinalis Seripandi locum missus.

CARDINALES NON LEGATI.

Carolus à Lotharingia S. R. E. Presb. Card. tituli sancti Apollinaris. Princeps, & Archiepiscopus Rhemensis, Lotharingus.

Ludouicus Madrucius sanctæ R. E. Diaconus Card. electus Episcopus Tridentinus, Germanus.

ORA

ORATORES, QVORVM NOMINA HIC *describuntur iuxta eorum aduentum in Ciuitatem Tridentinam.*

GEORGIVS Drascouitius Croattus, Orator Cæsar. pro Regno Hungariæ, Episcopus Quinqueclesien.

Antonius de Muglitio Morauus, Orator Cæs. Archiepiscopus Pragensis.

Ferdinandus Martineus Mazcarenius Orator Sereniss. Regis Portugalliæ.

Andreas Duditius Sbardelatus Episco. Cænadiensis Orator pro Prælatis & Clero Hungariæ.

Sigismundus à Tunn. Orator Cæsareus.

Franciscus Ferdinandus de Aualos Marchio Piscariæ Orator Regis Catholici.

Ioannes Strozzius Florentin. Orator excellentiss. Ducis Florentiæ, & Senarum.

Melchior Lusi eques auratus, Orator septem cantonum, Heluetiorum.

Augustinus Paungartner I.V.D. de Monachio, Orator Illustrissimi Alber. Ducis Bauariæ.

Nicolaus de Ponte, doctor & eques. } Oratores D. Venetorum.
Et Matthæus Dandulus eques. }

Ludouicus de Lansac, }
Renaldus Ferrerius Præsidens in Parlamento Parisien. } Oratores Christianissimi Regis Galliarum.
Et Guido Faber Iudex maior Tolosæ. }

Valentinus Herbutus, Polonus Episc. Præmislienſis. Orator Sereniss. Regis Poloniæ.

Marcus Antonius Bobba Casalensis Episc. Augusten. in Pedemontio Orator Sereniss. Ducis Sabaudiæ.

Claudius Fernandez quignonij Comes Lunensis Orator Regis Catholici.

Hieronymus de Gaddis Florẽtinus Episcopus Cortonen. Orator excellentiss. Ducis Florentiæ missus in locum Ioannis Strozzij.

Frater Martinus Roias Portalrubeus Orator Illustrissimi ac Reuerendissimi D. Magni magistri, ac totius ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, eiusdem ordinis Procancellarius.

PATRIARCHÆ.

Antonius Hæliis Iustinopolitan. Hierosolymitanus.
Daniel Barbarus Venetus Aquilegiensis.
Ioannes Triuisanus Venetus Venetiarum.

ARCHIEPISC. PAVLI III.

Ferdinandus Annius Neapolitanus Archiepiscopus nunc Episcopus Amalphitanus.
Petrus Landus Venetus Archiepiscopus Bouinus.
Petrus Antonius de Capua. Neap. Archiep. Cretensis.
Marcus Cornelius Venetus electus Archiep. Hidrontin.
Sebastianus Leccauella Græcus ordi. præ. olim Archiepisc. nunc Episc. Spalatren.
Petrus Guerrero Hispanus Archiepisc. Naxiensis
Antonius Altouitus Florentinus Archiepisc. Literarensis.
† Cæsar Cibo Genuensis, obiit Tridenti, Die 26. Decemb. 1562. Archiepisc. Granaten.
Paulus Aemilius Verallus Romanus olim Archiepiscopus nunc Episcopus Florentinus.
Taurinen.
Rossanēs.
Caputaquensis.

ARCHIEPISC. IVLII III.

Ioannes Brunus de Olchinio Macedo. Regni Seruię primas Archiepiscopus Antibarensis.
Ioannes Baptista Castaneus Romanus Archiep. Rossanen.
Ioannes Baptista Vrsinus Romanus Archiep. Sanctæ Seuerinæ.

ARCHIEPISC. PAVLI IIII.

Ludouicus Beccatellus Bononiensis Archiep. Ragusinus.
Mutius Callinus Brixien. Archiep. Iadrensis.
Sigismundus Saracenus Neapolitan. Archiep. Materanus.
Antonius Parrages de Castilegio Hisp. Archiep. Calaritanus.
Iulius Pauesius Brixien. ord. præd. Archiep. Surrentinus.
Bartholomæus de Martyribus Lusitanus. ordi. præd. Archiepiscopus Braccaren.
Augustinus Seluago Genuen. ord. præd. Episc. Genuen.

ARCHIEPISC. PII IIII.

Philippus Mocenicus Venetus Regni Cypri primas, & legatus natus Archiepiscopus Nicosien.

Guliel

Gulielmus de Auaſon Gallus Archiepiſc. Ebredunenſis.
Antonius Cauchus Venetus Archiepiſc. Corcirenſis.
Germanicus Bondinus Senen. electus Archiep. Senarum.
Marcus Antonius Columna Romanus Archiep. Tarentinus.
Gaſpar de Foſſo Coſentinus ordin. Sancti Franciſci de Paula Archiepiſcopus. Reginus.
Antonius de Muglitio Morauus Ora. Cæſ. Archi. Pragen.
Maximus de Maximis Romanus Archiepiſc. Amalphitanus.
Gaſpar Ceruantes de Gaeta Hiſpanus Archiep. Meſſanenſis.
Leonardus Marinus Genuen. ord. præ. Archiep. Lancianenſis.
Octauianus Præconius Meſſanenſis ord. Mino. Conuentalium ſancti Franciſci Archiepiſc. Panormitanus.
Nicolaus de Peluc Gallus Archiepiſc. Senonenſis.
Antonius Iuſtinianus Chienſis ordinis Prædicatorum Archiepiſcopus. Naxienſis.
Antonius Puteus Nicien. Archiepiſc. Barenſis.

EPISC. LEONIS X.

Vincentius Nicoſantius de Fano Epiſc. Arbenſis.
Ioannes Franciſcus de Fliſco Ianuen. Epiſc. Andrienſis.
Ioan. Thomas de Sancto Fælicio Neapol. Epiſc. Cauenſis ſenior.

EPISC. ADRIANI VI.

Quintius de Ruſticis Romanus Epiſcopus Milleten.

EPISC. CLEMENTIS VII.

Lucas Bizanthius de Catharo Epiſc. Catharen.
Aloyſius Piſanus Venetus Epiſc. Patauinus.
Alexander Piccolhominus Senen. Epiſc. Pientin.
Dionyſius Græcus ordi. minorum ſancti Franciſci de obſeruan. Epiſcopus Milopotan. ſenior.
Gabriel le Veneur Gallus Epiſc. Ebroicenſis.
Gulielmus de Montbas Gallus Epiſc. Lectorenſis.

EPISCO. PAVLI III.

Antonius à Camera Sabaudus Epiſc. Belliçenſis.
Nicolaus Maria Caracciolus Neapol. Epiſc. Catanienſis.
Berardus bon Ioannes Romanus Epiſc. Camerinenſis.
Fabius Mirtus Neapol. Epiſc. Caiacen.

Scipio Bongallus Romanus Episc.	Ciuitatis Castel.
Georgius Cornelius Venetus Episc.	Taruisinus.
Vincentius Durantius Brixien. Episc.	Termularum.
Mauritius de Petra Papiensis Episc.	Vigleuensis.
Martius de Martiis Medices Episc.	Marsicen.
Ioannes Vincentius Michaelius Barolitanus, Episcopus	Minerbinen.
Gabriel de Bouueri Gallus Episc.	Andegauen.
Leonardus Haller Germanus Epis.	Philadelphiensis.
† Ludouicus Vaninus de Theodolis Forliuien. Episcopus	Mortuus est Tridenti, Britonorien.
Egidius Falcetta Cingulanus Episc.	Britonorien.
Iulius Contarenus Venetus Episc.	Ciuit. Bellunen.
Thomas Casellus Rossanen. ord. præ. Episc.	Cauensis Iunior
Hippolytus Ariuabenus Mantuanus Episc.	Hierapetren.
Hieronymus Macchabeus Romanus Episc.	Castrensis.
Petrus Augustinus Hispanus Episc.	Oscensis & Iacēsis.
Iacobus Naclantus Florentin. ord. præd. Episc.	Clodiensis.
Bartholomæus Sirigo Creten. Episc.	Castellaneten.
Thomas Stella Venetus ord. præd. Episc.	Iustinopolitan.
Petrus du Val Gallus Episc.	Sagiensis.
† Ioannes Antonius Pantusa Cōsentinus obiit Tridenti die 27. Octobris 1562. Episc.	Literarensis.
Ioannes Baptista de Grosis Mantuanus Episc.	Regiensis.
Ioannes Xuarez Lusitanus ord. S. Augustini Epis.	Coymbricen.
Philippus Riccabella Raccanaten. Episc.	Raccanaten.
Io. Iacobus Barba Neapol. ord. S. August. Epis.	Iteranen.
Michael à Turre Vtinen. Episc.	Ceneten.
Pompeius Zambeccarius Bononien. Episc.	Sulmonen.
Ioannes Beroaldus Panormitanus Episc.	Sanctæ Agathæ.
Antonius Scarampus Aquensis Episc.	Nolanus.
Antonius de Comitibus Genuen. ord. præd. Epis.	Brugnacen.
Cæsar Foggia Rossanensis Episc.	Vmbriaticen.
Cæsar Comes à Gambara Brixien. Episc.	Tortonensis.
Io. Baptista de Bernardis Lucensis Episc.	Adiacensis.
Martinus Perezius de Ayala Hispanus Episc.	Segobiensis.
Nicolaus Pseaulme Gallus ord. S. Bened. Episc.	Verdunensis.
Alfonsus Rosetus Ferrarien. Episc.	Comaclen.
Iulius Parisianus de Tolentino Episc.	Ariminensis.

Bartho

Bartholomæus Sebastianus Hispanus Epis. Pactensis.
Franciscus Lambertus Sabaudus Epis. Nicien sis.
Maximilianus Doria Genuen. Episc. Naulensis.
Eustachius du Bellay Gallus Epis. Parisiensis.
Bartholomæus de Capranica Romanus Epis. Carinensis.
Ennius Massarius de Narnia Epis. Feretranus.
Achilles Brancia Neapolitanus Episco. Bouensis.
Io. Franciscus Verdura Messanen. Episc. Chironen.
Albertus Duimius de Gliricis ordinis prædicatorum Episcopus Veglensis.
Io. Antolinez de Bricianos de la Ribera Hisp. Epis. Iuuenacen.
Tristanus de Bizet Gallus Epis. Xantonen.

EPISCOPI IVLII III.

Ascanius Gherardinus de Amelia Epis. Catacensis.
Marcus Gonzaga Mantuanus Epis. Aasorensis.
Baldouinus de Baldouinis Pisanus Epis. Auersanus.
Petrus Franciscus Palauicinus Genuen. Epis. Alerien.
Aegidius Fuscararius Bononien. ord. præd. Epis. Mutinen.
Timotheus Iustinianus de Chio ord. præd. Epis. Calamonen.
Didacus de Almansa Hispa. Episc. Caurien sis.
Lactantius Rouerella Ferrarien. Epis. Asculanus.
Ambrosius Mõticula Lunen. Sarzanensis Epis. Segninus
Sebastianus Gualterius Viterbien sis Epis. Viterbien.
Honoratus Fascitellus monachus ordinis S. Benedicti Neapolitanus Episcopus Insulanus.
Petrus Camoianus Aretinus Epis. Fesularum.
Horatius Græcus Troianensis Appulus Epis. Lesinensis.
Bernardinus de cuppis Roma. Epis. Auximanus.
Gaspar de Casal Lusitanus ord. S. Augustini Epis. Leirien.
Ioannes de Moruillier Gallus Episc. Aurelianen.
Fabius Cupallata Placentin. Epis. Lachedonen.
Iulius Gentilius Tortonen. Epis. Vulturarien.
Adrianus Fusconius Romanus Epis. Aquinus.
Antonius de S. Michaele Hispan. ord. sancti Francisci de obseruantia Episcop. Montis marani.
Hieronymus Melchiorius Racanaten. Epis. Maceraten.
Petrus de Petris de Monte Aretinus, Epis. Lucerinus.
Iulius Gritus Venetus Epis. Parentin.

Iacobus Siluerius Piccolhomineus de Celano Epi. Aprutinus.
Ludouicus de Breſze Gall. Epiſ. Meldenſis.
Iacobus Mignanellus Senen. Epiſ. Groſſetanus.
Io. Andreas Crucius de Tibure Epiſc. Tiburtin.
Carolus Cicada Genuen. Epiſ. Albinganen.
Franciſcus Maria Piccolhom. Senen. Epiſc. Ilcinen.
Aſciſclus Moya de Contreras Hiſpa. Epiſ. Vicen.
† Galeatius Roſcius de Interanna mortuus eſt Tridenti xvi. Octob. 1563. Epiſcop. Aſsiſien.
Franciſcus Richardotus Burgund. Epiſc. Atrebaten.
Iaco. Maria Sala Bononien. Ital. in Gallia Epiſc. Viuarienſis.
Gabriel de monte S. Sabini Epiſ. Heſinus.
Marianus Sabellus Roma. Epiſc. Eugubinus
Agapitus Belhomo Rom. Epiſcop. Caſertanus.
Iulius Cananus Ferrarien. Epiſ. Adrienſis
Iulius Gallettus Piſan. Epiſc. Aleſſanen.
Hieronymus Burgenſis Gall. Epiſc. Cathalaunen.

EPISCOPI PAVLI IIII.

Scipio Aeſtenſis Ferrarien. Epiſ. Caſſalen.
Didacus Sermiente de Sotto maior Hiſpa. Epiſ. Aſtoricen.
Thomas Goduelus Angl. Epiſc. Aſſaphen.
Fauſtus Caffarellus Roma. Epiſ. Fundanus.
Belliſarius Balduinus Neapolita. Epiſc. Larinen.
Vrbanus Vigerius de Ruere Genuen. Epiſc Senogallien.
Iacobus Suretus Græcus Epiſc. Milopotā. Iunior
† Io. Baptiſta Oſius Roma. obiit Spoleti dum rediret ad eccleſiam ſuam, die xii. Nouemb. 1562. Epiſc. Rheatinus.
Marcus Laureus Tropien. ord. præd. Epiſc. Campanien.
Franciſcus de Beauquere Gall. Epiſ. Metenſis.
Hercules Rettinger German. Epiſcop. Lauantinus.
Ioannes Franciſc. Commendonus Epiſc. Hyacinthenſis.
Iulius de Rubeis Polin. Epiſcop. ſancti Leonis.
Carolus de Graſſis Bononien. Epiſc. Montis Faliſci.
Arrias Gallego Hiſpa. Epiſc. Gerunden.
Hieronymus Gallego Hiſpa. Epiſc. Ouiten.
Ioannes de Munatones Hiſpan. ordin. ſancti Auguſt. Epiſcopus Segorbicen.
Franciſcus Blanco Hiſpa. Epiſcop. Aurien.

Vincen

Vincentius de Luchis Bononien. Epiſ. Anconitanus.
Pompeius Piccolhomineus de Aragonia Epiſc. Tropienſis.
Petrus Barbadicus Venet. Epiſc. Curzolen.
Franciſcus Bachodius Sabaudien. Epiſc. Gebennen.
Carolus d'Angennes Gallus Epiſ. Cenomanen.
Hieronym. de Nichiſola Veronen. ord. præd. Epiſ. Theanen.
Marcus Antonius Bobba Caſalen. Orator Sereniſſ. Ducis Sabaudiæ, Epiſc. Auguſtenſis in Pedemontio.
Iacobus Lomellinus Meſſanen. Epiſc. Mazarien.
Donatus de Laurentiis de Aſculo Appuliæ Epiſc. Arianen.
† Petrus Contarenus Venet. mortuus eſt Patauij in Menſe Maij 1563. Epiſcopus Paphenſis.
Petrus Daneſius Gallus Epiſc. Vaurenſis.
Hieronym. Sauorgnanus Foroliuien. Epiſc. Sibinicen.
Carolus de Rouey Gallus Epiſc. Sueſſionen.
Philippus du Bec Gallus Epiſc. Veneten.
Georgius Draſcouitius Croattus Orator Cæſar. pro Regno Hungariæ Epiſcop. Quinqueccleſien.
Franciſcus de Aguirre Hiſpa. Epiſc. Cotronen.
Andreas de Cueſta Hiſpa. Epiſc. Legionen.
Antonius Gorrionero Epiſc. Almerien.
Antonius Auguſtinus Hiſpa. Epiſc. Ilerdenſis
Angelus Maſſarellus Septendanus Epiſc. Theleſinus.
Antonius in Ciurelia Barenſis Epiſc. Buduenſis.
Dominicus Caſalbancha Ma[illegible]en. ordin. prædicatorum Epiſc. Vicenſis.
Petrus Faunus Coſtacciaro Epiſc. Aquenſis.
Io. Carolus Bouius Bononien. Epiſc. Auſtunenſis.
+ Hugo Boncompagnus Bononien. Epiſc. Veſtanus.
Saluator Pacinus de Colle Epiſc. Cluſinus.
Lupus Martinez Hiſpa. Epiſc. Elnenſis.
Carolus d'Eſpinay Gallus Epiſc. Dolenſis.
Egidius Spifame Gallus Epiſc. Niuernen.
Antonius Sebaſtia. Minturnus de Traiect. Epiſ. Vxentinus.
Bernardus del Bene Florent. in Gallia Epiſ. Nemauſenſis.
Dominicus Bollanus Venet. Epiſc. Brixienſis.
Io. Antonius Vlpius Comenſis Epiſc. Comenſis.
Ludouicus de Ginolhac Gallus Epiſc. Tutellen.
Philippus Maria Campegius Bononien. Epiſc. Feltren.

Ioan

Ioannes de Quignones Hiſpanus. Epiſ. Calagurritan.

EPISCOPI PII QVARTI.

Didacus Couaruuias de Leyua Hiſpanus Epiſc. Ciuitaten.
Philippus Gerius Piſtorienſis Epiſc. Iſelanen.
Io. Antonius Facchinettus Epiſc. Neocaſtren.
Hyppolitus Capilupus Mantuanus Epiſc. Fanenſis.
Ioannes Fabricius Seuerinus Neapolitan. Epiſ. Aceren.
Conſtantinus Bonellus Feretran. Epiſ. Ciuitatis Caſtel.
Iulius Superchius Mantuanus ordinis Carmelitarum Epiſcopus Caprulanus.
Martinus Rithouius Flander primus Epiſ. Iprenſis.
Anthonius Hauetius ord. præd. primus Epiſ. Namurcen.
Matthæus de Concinis Florentinus Epiſc. Corthonenſis.
Nicolaus Sfondratus Mediolanenſis Epiſ. Cremonenſis.
Ventura Bufalinus Trifernas Epiſc. Maſſanenſis.
Ludouicus de Bueil Gallus Epiſ. Veneten.
Hieronymus Galleratus Mediolanen. Epiſc. Sutrinus.
Ioannes Petrus Delphinus Venetus ordinis Canonicorum regularium Epiſcopus Hyacinthenſis ſecundus
Ioannes Andreas Bellonius Meſſanen. Epiſ. Maſſelubren.
Georgius Zifchouid Hungarus ordinis minorum ſancti Franciſci de obſeruantia Epiſcopus Segnienſis.
Stephanus Boucher Gallus Epiſc. Coriſopitenſis.
Ioannes Paulus Amannius Crenſen. Epiſ. Anglonen.
Federicus Cornelius Venetus Epiſ. Bergomenſis.
Alexander Sfortia de S. Flora Epiſ. Parmen.
Antonius le Cirier Gallus Epiſ. Abrincenſis.
Andreas Mozanicus Venetus Epiſ. Nimoſien.
Benedictus Saluinus Firmanus Epiſco. Verulanus.
Guilielmus Caſſador Hiſpanus Epiſ. Barchinonen.
Petrus Gonzalez de Mendozza Hiſpanus Epiſ. Salmantinus.
Martinus de Corduba de Mendozza Hiſpanus ordinis prædicatorum Epiſcopus Dertuſen.
Iulius Magnanus Placentinus ordinis Minorum conuentualium S. Franciſci Epiſ. Caluen.
Valentinus Herbutus Polonus orator Sereniſsimi Regis Poloniæ Epiſcopus Præmiſlien.
† Simon Aleottus Foroliuien. electus Foroliuien. mortuus eſt Tridenti

denti die xx. Auguſt. 1562. Epiſ. Foroliuienſis.
Petrus de Xaque Hiſp.ord.prædicatorum Epiſc. Nioquen.
Proſper Rebiba Meſſanen.Epiſc. Troianus.
Melchior Auosmediano Hiſp.Epiſc. Guadixen.
Hippolytus de Rubeis Parmenſis elect.Epiſc. Papienſis.
Didacus de Leon Hiſpa.ord.carmel. Epiſc. Colombrien.
Annibal Saracenus Neapol.Epiſc. Licienſis.
Paulus Iouius Comen.Epiſc. Nucerinus.
† Hieronym. Triuiſanus ord. prædicat. mortuus eſt Tridenti die IX.
Septemb. 1562. Epiſc. Veronen.
Hieronymus Ragazzonus Venet. Epiſco. Famaguſtan.
Romulus de Valentib. de Trebia Epiſ. Conuerſanus
Lucius Maranta Venuſin.Epiſc. Cauellen.
Simon de Nigris Genuen.Epiſc. Sarazanenſis.
Theophilus Gallupus Tiopienſis Epiſc. Oppidenſis.
Iulius Simonetta Mediolanen. Epiſc. Piſauren.
Petrus Allebret Nauarrus Epiſc. Cumenenſis.
Iacobus Guidius Volateranus Epiſc. Pennen.adrien.q̃.
Didacus Ramijrez Hiſpa. Epiſc. Pampilonen.
Franciſcus del Gado Hiſpa.Epiſc. Lucenſis.
Ioannes Clauſſe Gall. Epiſc. Senecen.
Iacobus Gibertus de Nogueras Hiſp.Epiſc. Aliphanus.
Antonius Maria de Saluiatis Rom. in Gallia Epiſ. Sancti Pauli.
Matthæus Priulus Venet.Epiſc. Aemonien.
Thomas Lilius Bononien. Epiſc. Soranus.
Fabius Pignatellus Neapolitan.Epiſc. Monopolitan.
Hieronym.Guerrinus Feretranus Epiſc. Imolenſis.
Carolus de Vicecomitib. Mediolanen.Epiſc. Vintimilienſis.
Thomas Oyerllaithe Hibernus Epiſc. Roſſen.
Franciſcus Valete Gallus Epiſc. Vabren.
† Ioannes Coloſuarinus Hungar. ord. præd. obiit Tridenti die XXIIII.
Nouemb.anno 1562. Epiſc. Canadienſis.
Andreas Duditius Sbardellatus Hung.nunc Epiſc. Cœnadienſis.
Spinellus Bencius Politian.Epiſc. Montis Politiani.
Franciſcus Abondius Caſtillioneus Epiſc. Bobien.
Staniſlaus Faleſchi Polonus Epiſc. Theodoſien.vel Chafenſis
Eugenius Ohairt Hibernus ord.præd.Epiſc. Achaden.
Donaldus Magongial Hibernus Epiſc. Raboten.
Guido Ferrerius Pedemontanus Epiſc. Vercellenſis.

Io.Baptista Sighicellius Bononien.Epis. Fauentinus.
Sebastianus Vantius de Arimino Episc. Vrbeuetanus.
Io.Baptista Lomellinus Messanen.Episc. Gardien.
Io.Baptista Milanesius Florentinus Epis. Marsicanus.
Augustinus Mollignatus Vercellensis Epis. Triuicanen.
Carolus Grimaldus Genuensis Epis. Sagonen.
Fabricius Landrianus Mediolanen.Epis. Sancti Marci.
Bartholomeus Ferratinus Amerin.Epis. Amerinus.
Petrus Fragus Hisp.Epis. Vsellensis.
Hieronymus de Gaddis Florentinus Orator Ducis Florentiæ electus Episcopus Cortonensis.
Franciscus Contarenus Venet.Episc. Paphensis.
Ioannes Delphinus Venet.Epis. Torcellanus.
Alexander Molus Comensis Epis. Minorensis.

REVERENDI ABBATES.

Ludouicus de Baissay Gallus Cistercien. Abbas & Generalis.
Hieronymus de la Souchiere Gallus Abbas Clareuallen.
Stephanus de Nauaria Abb.S.Mariæ gratiarum, propè Placentiam.
Augustinus Loschus Hispanus Abb. Casinensis sancti Benedicti de Feraria.
Euthitius de Cordes Antuerpiensis Abbas pro titulo.

GENERALES ORDINVM.

Vincentius Iustinianus Genuen.Generalis ord.prædicatorum.
Franciscus Zamora Hispa. Generalis S. Francisci de obseruantia.
Antonius Sapiens Augustanus Generalis S.Francisci Conuentus.
Christophorus Patauinus Generalis S. Augustini.
Stephanus Fazzinus Cremonen.Prouincialis Lombardiæ pro Generali ord.Carmelitarum.
Ioannes Baptista Milliauacca Astensis Generalis Seruorum.
Iacobus Laynez Generalis societatis Iesu.

DOCTORES LEGIS PRO SACRO Concilio.

Gabriel Paleottus Bononien. Auditor Rotæ.
Scipio Lancilottus Romanus Aduocatus Consistorialis.
Ioannes Baptista Castellus Bononiensis Promotor.
Michael Thomasius Maioricen. doctor decretorum.

THE

THEOLOGI A SVMMO PONTIFICE MISSI.

Alphonsus Salmoron Hispanus ordinis Iesuitarum.
† Frater Petrus de Sotto ord. præd. Hispanus obiit Tridenti.
Franciscus Torensis doctor Theologus Hispanus.
Antonius Solisius doctor Theologus Hispanus.
Frater Camillus Campegius Papien. Inquisitor Ferrariæ ord. præd.
Frater Hieronymus Brauo Hispanus ordinis prædicatorum.

DOCTORES THEOLOGIAE FACVLTATIS Parisiensis, missi à Carolo nono, Galliarum Rege Christianissimo.

Nicolaus Maillard Decanus facultatis Parisiensis.
Ioannes Peletier. Antonius Democharcs. Nicolaus de Bris.
Iacobus Hugonis Franciscanus, idem etiam procurator Reuerendissimi Ioannis Vrsini Episcopi Trecorensis.
Simon Vigor. Richardus du Pre.
† Natalis Paillet obiit Tridenti v11. Kalend. Decembris. 1562.
Robertus Fournier. Antonius Coquier. Lazarus Broychot.
Claudius de Saintes Canonicus regularis.

THEOLOGI MISSI A PHILIPPO REGE CATHOLICO.

Cosmas Damianus Hortolanus electus Abbas Villabertrandi.
Ferdinandus Tritius doctor Theologus Canonicus Caurien.
Ferdinandus Vellosillus doctor Theolog. Canonicus Segontinus.
Thomas Dasio I.V.D. Canonicus Valentinus.
Licencit. Antonius Couarruias auditor Granaten.
Ferdinandus Minchaca Decretorum doctor.
Frater Ioannes Ramirez Hispa. minister prouin. diui Iacobi.
Frater Alphonsus Contreras Cõmissarius ord. in curia Regis Hispa.
Frater Michael de Medina, sacræ Theologiæ doctor.
Frater Ioannes Lobera Hispa. Theologiæ lector Salamanticæ missus in societatem ministri prouincialis diui Iacobi sup. memorati.
Frater Ioannes Gallo Hispanus ord. prædicatorum.
Frater Petrus Fernandez Hisp. ord. præd. in societate magistri Gallo.
Frater Desiderius de S. Martino Parnormi. ord. Carmelitarum.
Michael Baius ab Atho sacræ Theologiæ doctor.
Ioannes Hessels Louanien. sacræ Theologiæ doctor.
Cornelius Ianssonius Hullstensis sacræ Theologiæ doctor.

THEOLOGI MISSI A REGE Portugalliæ.

Frater Franciscus Foriero ordinis prædicatorum.

D.Iacobus à Payua de Andrade Lusitanus doctor Theologus.
D.Melchior Cornelius Decretorũ doctor senator Regis Portugalliæ.

AB EXCELLENTISS. DVCE BAVARIAE.

Ioannes Cauillonius Flander,ex societate Ihesuitarum.

PROCVRATORES EPISCOP. ABSENTIVM.

Merchantus doctor Theologus pro Illustriss. Cardinale de Mendoza Episcopo Burgen.
Io. Gothardius Cler.Sec.Germanus pro Reuerẽd. Epis. Ratisbonen.
Georgius Hochenuarter Cleri secu. doctor Theologus, suffraganeus pro Reuerendiss.Episcopo Basilienſi.
Frater Felicianus Ninguarda de Morbinio ord. præd. pro Illustrissimo Domino Salezburgen. Orator.
Petrus Cumel doctor Theologus Canonicus Malacitanus pro Reuerendissimo Malacitano.
Ioannes Delgadus, doctor Theologus Canonicus Tydensis pro D. Ioanne de S. Aemiliano Reuerend. Episcopo Tydensi.
Gaspar Cardillus Villalpandeus Segobr. doctor Theolog. pro Reuerendiss. Episc. Abulen.
Frater Ioannes de Ludenna doctor Theolog. ord.prædicatorum pro Reuerend. Episcopo Seguntino.
Frater Franciscus Orãtes,lector Valisoletti ord. minorum pro Reuerendissimo Episc. Palentino.
Cæsar Ferrantius Suessanus doctor Theolog.pro Reuerẽd. Episcopo Suessano apud Reuerendissimum Ilerdensem.

PROCVRATORES ORDINVM.

Ioannes Coutignõ doct.Gallus:Prior,& Procurator ord.Cluniacẽsis.
Nicolaus Boucherat Gallus Prior Monasterij de Recluso Procurator generalis ordinis Cistercienſis.

THEOLOGI SECVLARES ET CANONICI.

Georgius Girard,Gallus doctor Theolog.cum Reuerẽd. Andegauẽsi.
Gentianus Heruetus Gallus cum Illustriss.& Reuerendiss.Cardinale à Lotharingia.
Franciscus Sancius Decanus,facultatis theologiæ, & Canonicus Salmanticen.cum Reuerendiss.Salmaticen.
Matthæus Guerra Consentinus Calabr. Presb. secularis cum Reuerendiss.Episc.S. Marci.

Fede

Federicus Pendasius cum Illustris. Card. de Mantua legato S. Concilij.
Io. Franciscus Lombardus cum Illustris. Cardi. Seripando legato Sacri Concilij.
Petrus Mercatus theologus cum Reuerend. Vicensi.
Trigillus doctor theologus Canonicus Legionen. cum reuerendiss. Legionen.
Sobannus doctor theologus cum reuerend. Legionen.
Antonius Leitonus doctor theologus, cum reuerēd. Conymbricensi.
Petrus Fontidonius doctor theologus, cum reuerend. Salmantino.
Ioannes Villeta doctor theologus, cum reuerend. Barchinonen.
Ioānes Fonseca doctor theologus, cum reuerend. Archiep. Granaten.
Michael Oroncuspe doctor theol. cum reuerend. Episc. Pampilonen.
Alfonsus Fernandez dela Guerra Hisp. doctor theologus, cum reuerendis. Guadixien.
Cosmus Palma Fonteyus, Sacræ Theologiæ doct. Hispanus, Hortolani Abbatis, Discipulus, & Comes.
Michael Ytero D. V. I. cum reuerend. Episc. Pampilonen.
Iosephus Puebla doctor theol. cum reuerend. Episc. Ciuitaten.
Ioan. Chacun doctor Iuris Canonici, cum reuerend. Episc. Almerien.
Antonius Garsias doctor theolog. cum reuerend. Episc. Oueten.
Benedictus Arias Mantoanus ord. S. Iacobi doctor theologus, cum reuerendis. Segobiensi.
Ioannes Barcelona theologus, cum reuerend. Episc. Vscellen.

DOCTORES GALLI ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

Ioannes Carthougne doctor Theologus.
Ioannes de Verdun Gallus, doctor Theologus.

THEOLOGI ORDINIS FRATRVM PRAEDICATORVM.

Angelus Ciosus Florentinus cum Illustris. Cardi. Mantuano Legato.
Saraphinus de Caballis de Brixia, Prouincialis terræ Sanctæ, cum reuerendissimo suo Generali.
Helisæus Capys Venetus theologus, Archiepiscopi Pragen.
Petrus Aridiensis Gallus cum reuerendis. D. Cenomanen.
Bernardus Bernardi Gallus Inquisitor Auinioni Vicarius Congrega. Franciæ, cum reuerend. D. Nemausensi.
Ioannes Matthæus Valdina, cum reuerendis. D. Tarentino.
Petrus Martyr Coma Hisp. cum reuerendis. D. Gerundensi.

Petrus Zatores Hisp. cum reuerendis. D. Dertusensi.
Antonius de Grosupto cum reuerendis. D. Vigliuanensi.
Aurelius de Chio cum reuerendis. D. Spalatren.
Adrianus Valenticus Venetus, cum reuerendis. D. Nicosiensi.
Marcus Medices Veronensis, cum reuerendis. D. Ceneten.
Benedictus Herba Mantuanus, cum reuerendi. D. Brixiensi.
Michael d'Ast Genuensis Prior S. Laurentij.
Constantinus Coccianus Isorella cum R. D. Monte Pulciano.
Henricus de S. Hieronymo cum reuerendis. D. Braccarensi.
Ludouicus de Sotto maior cum reuerendis. D. Georgio de Tayde.
Baptista de Lugo cum reuerendis. D. Veronensi.
Hieronymus Barolus Papien.

NOMINA FRATRVM THEOLOGORVM beati Francisci de obseruantia cum suo Generali.

Aloysius de Burgo nouo, Italus Sacræ Theologiæ lector Bononien. Commissarius generalis.
Thomas de Sogliano Italus Prouin. Bononiæ, Minister.
Antonius de Padua Lusitanus ordinis Secretarius.
Bonifacius Ragusæus Apost. prædicator Terræ S. Gubernator.
Angelus de Petriolo Italus lector Sacræ Theologiæ Perusij.
Angelus Iustinianus Italus lector Sacræ Theologiæ Ianuæ.
Vincentius de Mesina Italus Sacræ Theologiæ lector Neapoli.
Iulius Orseanus Italus Sacræ Theologiæ lector Bergomi.
Iacobus Alani Gallus Theologus cum reuerendis. Epis. Veneten.

NOMINA OMNIVM THEOLOGORVM ORdinis Fratrum Minorum Conuentualium existentium in Sacro Concilio cum Reuerendiss. Patre generali.

Marcus Antonius Gambaronus à Lugho socius Religionis.
Bartholomæus Golphus de Pergula.
Ioannes Tertius Bergomensis lector Theologiæ publicus in Gymnasio Papiensi.
Clemens Thomasinus de Florentia Regens in Conuentu sanctæ Crucis de Florentia.
Augustinus Balbus à Lugho.
Ioannes Baptista Ghisulphus ordinis scriba.
Antonius de Grignano Regens S. Antonij de Patauio.
Lucius Angusiola Placentinus regens S. Francisci Bononiæ.
Maximianus Benianus Cremensis orator pro Religione & inquisitor Paduæ.

Octa

Octauianus Charus de Neapoli regens S.Laurentij de Neapoli.
Antonius Posius de monte Ilcino regens in Conuentu duodecim Apostolorum Romæ.
Bonauentura Meldulensis regens in Conuentu Parmæ.
Martialis Peregrinus Calaber regens in Conuentu Ferrariæ.
Antonius à Cubalo Feltrensis.
Andreas Schynopius de Amandula cum reuerendiſ. D.Cathanzario.
Baldasar Cryspus Neapolitanus cum reuerendiſ.D.Tropiensi.

THEOLOGI ORDINIS FRATRVM EREmitarum Sancti Augustini.

Thadeus Perusinus cum reuerendiſ.D.Saluiati.
Ioannes Paulus Recinetensis cum reuerendiſ. D. Quinqueccleſien. Orator pro Regno Hungariæ.
Simon Florentinus cum Illuſtriſ.Card. Serypando Legato.
Cherubinus Lauosius de Casia cum reuerendiſ.D.Vercellen.
Ambrosius Veronensis dicti Conuentus S.Marci.
Ioannes Baptista Burgus Valentinus Hispanus.
Antonius Mondulphēsis,qui est cum reuerendiſ. D.Pragen.Oratore.
Egidius Volaterranus cum reuerendiſ.Epiſc.Thininien.
Eugenius Pisaurēsis in præterita Quadrageſima Concilij prædicator.
Adamantius Florentinus qui eſt cum Illuſtriſ.C.Madrutio.
Aurelius Corinaltensis cum D.Oratore Heluetiorum.
Balthazar Massanus cum reuerendiſ.Epiſc.Catanien.
Sebastianus Fanensis ciusdem ordinis scriba.
Christophorus de Sanctotis Borgensis Hispanus.
Simon de Brazzolatis Patauinus.

THEOLOGI ORDINIS FRATRVM Carmelitanorum.

Stephanus Locumtenens generalis ordinis Carmelitanus,& Prouincialis Lombardiæ Cremonen.
Theodorus Masius cum reuerendiſ.D.Cremonensi Mantuanus.
Siluester,confessor Illuſtriſ.Cardi.Mantuani.
Lucretius Asolanus cum reuerendiſ. D.Patriarcha Venetiarum.
Nicolaus Gallus cum reuerendiſ.Patre generali.
Eraldus Gallus cum reuerendiſ.Patre generali.
Laurentius Venetus cum reuerendiſ.Patre generali.

THEO

TEOLOGI ORDINIS FRATRVM SERVORVM.

Stephanus Bonuntio Aretinus.
Amans pro Congregatione Seruorum cum reuerendiſ. D.Sibinicen.

OFFICIALES SACRI CONCILII TRIDENTINI.

Epiſcopus Cauenſis Commiſſarius.
Epiſcopus Theleſinus Secretarius.
Ludouicus Magiſter Cæremoniarum.

CANTORES SACRI CONCILII.

Simon Bertolinus Peroſinus.
Ioannes Aloyſius de Epiſcopis Neapolitanus.
Bartholomæus Conte Gallus.
Mathias Albo de Fulignis.
Franciſcus Buſtamante Hiſpanus.
Ioannes Antonius Latinus Beneuentan.
Franciſcus Druda Vrbin.
Lucas Longinquus Giſonen.
Petrus Scorteccio Aretinus.

NOTARII.

Marcus Antonius Peregrinus Comenſis &
Cynthyus Pamphilus de S.Seuerino.

Hieronymus Gamber Brixienſis Forrenſis.
Antonius Manellus depoſitarius.

CVRSORES SANCTISS. D. N. ET SACRI CONCILII.

Nicolaus de Mattheis & Iacobus Carra Allobroges.

Finis Catalogi omnium Legat. Patr. Orat. & Theologor. qui ad Trident. Synod. conuenerunt, ſub D. N. Pio IIII.

INDEX

INDEX DOGMATVM, ET REFORMATIONIS, BREVITER COLLECTVS.

A

Abbates quomodo eligendi. pagina 156
Abbates Tonſuram, nec minores ordines iis cõferant, qui ſibi ſubiecti non ſunt. 119
Abbates, vſum Mitræ, & Baculi habentes, qua in cauſa, Epiſcoporum loco, adhibentur. 54
Abbates viſitandi ius habent. 161
Abbates, quæ de regularibus decreta ſunt, exequantur. 162
Abbatum negligentia qua in cauſa ab Epiſcopo corrigi poſsit. 11
Abbatum monaſteria, in quibus ipſi domicilium habent, à iuriſdictione Epiſcoporum ſunt libera. 150
Abbatum priuilegia in Eccleſiis parochialibus vacantibus, quando locum non habent. 146
Abbatiſſæ, qua ætate, & quo modo creari debent. 156
Abeſſe ab Eccleſia ſua Epiſcopo non licet vltra tres menſes. 116
Abeſſe quo anni tempore ei non licet. ibidem
Abſentes Epiſcopi qua pœna multentur. ibid.
Abſentes inferiores Curati mortaliter peccant. ibid.
Abſentiæ Epiſcopi cauſæ legitimæ. ibid. à quibus probandæ. ibid.
Abſentiæ licentia inferioribus Curatis non vltra tres mẽſes danda. 116. à quo probanda. ibid.
Abſolutio ſacerdotalis quę. 63. actus iudicialis. ibid.
Abſolutio peccatorũ grauium à quibus. 64
Abſolutio quãdo nullius eſt momenti. 64
Abſolutio peccatorum non abſque contritione pœnitentis, & miniſterio ſacerdotis. ibid.
Abſolutionis commoda. 62
Abſolutionis miniſtri. 63
Abſolutionis de publico crimine impetratæ cauſa, quando cognoſcitur ab Epiſcopo. 55
Abſolutio, à ſummo Pontifice impetrata, vſurpantibus bona, & iura Eccleſiaſtica, non aliter prodeſt niſi, quæ detinent, reſtituant. 110
Abuſus, qui irrepſerunt in vſum Indulgentiarum, quomodo tollendi. 178
Abuſus ex ignorantia & ſuperſtitione tollendi. ibid.
Abuſus alij tollendi. 27.53.74.95. 99.105.106.152.153
Academiæ teſtimonium de eius doctrina, qui creandus eſt Epiſcopus. 107
Acceſſus aut regreſſus ab beneficium Eccleſiaſticum non concedantur: conceſsi, non ſuſpendantur. 168
Acclamationes Patrum. 181
Acolythi. 112
Adæ peccatum in omnes, non imitatione, ſed propagatione transfuſum. 8
Adæ præuaricatio, & ſibi, & eius pro pagini nocuit. ibid.
Adæ ſemine propagati, iniuſti naſcũtur. 15
Adæ verba de indiſſolubili matrimonij nexu. 126
Adminiſtratores à capitulo, Sede va

cante, Electi, futuro Episcopo rationem reddant. 145
Administratores cuiusuis loci pij singulis annis Episcopo rationem reddant. 110
Adorationes imaginum quo modo, vide Imagines.
Adulterij pœna. 132
Adulterio matrimonium non dirimitur. 127
Ætas, singulis ordinibus præscripta. 118. 141
Ætas, in obtinendo beneficio definita. 118
Ætas, ad Canonicatum obtinēdum legitima. 141
Ætas puerorum, qui in Seminarium cooptandi sunt. 122
Affinitas, ex fornicatione cōtracta, in primo & secundo gradu, neque vlteriori, matrimoniū dirimit. 131
Aleas fugere Clerici debēt, vide Clerici.
Alexandri III. constitutio. 34. 97. 141
Annexa beneficia singulis annis visitare, cura est Episcopi. 35. 36
Anathemata in eos, qui de iustificatione male sentiūt. 23. vsque ad 27
Anathemata contra male opinantes de Sacramento Matrimonij. 127
Anathemata in illos, qui septem Ecclesiæ Sacramenta negant, & male interpretantur. 30 vsque ad 32
Anathemata contra hæreticorum errores in Sacramentis Baptismi, & Confirmationis. 32. vsque ad 33. in Sacramento Eucharistię. 51. 52. in Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis. 68. vsque ad 71. in Sacramento Ordinis. 114. 115. in Sacrificio Missæ. 104. 105. in Cōmunione sub vtraque specie. 94. 95
Annus, ad suscipiendos Ordines datus, quos impetratum beneficium postulat. 108
Antiquior Episcopus, Metropolitano impedito, habēdæ Synodi prouincialis ius habet. 135
Antiquiori Episcopo in Metropolitana Ecclesia Oeconomum eligere quando licet. 144
Appellatio, vel inhibitio non impeditquo minus ea perficiantur, quæ Episcopus in visitatione, & morū correctione statuit. 139
Appellatio concubinarij non impedit executionem. 174
Appellatio in causis matrimonialibus. 149
Appellationes, aut inhibitiones in prima instantia non admittuntur, nisi ab eo, qui habet vim definitiuæ. 148
Appellatione facta coram Ordinario, præscribitur forma, & tempus transferendi acta. 149
Appellationibus admittēdis quæ forma seruanda. 109
Apostatæ. 161
Apostatandi occasio quando Regularibus datur. 76
Apostoli in Cœna à Christo sacerdotes instituti. 101
Apostolis consecrādi potestas à Christo tributa. 112
Apostolis, eorúmque successoribus remittendi, & retinendi peccata potestas communicata. 59
Aquæ cum vino mixtio in Calice, non est contra institutionē Christi. 105
Aqua cum vino miscenda in Calice, eiúsque rei causa. 103
Aqua naturalis de necessitate Baptismi, vide Baptismus.
Aquarum significatio. 103
Arbiter de suspicione & iurisdictione cognoscēda inter Ordinarium & Con

& Conseruatorem iudicem. 74
Archidiaconi causas matrimonij,& criminum non iudicant. 149. neque ad eorum iudicium concubinatus causæ pertinent. 174
Archidiaconi, oculi Episcoporum. 141
Archidiaconi quales esse debēt. ibidem
Archidiaconi, qui visitandi ius habent, quo modo visitent. 136
Archiepiscopi Episcopos, negligentes in institutione Seminarij compellant. 124
Archiepiscopi, negligentes in Synodo prouinciali habenda qua pœna multentur. ibid.
Archiepiscopi per suffraganeos Ecclesias quando visitare debent. ibidem
Archiepiscoporum officium, vt Rectores, Abbatibus subiecti prædicent. 12
Archiepiscopos ad Seminarij collegium instituendum Synodus prouincialis cogat. 124
Archipresbyteri, quibus animarum cura commissa est, quibus diebus prædicare debeant. 12. ibid.
Articulis fidei assiduè recolendis populum confirmari. 152
Assumendus ad Cathedrales Ecclesias qualis esse debet. 107
Attritio. 61
Auaritiæ suspicio, ab Ecclesiasticis tollenda. 95
Auaritia, idolorum secutus. 105
Aucupia Clerici vitare debent, vide Clerici.
Authoritas Sedis Apostolicæ in omnibus decretis Concilij reseruatur. 177

B

Baptismus Sacramentum fidei. 17
Baptismus Ioannis. 32
Baptismus, ad salutem necessarius. ibidem
Baptismus hæreticorum quo modo verus. 32
Baptismus paruulorum. 33
Baptismus, ritè collatus, non iteratur. 33.& 59
Baptismi doctrina vera in Ecclesia Romana. 32
Baptismi,& Pœnitentiæ differentia. 59
Baptismi sola recordatio non tollit, neque minuit peccata. 33
Baptismi Sacramento necessaria aqua naturalis. 32
Baptismi gratia,& fructus. 59
Baptismi character indelebilis. 113
Baptismi lauacro regeneratos, Christo incorporari. 59
Baptismi Canones. 32.33
Baptimo susceptо, vota pòst facta, non irrita fiunt vi promissionis, in illo factæ. 33
Baptizari licet in omni ætate & tempore. ibid.
Baptizantur paruuli in fide Ecclesiæ. ibidem
Baptizatus, peccando, gratiam amittit. 32
Baptizati, vniuersæ Christianæ legis debitores. ibid.
Benedictio sacerdotalis, antequam coniuges simul habitent, in templo suscipienda. 129. non ab alio sacerdote, sed à suo Parocho sumenda. ibid. eius licentia à quo danda. ibid.
Beneficia Ecclesiastica obtinentium habitus. 74
Beneficia non conferantur, nisi iis, qui tales sunt, quales esse sacrorum Canonum lege, cautum est, aliàs collatio, seu prouisio nulla. 108
Beneficia habentes, quāuis familiares sint Cardinalium, ab Ordina-

rij iurisdictione soluti non sunt, ratione dictorum beneficiorum. 140
Beneficia, quibus ex primæua institutione cura animarum iniũcta est, in simplex beneficium non conuertantur. 175
Beneficia plura obtinere volentium cupiditati occurritur. 145
Beneficia plura incompatibilia nemini recipere, & obtinere licet. 35
Beneficia regularia Regularibus cõferantur, cum vacauerint. 76
Beneficia secularia impetrare iis nõ licet, qui ad alium ordinem translati sunt. ibid.
Beneficiis obtinendis ætas obtinere volentium definita, vide Ætas.
Beneficiorum exemptorum visitatio cui competat. 139
Beneficiorum hæreditariæ successiones Patrum decretis odiosæ. 168
Beneficiorum qualitatibus, & oneribus, quæ ex fundatione, aut dotatione sunt, non derogandum. 166
Beneficiorum simpliciũ fructus quibus tribuendi. 121
Beneficiorum Ecclesiasticorum, quę curam animarum habent, collatio. 34. quæ Cathedrali Ecclesiæ annexa sunt, visitatio. 36
Beneficiorum quorumcunque visitatio. ibid.
Beneficium Ecclesiasticum habere debet, qui prima Tonsura initiatus est, vt fori priuilegio gaudeat. 118
Beneficium vnum vni conferendum. 145
Biblia Latina vulgatæ editionis, probata. 6
Biennij spatium, litibus finiendis in prima instantia, statutum. 148
Bigami ad minorum Ordinum munera obeunda idonei non probantur. 122
Bona Ecclesiastica occupãtium quæ pœna. 110
Bona mobilia & immobilia quo modo Regularibus concessa, vide Regulares.
Bonifacij VIII. Cõstitutiones. 118. 155. 171
Bononiæ Sessiones habitæ, nona & decima. 41. 42
Brachium seculare implorari potest, pro reuocandis Monialibus intra vrbem. 155
Bulla indictionis Cõcilij Pauli III. in lib. princip.
Bulla facultatis, transferendi Concilij sub Paulo III. 38
Bulla resumptionis Concilij sub Iulio III. 43
Bulla celebrationis Cõcilij sub Pio IIII. Pont. 82
Bulla confirmationis Concilij sub Pio IIII. Pont. Max. 308

C

CAlicis vsus an aliquibus nationibus concedendus, ad Patrum conuentum refertur. 95. hæc causa ad summum Pont. reiicitur. 111
Candelarum certus numerus, in Missarum celebratione, superstitiosus. 106
Canon Missæ ex quibus constet. 102
Canones omnes antiqui, de vita & moribus Clericorũ renouati. 107
Canones de iustificatione. 23. vsque ad 27
Canones de Sacramentis in genere. 30
Canones de Baptismo. vide Baptismi Canones.
Canones de Confirmatione. 33
Canones de Eucharistia. 51. vsque ad 53
Canones de Pœnitentia. 68. vsque ad 70

Canones de extrema Vnctione. 70
Canones de Communione sub vtraque specie, & paruulorum. 94
Canones de Missæ sacrificio. 104
Canones de Ordine sacro. 114. vsque ad 115
Canones de Matrimonio. 127
Canones omnes sacri indistincte ab omnibus obseruandi. 176
Canonicatus quibus conferendi. 141
Canonicatus, aut portio non ei confertur, qui eo ordine initiatus non est, quem illa dignitas, aut portio requirit. ibid.
Canonici libri. 5
Canonici Regulares translati ad alium ordinem, secularia beneficia obtinere non possunt. 76
Canonici, præsentes sacræ ordinationi. 118
Canonici diuina officia per se, non per alium obire debent. 142
Canonici professionem fidei coram Episcopo facere teneantur. 141
Canonici quales. 141
Canonici vocem in Capitulo non habent, nisi sint Subdiaconi. 108
Canonicis non amplius tribus mensibus abesse licet. 141
Canonicorum absentium contumaciæ pœna. 142
Canonicorum residentia. 141
Canonicorum vestitus & temperantia. 142
Canonicorum officium in Choro. 142
Canonicorũ duorũ electio de ineunda simul cum Episcopo Ecclesiarum gubernãdarum ratione. ibid.
Canonici officium, celebrante Episcopo. ibid.
Cantus in Choro qualis. ibid.
Cantus lasciuus in celebratione Missæ vitatur. 106
Capellani Regij quando Ordinariis subiecti. 140
Capita Ordinum. 158. 161
Capitula Cathedralium à suis Episcopis etiam Sedis Apostolicæ authoritate, visitari, & corrigi possunt. 167
Capituli officium, Sede Episcopali vacante. 133
Capituli ius Oeconomum deligendi, vacante Sede Episcopali. 144
Capituli negligẽtiæ, in eligendo Vicario, remedium. 145
Capitulo quando, Sede vacante, literas dimissorias concedere licet, & quando non. 36
Capitulorum in visitatione Episcopi exemptio nulla. 29
Capitulum si ius visitandi habet, viros ab eo delectos prius Episcopus probet. 136
Capitulum de quibus scripturis futuro Episcopo rationem reddere tenetur. 145
Capitulum de qua re ab Episcopo in consilium adhiberi debet. 168
Capitulum sub tit. S. Petri, & S. Ioannis. 157
Capitulorum generalium, seu prouincialium negligentia in constituenda regularium disciplina Concilio prouinciali quando supplenda. 162
Capitulorum generaliũ, aut prouincialium officium in magistris sacræ Scripturæ melioribus decernendis. 11
Capucinis, & minoris obseruantiæ fratribus solis bona immobilia possidere non licet. 154
Cardinales ex omnibus Christianæ Reipub. nationibus assumendi, & quales, etiam si sint Diaconi. 134
Cardinales tres deligendi, qui cognito genere, moribus, vita, doctrina eius, qui creandus est Epi-

ſcopus, ſanctè teſtentur, illum eo dignitatis gradu dignum. ibid.
Cardinales, qui Eccleſiis cathedralibus præſunt, conſecrationis munus trium menſium ſpacio ſuſcipiant. 117
Cardinalibus item beneficiorũ multitudo negatur. 145
Cardinalium reſidentia. 115
Cardinaliũ regreſſus non concedũtur. 168
Cardinalium conſilio Vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nititur. 164
Cardinalium familiares. vide Familiares Cardinalium.
Cardinalium frugalitas & continentia. 164
Cardinalium vita, mores, doctrina, cæteráque eiuſmodi, quæ de Epiſcopis deſignandis Canonum decretis ſtatuta ſunt. 134
Cardinalium priuilegia in Eccleſiis parochialibus vacantibus quando non valent. 148
Carnis deſideria. 2
Carthaginenſe Concilium 163
Caſtitatis donum. 128
Catalogus Legatorum, Patrum, Oratorum & Theologorum omnium, qui ad Concilium Tridentinum conuenerunt. 312
Catecheſis vulgari lingua à Parochis explicanda, curante Epiſcopo. 138
Catecheſis ſingulis Sacramentis præſcribenda. ibid.
Caſus occulti, reſeruati Sedi Apoſtolicæ. ibid.
Caſuum reſeruatio. 64.70
Caſuum reſeruatio nulla in articulo mortis. 64
Caſuum reſeruationis ius. ibid.
Catechumeni. 17
Cathedralibus Eccleſiis qui præficiendi. 54.107
Cathedralium Eccleſiarum pluralitas prohibetur. 34
Cathedralibus Eccleſiis quibus pensiones imponendæ. 143
Cathedralibus Eccleſiis quę ſunt exigui fruſtus, quo modo prouidendum. ibid.
Cathedralium Eccleſiarũ pœnitẽtiarius doctor. vide Pœnitentiarius.
Cathedralem Eccleſiam ſimul & parochialem nemo retineat. 145
Cauſæ omnes fori Eccleſiaſtici in prima inſtantia ab Ordinariis cognoſcantur. 148
Cauſæ ciuiles. vide Ciuiles cauſæ.
Cauſæ exceptæ. 148
Cauſarum matrimonialium, & criminalium iudicium ad Epiſcopum ſpectat. 149
Cauſis finiendis biennium præſcriptum. 148
Cauſis biẽnio non finitis quod remedium. ibid.
Cauſæ matrimoniales quando extra prouinciam cognoſcuntur. 149
Cauſæ criminum grauiores contra Epiſcopos, à ſummo ſolum Pont. cognoſcendæ. 138
Celebratio Miſſarum. vide Miſſa.
Cenſuræ Eccleſiaſticæ, à iudicibus Eccleſiaſticis quando ferẽdæ. 165
Cenſuræ & interdicta Eccleſiaſtica, ſiue ab Apoſtolica Sede, ſiue ab Epiſcopo ſint, à Regularibus item publicentur, & obſeruentur. 158
Cæremoniæ, in Sacramentis miniſtrandis, non contemnendæ. 32
Cæremoniæ, & ritus in oblatione ſacrificij, quare inſtituti. 102. non ſunt impietatis irritabula. ibid. & 104
Cæremoniæ in ordine ſacro nõ cõtẽnendæ. 114. in nuptiis non damnandæ. 136

Ceremoniæ nisi quæ ab Ecclesia receptæ sunt, & pio frequentique vsu, stabilitæ, in Missarum celebratione ab Episcopo non permittantur. 106
Character quid. 32. imprimitur in Baptismo, Confirmatione, & Ordine. 113. non potest deleri. ibid.
Choreæ Clericis prohibentur. 107
Chrisma sacrum. 34
Calcedonense Concilium. 121
Christus, sol iustitiæ, fidei nostræ author, & consummator. 14
Christus, ante legem, & in lege Patribus promissus. 15
Christus, secundus Adam. ibid.
Christus, omnium Sacramentorum author, & perfector. 114
Christus, causa salutis æternę omnibus obtemperantibus sibi. 19
Christus, tãquam caput in membra, & vitis in palmites. 122
Christus, datus non tantùm vt redemptor, sed vt legislator. 25
Christus meruit nobis iustificationem per suam passionem, & satisfecit pro nostris peccatis. 15
Christus, pro omnibus mortuus, sed omnes non saluantur. ibid.
Christus totus sumitur sub qualibet specie Eucharistiæ. 93
Christus sedet ad dexteram Patris, & tamen nobiscum est in Eucharistia. 47
Christi amor erga nos. 51
Christi resurrectionis vis. 18
Christi aduentus mysterium. 15
Christiani. 25
Ciborum delectus seruandus 178
Circunstantiæ peccati, vide Peccati circunstantiæ.
Citari Episcopus personaliter non potest, nisi ex causa, ob quam priuandus esset. 55
Ciuilibus in causis definiẽdi modus, iudicibus Ecclesiasticis præscriptus. 165
Ciuilibus & criminalibus in causis quando appellationi locus est. 54
Clandestinorum matrimoniorũ correctio. 129
Clandestinis in matrimoniis Parochi officium. vide Parochus.
Claues datæ ad soluendum, & ligandum. 65
Clauium potestas. 61. 70
Claustralium monachorum Sacræ scripturæ interpretes non examinantur ab Episcopo. 11
Clemens quintus. 74
Clerici concubinarij. vide Concubinarij.
Clerici coniugati quo modo prima Tonsura gaudeant. 118
Clerici peregrini sine commendatitiis Episcopi sui literis ad sacra facienda non recipiantur. 105. 121
Clerici, bona, & iura Ecclesiastica vsurpantes, qua pœna puniantur. 110
Clerici, qui debitum Ecclesiæ officium non præstant, qua pœna multentur. 108
Clerici ordinandi certo loco, & Ecclesiæ adscribantur, vbi suis fungantur muneribus. 121
Clericorum vestitus & habitus. 74
Clericis aleæ, comessationes, lusus prohibentur. 107
Clericorum vita. 71
Clericorum mendicitati prouidetur. 96
Clericorum peregrinationi occurritur. 121
Clericorum vitia punienda, appellatione remota. 107
Clericos corrigendi facultas, Ecclesiarum prælatis amplè tributa. 73
Clericus homicida, vide Homicidũ.
Clericus secularis, nisi beneficium habet

habet, quod ei ad victum satis sit, non promoueatur. 96
Cluniacēsis monasterij priuilegium. 158
Coadiutores in Ecclesiis parochialibus quando dandi. 98
Coadiutoriæ cum futura successione tolluntur, & quo modo permittuntur. 168
Cognatio spiritualis, quæ contrahitur ex Baptismo & Confirmatione, quos attingat. 130
Collatio quorumcunque Ordinum gratuita. vide Ordo.
Collegij puerorum instituendi via & ratio. vide Seminarium.
Collegia literas dimissorias concedendi ius non habent, vt quis ordinetur ab aliis. 119
Collegia, & Confraternitates, etiam laicorum, visitandi ius est Episcoporum. vide Episcopus.
Collegiorum personæ quomodo sint exemptæ. 140
Collegiorum priuilegiis, quo modo ordinarijs non detrahitur. 161
Collegiatæ Ecclesiæ nobilis alicuius opidi qua ratione curent stipendium interpreti sacræ Scripturæ. 10
Colloquia & confabulationes ne habeantur, quo tempore sacra fiunt. 2. & 106
Commessationes Clericis prohibentur. vide Clerici.
Comites Palatini in beneficiis non liberi ab Ordinariorum iurisdictione. 140
Commendæ, seu commendata monasteria. vide Monasteria.
Commissio grauiorum causarum criminalium contra Episcopos, specialis sit, & manu summi Pōtificis signata, neque cuicunque deferatur. 138
Commissiones causarum in prouinciis, præter Ordinarios, quibus faciendæ. 171. 172
Communionis sub vtraque specie & paruulorum doctrina. 92. ad communionem sub vtraque specie qui non astringantur. ibid. in cōmunione sub qualibet specie totus, & integer Christus sumitur. 94
Compatres in Baptismo qui. 130
Conceptio Mariæ virginis. 10
Concilia prouincialia renouentur. 135. quibus de causis, & quo tempore habenda. ibid. eorum inquisitio qualis de iis, qui Episcopi creandi sunt. 135. vide Prouinciale Concilium.
Concilij Tridentini inchoatio. 1. translatio. 40. resumptio. 45. suspensio. 81. celebratio Pio IIII. Pont. 86. eius cura præcipua qualis. 2. in eo viuendi modus. 3
Concubinatus graue peccatum. 132
Concubinarij seuerè puniuntur. ibidem
Concubinarij Clerici pœna. 173
Concubinarij Episcopi, à Synodo prouinciali moniti, nisi se emendauerint, ad Romanum Pontificem deferantur. 174
Confessio lapsis post Baptismum necessaria iure diuino instituta. 61. 68
Cōfessio non est carnificina, neque impossibilis. 61
Confessio est iure diuino necessaria. ibidem
Confessio secreta. 62
Confessionis minister. 63
Confitendi in quadragesima laudabilis mos. 63. 69
Confiteri necesse est occulta etiam peccata. 61. 69
Confiteri peccati circunstantias. 62. quæ peccata debemus. 61. venialia etiam

etiam. ibid.
Confessiones audire quibus Presbyteris liceat. 121
Confessionum libros prçcipuè discant pueri in Seminarij collegiũ coaptati. 122
Cõfessio Monialiũ. vide Moniales.
Confirmatio, Sacramentum. 33
Confirmationis minister Episcopus. 34
Confirmationis Sacramentum habeat, qui prima Tonsura est initiandus. 117
Confirmatio inter quos spiritualem cognationem contrahat. 130
Confraternitates. 110
Consanguinei & familiares Cardinalium, & Episcoporum ne fructibus Ecclesiasticis locupletes fiãt. 163
Consecratio quo loco facienda. 117
Consecrationis tempus, Episcopis & Cardinalibus, qui cathedralibus præsunt, præscriptum. ibid.
Conseruatores Iudices tribunal erectum non habeant. 74
Conseruatoriæ literæ quibus, quando, & quibus in causis nihil prosint. 73
Cõsistorio vno proponitur Ecclesia, & in alio fertur iudicium. 134
Consuetudo Ecclesiæ in dandis Indulgentiis. 178. in seruanda Eucharistia pro infirmis. 50
Consuetudo Ecclesiç laudabilis confitendi peccata in Quadragesima, est retinenda. 63
Consuetudo Ecclesiastica de non re baptizando lapsos post baptismum. 59
Consuetudo Ecclesiastica. 50. 52. 59. 63. 64. 69. 103. 126.
Cõsuetudo immemorabilis morum corruptela est. 129
Contritio quid. 60. omni tempore necessaria. ibid. cessatio à peccato, vitæ nouæ propositum, & veteris detestatio &c. ibid.
Contritio imperfecta, Attritio dicitur. 61. non facit hypocritam, nec magis peccatorem. ibid. & 69. libera & voluntaria. 61
Constantiense Concilium. 80. 90
Conuentus monachorum Sacræ scripturæ interpretem habeãt, si in iis studia vigere possunt. 11
Conuertitæ, seu Pœnitentes mulieres. 160
Cooperari. 17. 23
Criminales causæ cognoscuntur ab Episcopo, neque in iis quidquam valent literæ conseruatoriæ. 73
Criminales causæ non Decanorum, neque Archidiaconorum, aut inferiorum iudicio relinquantur. 149
Crimina Episcoporũ leuiora à quo iudicanda, grauiora item. 138
Criminosi publicè & notoriè Clerici sancto altari non ministrẽt, aut sacris interfint. 105
Curati residere ab Episcopis compellantur. 28
Curati, oues suas cognoscere, & pascere, prçcepto diuino iubẽtur. 115
Curatorum inferiorum non residentium pœna. 116
Curati quales esse debent. 140
Curati Rectores, Abbatibus subiecti, à Metropolitanis ad prædicationem compellantur. 12
Curati inferiores per se, vel per idoneos, Dominicis saltem diebus, & festis solennibus, prædicent, in hoc munere illorum negligẽtiam variis modis Episcopo corrigere licet. ibid.
Curati Synodo diœcesanæ interfint. 135

Curata beneficia plura in commendam data simul cum vnionibus ad vitam, reuocantur. 35
Curata beneficia vnita, aut annexa visitare singulis annis Episcopi debent. ibid.
Curata plura detinentium pœna. ibidem
Curata beneficia in simplex beneficium non conuertantur. 175
Curatis beneficiis, quæ monasteriis subiecta sunt, nemo præficiatur sine examine, & consensu Episcopi. 158
Curiosa à popularibus concionibus secludantur. 151

D

DEambulationes & actiones seculares omnes ab Ecclesia tollere, curent Episcopi. 106
Decalogi præcepta ad Christianos pertinere. 25
Decalogi duo vltima præcepta si violantur, nonnunquam grauius animum sauciant, & contra illa duo si quæ admittuntur, periculosiora. 61
Decanorum visitatio qualis. 136. quas causas non iudicant. 149. 174
Decimarum solutio. 173. eas qui impediunt, excommunicantur. ibid. earum assignatione occurritur tenuitati parochialis Ecclesiæ. 143
Decreta Concilij Tridentini Synodis prouincialibus & diœcesanis recipiantur. 164
Decreta de Ecclesiastica disciplina, quo modo intelligenda. 179
Decretum de inchoando Concilio. 1
Decretum de modo viuendi, & aliis, in Concilio seruandis. 1
Decretum de Symbolo fidei. 3
Decretum de Canonicis scripturis. 5
Decretum de editione, impressione & vsu sacrorum librorum. 6
Decretum de peccato originali. 18
Decretum de iustificatione. 4
Decretum de Sacramentis. 30
Decretum de translatione Concilij. 40
Decretum de resumendo Concilio. 45
Decretum de Eucharistiæ Sacramento. ibid.
Decretum prorogationis definitionis quatuor articulorum de Sacramento Eucharistiæ. 56
Decretum prorogationis sessionis. 41. 42. 45. 77. 91
Decretum suspensionis Concilij. 81
Decretum de celebrando Concilio. 86
Decretum de delectu librorum &c. 87
Decretum de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ. 105
Decretum super petitione concessionis Calicis. 111
Decretum de reformatione matrimonij. 128
Decretum de residentia. 27. 115
Decretum de reformatione. 10. 27. 53. 71. 95. 107. 115. 128. 133. 163
Decretum de Purgatorio. 150
Decretum de inuocatione Sanctorum. 151
Decretum de Regularibus & Monialibus. 155
Decretum de Indulgentiis. 178
Decretum de delectu ciborum, ieiunij, & diebus festis. 178
Decretum de fine Concilij, & Confirmatione petenda à S.D.N. 180
Depositionis causæ à quibus cognoscantur. 54
Derogationes quæ non faciẽdæ. 166
Deus vnus & idem author noui & veteris

teris testamenti. 5. eius magna clementia. 15. eius iudicium sicut misericordia, ante oculos habenda. 22. eius iudicio vita nostra examinabitur. ibid. eius bonitas. ibidem. eius gratia semel iustificatos non deserit, nisi deseratur ab illis. 19. is reddit vnicuique iuxta opera sua. 22. non iubet impossibile. 19. bonum opus inchoatum perficiet. ibidem

Diaboli imperium. 8. tentationibus quo modo facilè resistitur. 67

Diaconatus. 121

Diaconi. 112. quo modo ordinandi. 120. eorum ætas. ibid. continentia. ibid.

Dignitates Ecclesiasticæ quare institutæ. 140. quibus conferendæ. ibidem. in iis collocati resideāt. ibid. per quot menses abesse possint. 141. sacris initiati. ibid. debent suscipere requisitos ordines. ibid.

Diligentes Christum, eius mandata seruant. 19

Dimissoriæ literæ. vide Literę dimissoriæ.

Diœceses quare distinctæ. 75

Diœcesana Synodus, singulis annis habenda. 135

Diœcesanæ Synodi ius deligendi quatuor iudices ad delegatas causas. 173

Diœcesanę Synodo qui interesse debent. 135

Diœcesana in Synodo iusiurandum præstandum, de seruandis Tridentini Concilij decretis. 164

Disceptationes contentiosæ sunt vitandæ. 3

Disciplinæ Ecclesiasticæ restitutio. 17. quo modo conseruatur. 53. 141. in ea quo modo adolescentes perseuerare possunt. 122

Disciplinæ monasticæ restituendæ quæ necessaria. 161. 162

Dispēsationes extra Curiam Romanam Ordinariis cōmittantur. 109

Dispensatio de promouendo à quocunque non valet nisi cum cōmen datitiis Episcopi literis. 119

Dispensatio ad contrahendum matrimonium nunquam detur, aut raro, idq; ex causa, & gratis. 131

Dispensatio in secundo quibus datur, & ob quam causam. ibid.

Dispensationes de transferēdo se ad alium ordinē quo modo dātur. 76

Dispensationes de non residendo in perpetuum non suffragantur: tēporales verò quando valeant. 29

Dispensationes, de non promouēdo, ad annum suffragentur. 36

Dispensatio de homicidio volūtario non datur: de casuali quando. 75

Dispēsare in Canonum Decretis, ob quas causas liceat. 176

Dispositio ad gratiam. 16. 23. 61

Distributiones quotidianæ si nullæ, aut tenues, quid agēdum. 96. 144. ex fructibus dignitatum quo modo ab Episcopo diuidendæ. 107. à quibus recipiendæ. 142

Diuinis interesse, aut Missas celebrare, qui publicè criminosi sunt, prohibentur. 105

Diuinorum officiorum ratio, tam de cantu, quàm de certa lege in choro permanendi, à Synodo prouinciali præscribenda. 142

Diuortium, quoad thorum, sit ad tempus. 127

Doctores sint Archidiaconi. 141. iis conferantur dignitates. ibid.

Doctores, Magistri, & Licentiati in theologia, vel aliqua Academia approbati cathedralib. præficiēdi. 106

Doctores Vniuersitatum, initio cu-

iusque anni, iurent se seruaturos decreta Tridentini Concilij. 164
Doctrina de Pœnitentia, & extrema Vnctione. 68
Doctrina de Communione sub vtraque specie. 92
Doctrina de Missæ sacrificio. 10
Doctrina de Sacramento Ordinis. 112
Doctrina de Sacramento Matrimonij. 126
Dogmata, & Canones huius Synodi. 14.23.30.51.58.68.92.100.112. 114.150
Dominicis diebus, & festis solennibus pascendus à Parocho populus salutaribus verbis. 12. ad parochiã suam populus accedat. 105
Domini temporales monentur, vt decreta Tridentinæ Synodi obseruent, & obseruanda curẽt. 180. ne cogant subditos ad matrimonium contrahendum. 132
Domus Dei nihil præposterum, inhonestum, tumultuarium, aut profanum habere debet. 133
Duellorum vsus Diaboli inuentum. 176. qui ea committunt, & eorum Patrini, & spectatores, & qui dant consilium, qua pœna puniantur. ibidem.

E

ECclesia columna veritatis. 48. pia mater. 56. edocta à Christo, & ab Apostolis. 47. communis mater inuitat hæreticos ad Concilium. 88. sperat hæreticorum conuersionem. 56. in quos exercet iudicium. 59. non errat. 127. iustis de causis communicauit laicos sub vna specie. 93
Ecclesiæ iudiciũ de vero sensu Scripturę. 6. eius mandatorum obseruantia. 19. eius præcepta seruare baptizati teneantur. 32. eius vsus in Sanctorum inuocatione. 151. eius potestas in dispensatione Eucharistię, & aliorum Sacramẽtorum. 93. eius facultas in gradibus affinitatis. 127
Ecclesia primitiua. 67
Ecclesia Romana. 26.32.67.71.103. 105. mater & magistra omnium Ecclesiarum. 32.67.103
Ecclesia cathedrali vacante, preces habendę ad Deum. 133
Ecclesiæ dignissimis conferantur. 27. earum status ex dignitate conseruandus. 97
Ecclesiæ, quarũ exigui sunt fructus, habeant saltem magistrum grammaticę. 11
Ecclesiarum cathedralium pluralitas. vide Cathedralium.
Ecclesiæ, omnes etiam collegiatę, & parochiales, habeant ministros, qui minorum Ordinum munera obire possint. 121
Ecclesię dirutę in profanos vsus non conuertantur. 98
Ecclesię cathedrales, & parochiales, quibus pensionum onus non imponendum. 144
Ecclesię receptiuę. 146
Ecclesię patrimoniales. ibid.
Editio vulgata sacrorum Bibliorum retinenda. 6
Electi Dei non possunt sciri, nisi ex speciali reuelatione. 20
Electio Abbatum, Generalium, Abbatissarum, & omniũ Prælatorum quo modo habenda. 156
Electioni Monialium qui præsunt, claustra ingredi non licet. ibid.
Eleemosynarũ quęstores. vide Quęstores.
Eleemosynarum, & piorum locorum admi

administratores rationem Episcopo reddant. 110
Episcopi quales. 2. eorum munus in Concilio. ibid.
Episcopi quibus in causis vt Apostolicæ Sedis delegati. 11. 12. 29. 35. 37. 57. 73. 97. 98. 99. 109. 110. 139. 144. 157
Episcopi in locum Apostolorum succesſerunt. 113
Episcopi sunt presbyteris superiores. ibid.
Episcopi creati à Romano Pontifice, sunt legitimi Episcopi. 114
Episcopi sunt ministri sacramenti Confirmationis. 34
Episcopos, à Spiritu sancto positos, regere Ecclesiam Dei. 113
Episcopi in vltimarum voluntatum cõmutationibus cognitores. 109. piarum dispositionum executores. ibid.
Episcopis datur potestas tollendorum abusuum, qui in Missa exorti sunt. 105. non licet in aliena diœcesi Pontificalia exercere. 29
Episcoporum munus, vitia coarguere. 71. docere, subditos suis Præpositis obedire, sacrorum Conciliorum decreta commendare, populum docere, quæ pietatẽ augent. 179. eorum officium in imaginum locatione, in probatione nouorum miraculorum. 153
Episcoporum legitimus in atrociori Clericorum crimine numerus aliquando non requisitus. 54
Episcopus prædicet. 12
Episcopus examinat dę moribus & scientia omnes sacræ Scripturæ interpretes, præter Claustrales. 11
Episcopus quibus casibus citari possit, vel non possit. 56
Episcopus de absolutione male imperrata cognoscit. 55
Episcopus curet: vt Decretum de Clandestinis matrimoniis in singulis parochiis publicetur. 130
Episcopus inuitis rectoribus, nouas parochias quando erigere potest. 97
Episcopus, non residens, qua pœna punitur. 29.
Episcopo honor debitus à Principibus deferatur. 163
Episcoporum modesta supellex, mensa, frugalis victus. 2. 163
Episcoporum causæ. vide Causæ.
Episcopi titulares. vide, Titulares.
Eucharistiæ sanctissimi Sacramenti institutio. 48
Eucharistiæ excellentia. ibid. cultus & veneratio. 49. vsus. 50. eius asseruandæ, & ad infirmos deferendæ consuetudo. ibid. in ea realis præsentia Iesu Christi. 47. de ea canones. 51. vsque ad. 52
Eucharistia est symbolum vnitatis. 47. pignus futuræ gloriæ. 48. eius adoratores nõ sunt idololatræ. 52. ne intra sepia, aut chorum monialium seruetur. 157
Eugeniana constitutio curatis non suffragatur contra Episcopos. 117. neque curialibus & familiaribus Cardinalium. 140
Examinatores futurorum Parochorum in diœcesana Synodo constituendi. 146
Excommunicatio, gladius Ecclesiasticæ disciplinæ. 165
Excommunicationes, & censuræ Ecclesiasticæ quando ferendæ. ibid.
Excommunicantur virginum raptores, eorũ fautores, 131. Clerici concubinarij, 173. qui bona ecclesiastica occupãt, 110. qui virginẽ, vel viduam, aut mulierem aliquam inui-

tam compulerint monasterium ingredi. 160. domini, qui seruos matrimonium contrahere cogunt. 132. duellorum spectatores, patrini, fautores. 176.
Excommunicatus, non resipiscens, qua pœna puniatur. 166
Exemptarum Ecclesiarum, locorum quorumcunque piorũ, etiam Montis pietatis, & exemptorum monasteriorum visitatio est Ordinarij. 36. 109
Exempti omnes subiecti sunt Ordinariis, & quando non. 140
Exorcistæ. 112
Expectatiuæ non dentur, datæ abrogentur. 148
Extrema vnctio cur instituta. 66. est verum Sacramentum. 70

F

FAbricæ Ecclesiæ attribuẽdi fructus Episcoporum absentium male percepti. 116. tertia item pars fructuum beneficiorum Concubinarij. 173. illius administratores visitantur ab Episcopo. 110
Facultates de promouendo à quocũque, & de non promouendo. vide Dispensatio.
Familiares Cardinalium qua in re à Iurisdictione Ordinarij non sunt liberi. 140
Familiares Episcopi quales. 2. quando ab illis ordinandi. 119. & qui ex illis conseruatoriarum literarum priuilegio gaudent. 74
Festi dies Sanctorum quo modo celebrandi. 153
Festum Corporis Christi. 49
Feudalia directis dominis qua causa acquirantur. 176
Fides, nostræ salutis initium, & radix iustificationis. 18. non amittitur per peccatũ mortale. 21. sine operibus mortua est. 17. cooperatur bonis operibus. 18. sine ea impossibile est placere Deo. ibidem. in Christo nihil valet, nisi ea, quæ per dilectionem operatur. 17. & alia, quæ decreto de Iustificatione continentur. 14
Fidei rudimẽta in singulis parochiis pueri doceantur. 137
Fidei professio. vide Professio.
Fiducia hæreticorum inanis. 18
Filij Clericorum illegitimi pensiones non habeant in Ecclesia in qua pater habet, vel habuit beneficium: si verò habent, huic rei prouisum est. 174
Filij Dei Christum diligunt. 19. licet in hac vita quantumuis sancti in venialia peccata cadant, non propterea desinunt esse iusti. ibid.
Fori Ecclesiastici causæ in prima instantia ab Ordinariis cognoscuntur. 148
Fori priuilegio Tonsurati quando gaudent. 118
Fratres minoris obseruantiæ. vide Capucini.
Fructus in absentia quibus dantur. 116. à curatis in absentia percipi nõ possunt. 12. malè percepti nullo modo retinentur. 116. tuta conscientia à quibus non recipiuntur. ibid.
Frugalitatis exemplum dare debent S. R. E. Cardinales, & Episc. 2. 163
Funeralium Quarta. vide Quarta.

G

GEhennæ metus facit, vt à peccatis abstineamus. 61
Generales Ordinum quo modo eligendi. 156. decreta Synodi de Regularibus statim exequantur. 162
Gradus affinitatis & consanguinitatis. 127. 130. 131.

Grammaticæ magister in Ecclesiis tenuium reddituum. 11
Gratia Dei præueniens, adiuuans. 15. eam consecutum se esse nemo scit certitudine fidei, cui non possit subesse falsum. 18. & alia, quæ ibidem continentur.
Gratis fiant dispensationes. 176
Gregorius decimus. 35
Gubernatores Ecclesiastici quo modo possunt contra Clericos procedere. 149
Gymnasia publica sacræ Scripturæ lectorem habeant, qui & moribus, & scientia ab Episcopo probetur. 11

H

HAbitus Clericalis à quibus deferendus. 74. 118. 122
Habitus religionis nullo priuilegio, occultè ferendus. 161. post quinquennium non deponendus. 160
Hæresis suspectus quis. 166
Hæresis crimen in foro conscientiæ quis absoluit. 138
Hæresim prædicantium pœna. 13
Hæretici, sub prætextu Euangelij, libertatem carnis introducunt. 126. omnes anathematizantur. 182
Hæreticorum inanis fiducia. 18. callida ingenia. 21. Nouatores. 65
Hereditariæ successiones beneficiorum canonibus odiosæ. 168
Historiæ mysteriorũ nostræ redemptionis. 153
Homicidij de industria facti pœna, eiusque casu facti dispensatio. 75
Hospitalia visitanda. 109. fideliter administranda curante Episcopo. 37. ea obtinentes debitum munus exerceant. 169. alia de Hospitalibus decreta. 109. 110. 169

I

ILliteratis Ecclesiarum parochialium rectoribus coadiutores dantur. 98
Imagines Christi, Deiparæ, Sanctorum, in templis habendæ: earum cultus, qualis. 151
Immunitas Ecclesiastica restituenda, de ea canones seruandi. 177
Impedimenta, propter affinitatem, ex fornicatione contracta. 131
Impressoribus modus imponitur. 7
Indulgentiarum vsus maximè salutaris: qui earum potestatẽ negant, anathemate damnantur. 178
Indulgentiæ ad pietatem, non ad quæstum, exercendæ. 99. & à quibus proponendæ. ibid.
Indulta ad alienas Ecclesias nemini concedantur, concessa abrogentur. 148
Infames qui. 131
Infidelitate amittitur fides. 21
Innocentius III. 35. 140
Innocentius IIII. 37. 138
Inquisitio, de moribus, & vita eius, qui cathedrali Ecclesiæ præficiendus est: eadem in Cardinali seruetur, quæ in Episcopo. 133. 134. 135
Instantiæ primæ causarum quo loco cognoscendæ. 54. 148
Irregulares quomodo, & quando ab Episcopo dispensari possunt. 138
Irreuerentia, ab impietate vix seiuncta. 105
Iudices breui causas finiant. 172. Ecclesiastici quando censuris Ecclesiasticis vti possunt. 165
Iudices quatuor in singulis diœcesibus deligendi. 172
Iudicium Dei ante oculos quisque habere debet. 22
Ius patronatus. 76. 146. 169
Ius patronatus ex fundatione. 170. & cætera quæ de eo à Tridentina Synodo

nodo decreta sunt, eo capite leguntur. 170.171
Iusti per Dei iustitiam, verè iusti sunt. 17
Iustificationis causæ. 16.
Iustificationis acceptæ incremẽtum. 18. ad eam modus prẹparationis. 15. ad eam naturæ & legis imbecillitas. 14. necessitas prẹparationis in adultis. 15
Iustificati per Christum. ibid.
Iustitia publicæ honestatis. 131

L

LApsi post Baptismum quomodo amissam gratiam recuperent. 26. eorum reparatio. 20
Lateranense Concilium magnum. 34. 141.
Lateranense vltimum. 7
Latinam linguam sciant, qui minoribus Ordinibus initiantur. 119
Latriæ cultus, qui debetur Deo, etiam exhibendus est Christo in Eucharistia. 49. 52
Lectio sacræ Scripturæ quibus locis instituenda: lectores quales, quo priuilegio gaudent, stipẽdium iis qua ratione decernendum. 12
Lectores. 112
Legati de latere & Nuncij quæ impedire non possunt. 149
Legislator Christus. 25. eius lex. 32
Legis & naturæ ad iustificationem imbecillitas. 14
Legis Moysi impotentia ad iustificationem. 14
Libertas Ecclesiastica non violanda. 177
Liberum arbitrium. 14. 23
Libri Canonici veteris & noui Testamenti. 5. 6
Librorum approbatio ab Ordinariis quo modo facienda. 7
Librorum delectus. 87
Librorum indici corrigendo præfecti Patres. ibid.
Licentiati cathedralibus præficiendi. 107
Litigatorum artibus quo modo occurrendum. 149
Literæ conseruatoriæ. 73. 74. commendatitiæ. 121. dimissoriæ. 36. 119
Locationes bonorum Ecclesiasticorum emendatæ. 172
Lucrum turpe prohibendũ. 105. 152
Lugdunense Concilium. 35. 37. 99
Lusus & luxus Clericis prohibetur. 107

M

MAgistri in Theologia. vide, Assumendus.
Maiores ordines, & minores quo modo, & quibus conferendi. 118. 119
Mandata de prouidendo. vide, Expectatiuæ.
Mandatorum Dei obseruantia, & eorum possibilitas. 19
Mare magnũ, quod vocat, nõ obstat decreto Concilij de Regularibus. 162. 173. neq; Quartæ funeraliũ. 173
Mariæ virginis conceptio. 10
Maria virgo immaculata fuit ex priuilegio sine peccato veniali. 10. 26
Martyrum reliquiæ. 152
Matrimonia clandestina Ecclesia semper detestata est. 128
Matrimonia ritè & solenniter contrahendi modus. 129
Matrimonij libertatem impedientium pœna. 133. atque alia, quę ad Matrimonij rationem pertinent, in Decreto de reformatione Matrimonij continentur. 128

Matrimonij perpetuum indissolubilémque nexum, Adam diuini Spiritus instinctu pronũtiauit. 126
Matrimonij vinculo duos tantummodo copulari & coniungi, Christus apertissimè docuit. ibidem
Matrimonium, Sacramentum magnum, veteribus connubiis gratia præstat. 106. à Christo institutũ, & gratiam confert. 127. propter hæreſim non soluitur. ibidem. ratum, non consummatum potest dirimi per *solennẽ religionis ingressum*. ibidẽ. eius cærimoniæ non damnandæ. 128. eius prohibitio certis anni temporibus. ibidem
Mensæ Episcopalis sobrietas, ac frugalitas. 2. 163
Mensa apud Apostolum altare significat. 101
Mercenarij, à cura animarum arcendi. 115
Merita passionis Christi. 17
Meritoria opera quando sunt. 22
Meritum bonorum operum. 18
Metropolis. 115. 134. 145. 153
Metropolitano quãdo licet Synodũ prouincialem habere. 135. cathedrales visitare. 136. Sede Episcopali vacante Vicarium constituere. 144. eiusdem officium in erectione congregationis monasteriorum. 157
Milites S. Ioannis Hierosolimitani immunes à portione, Seminario tribuenda. 123
Ministri Sacramentorum. 31
Miracula noua nulla admittantur sine Episcopi approbatione. 153
Missa, non vulgari sermone celebranda. 105. continet magnam populi fidelis eruditionem. ibid.
Missæ verum sacrificium. 100. verè propitiatorium. 101. prodest non solùm sumenti, sed aliis. 104. in eius celebratione quæ vitanda. 105
Missæ in memoriam Sanctorũ. 102. horis debitis celebrẽtur. 106. non in ædibus priuatorum. ibidem. ritibus consuetis celebrẽtur in Ecclesia. 105. qui celebrare prohibentur. ibid.
Missæ priuatæ cõmendantur. 103. 104
Missæ mortuorum quomodo disponendæ. 166
Missæ nouæ. 105
Missarum celebratio à curatis frequentanda. 121
Monachi ad publicas processiones accedere compellantur. 158. decreta Tridentinæ Synodi seruẽt. 164.
Monasteria visitentur. 157. commendata. 99. 161. Sedis Apostolicæ subiecta, quomodo visitantur. 157. in iis erigantur congregationes. ibid. quæ sunt capita Ordinum, quo modo visitanda. 161. curam animarum habentia, quo modo disponuntur. vide Curata beneficia.
Monasticæ vitæ disciplina restituenda. 161
Moniales sæpe confiteantur, & Eucharistiam sumant. 157.
Moniales ter in anno confiteantur confessori, qui ab Episcopo constitutus sit. ibidem.
Moniales neque vi, neque metu ad ingressum Religonis compellantur. 160.
Moniales bona mobilia, & immobilia, vt propria, non habeant. 154
Montes Pietatis. 109

N

NAturæ impotentia ad iustificationem. 14

Negotia secularia non sunt Clericorum. 107
Nicænum Concilium. 50. secundum. 152
Niniuitarum pœnitentia. 61
Nouatiani cur explosi. 59
Nouatores. 65
Nouitij & Nouitiæ ad professionem quando admittendæ. 159
Nullius diœcesis loca sub iurisdictione Episcopi. 119.139.
Nuncij Apostolici quæ impedire non possunt. 149
Nuptiæ prohibentur certis anni temporibus. 133

O

OBicem ponere gratiæ Dei. 31
Oblatio mũda apud Malachiam quæ. 101
Obligatio Regul. quando valet. 159
Oeconomi institutio, sede Episcopa livacãte ad Capitulũ pertinet. 144
Offerri Christum in Missa non est idem, quod manducari. 104
Opera non grata sine Christi virtute, 22. absque Dei gratia non possunt iustificare, ibid. non sunt tantũ signa & fructus, sed causa augendæ iam adeptæ iustificationis. 26
Operantibus bene vsque in finẽ promittitur vita æterna. 22
Oratoria ab Episcopis visitantur. 106. deputata ad Missarum celebrationem. ibid.
Ordinatio ab ipso Episcopo facienda. 117. quibus præsentibus habenda. 118. in digniori Ecclesia, adhibitáque diligenti Episcopi inquisitione. ibidem
Ordines maiores. 118
Ordines sacri duo eodẽ die non conferuntur. 120. quibus & quando conferendi. 117. ætas singulis præscripta. 120. eorum functiones restituendæ. 121 eorum nomina. 112
Ordinis sacri doctrina. 112. canones. 114
Ostiariatus. 112. 121
Ouium munus erga pastores. 175

P

PArochiæ nouæ. 97. collapsæ restituendæ. 98. quando transferantur. ibid. quando vacabũt quomodo prouidendum. 146. si tenues sunt, remedium. 148
Parochi officium in benedicendis nuptiis. 129. in Catechesi exponenda. 138. in sacris eloquiis explanandis. 146. si pauper, à quibus alendus. 175.
Paruuli ad Eucharistiæ perceptionẽ non obligantur. 94
Paruulorum Baptismus. 33. communio. 94
Pastores non relinquant suum gregem, vt aliis præsint. 75
Pastoris munus. 53.73.122.124
Patrini quid polliceantur. 33
Peccantes publicè sunt palàm corripiendi. 139
Peccatum mortale. 21.26.60.61. originale. 8. veniale. 19.26.
Peccatorum cõfessio non est impossibilis. 69
Pensiones. 145. pro seminario. 124. quando imponendæ cathedralibus, aut parochialibus. 143
Perseuerantiæ donum. 20.25
Petrus, princeps Apostolorum. 19. 58.84
Picturæ quid erudiant. 152
Plebani diebus dominicis & festis solennibus plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere debent. 12
Pluralitas beneficiorum. 145

Plures cathedrales, & plura curata qui obtinent, qua pœna puniuntur. 33
Pœna temporalis non semper tota dimittitur. 21.64.70
Pœnitentia, Sacramentum. 68. eius institutionis necessitas. 58. differentia cum Baptismo. 59. partes, & fructus. 60
Pœnitentiarius in cathedrali. 139
Pœnitentes mulieres, quæ & Conuertitæ dicuntur. 160
Pontificalia. 29.72
Pont. est prouidere Ecclesiis de pastoribus, cùm non residet. 28
Pontificis Maxi. summa authoritas. 64.177
Pontifex causas Episcoporum graues terminat, & cognoscit. 55.138
Ponti. Maxi. suprema authoritas in Ecclesia, qui grauiora crimina sibi reseruat. 64
Pontifex Concilium suspensum reuocat. 83
Pont. absoluit eos, qui ob bona Ecclesiastica occupata, excommunicantur. 110
Pont. prouidet de Calicis concessione. 111
Pont. authoritate assumpti Episcopi, legitimi sunt. 115
Pont. legitimas causas absentiæ Episcoporum in scriptis approbat. 115
Pont. de promouendis Episcopis habet approbationem Synodi prouincialis. 134
Pont. prouidet Ecclesiæ in creatione Cardinalium. ibid.
Pont. munus est solicitudo vniuersæ Ecclesiæ. 135
Pontif. causam extra curiam quibus committat. 138. cui reseruatur sententia definitiua. ibid.
Pontifex quo modo prouidebit Ecclesiis tenuium reddituum. 142
Pontifex prouidet resignantibus plura beneficia. 145
Pontifex quas causas iudicat auocare, &c. 148
Pontifice inconsulto, nihil nouum, aut hactenus in Ecclesia inusitatum decernatur. 153
Ponti. commendatis Ecclesiis præficiet Regulares. 161
Pont. vtitur consilio Cardinalium in administratione Vniuersalis Ecclesiæ. 164
Pontifici obedientia præstanda est. 177
Pont. curat, quando Patriarchę & cæteri nolunt venire ad Synodum prouincialem. 164
Pont. curat Vniuersitates, quæ visitandæ sunt. ibid.
Ponti. curat de coadiutoriis disponendis. 98
Pont. cognoscet personas designatas ad causas in partibus. 172
Pontifici deferenda est causa Episcopi concubinarij. 174
Pont. sua authoritate statuet de abusibus, circa vsum indulgentiarum ortis. 178
Pont. D. N. Pius hoc Sacrum Concilium confirmauit. 183.308
Præbendas obtinentium residentia qualis esse debeat. 141
Præcedentiæ controuersia in Regularibus dirimatur. 158
Prædestinationis diuinæ arcanum mysterium. 20
Prædicare nemo debet absque sui superioris licentia. 13
Prædicatio quoties fieri debeat in Aduentu & Quadragesima. 137
Prędicationis munus præcipuum Episcopi. 12.137. qui item per se, seu per alios hoc munus præstare te-

nentur. 12. quo modo & quando præstandum. 146
Prælatorum Ecclesiæ officium. 29
Presbyter, quid significet apud S. Iacobum. 67
Presbyterorum ætas. 120. quales ordinandi. ibid.
Primates & cæteri Prælati, tenentur per se ipsos, ad prædicandum sanctum Iesu Christi Euangelium. 12
Priorum, & Priorissarum electio. 156
Priuilegia sunt causæ multarum turbationum. 140
Professionem fidei qui facere teneãtur. 141
Promouendi ad cathedrales. 107. ad minores Ordines. 120
Proponẽtibus legatis, &c. quomodo intelligantur hæc verba. 150
Protonotarij. 140
Prouinciale Concilium. 135
Purgatorium. 27. de eo doctrina. 150

Q

QVadragesimæ tempus. 63
Quadragesimæ tempore curati ab Ecclesiis suis abesse non debent. 116
in Quadragesima & Aduentu Domini, quotidie vel saltem tribus in hebdomada diebus prædicatio fieri debet. 137
Quæstiones difficiles secludantur à popularibus concionibus. 150. similiter inutiles. 134
Quæstores eleemosinarij prædicare prohibentur. 13. tolluntur. 99
Quarta funeralium. 173

R

RAptores, & Raptæ. 131
Rebaptizari non licet. 33
Rectores. 97. 145. 146
Regressus tolluntur. 168
Regulares commendatis Ecclesiis à Pontifice præficiuntur. 161
Regulares quo modo sint ordinandi. 120
Regulares prædicare non præsumãt, contradicente Episcopo. 137
Regulares qua ratione vitam instituere debeant. 153
Regularium beneficiorum collatio emendata. 76
Reliquiæ Martyrum & aliorum sanctorum. 152
Reseruatio casuum in mortis articulo nulla est. 64
Reseruationibus fructuum quando non grauandæ Ecclesiæ. 144
Reseruationes mentales nemini conceduntur. 148
Residentia. 18. 115. 116
Residentia: lege superius, Abesse, & Curati.
Residere negligẽtes, salutis propriæ immemores sunt. 28
Residere cogãtur curati inferiores, cùm obtinent beneficia, quæ requirunt personalem Residentiam. ibidem
Residere, & per se ipsos curam exercere valentibus personis conferantur beneficia inferiora, præsertim curata. 34
Residentia cùm intermittitur, quid faciendum. 116
Residere negligentes, præter reatum peccati mortalis, pro rata temporis absentiæ, fructus suos non faciunt. 116
Residentiæ decretum tam sub Paulo III. quàm sub Pio IIII. in Conciliis prouincialibus publicãdum est, ne aboleatur. 117
Residẽtia quãdo facilè præstatur. 54

Resignatio beneficiorum. 146.175
Resignantibus plura beneficia Pontifex prouidet. 145

S

SAcramenta septem. 30. necessaria ad salutem. 31. à Christo institu ta. 30. gratiam continent. 31. aliud alio dignius. 30. eorum vis non amittitur, ministrorũ peccato mortali. 31. in iis conficiẽdis ministrorum intentio. ibid. non omnibus illa administrare licet. 31. ea sunt causæ instrumentales iustificationis. 17. eorum efficacia. ibid.
Sanctimoniales. 155
Sanctorum inuocatio. 151
Satisfactio peccatorũ necessaria. 64. eius fructus. 64. opera. 66
Scholasteriæ quibus conferẽdæ. 125
Sedis Apostolicæ in omnibus salua authoritas. 33.180
Seminarium Clericorum. 122
Senense Concilium. 80.90
Simoniaca labes prohibetur. 96.105. 144.147
Societatis Iesu Clericorum religio. 159
Subdiacon. 112. qui ordinandi. 120. eorum ætas. ibid.
Suffragia fidelium pro animabus defunctorum. 150
Superstitio quid sit. 105. tollenda est in cultu sanctorum. 152. & in aliis. 151
Symbolum fidei. 4
Synodus diœcesana. 135
Synodus prouincialis quotannis celebranda. 135. diœcesana. ibid.

T

TAbernas Clerici vitent. 107.142
Tempora, quibus nuptiæ prohibentur. 133
Testes contra Episcopum quales. 55
Testiũ numerus in Matrimonio. 129
Timore salus comparanda. 20.24.61
Titularium Episcoporum licentia correcta. 70.72
Toletanum Concilium. 3
Tonsura. 95. 112. 118. prima quibus non confertur. 117
Traditiones Apostolorum. 9. 14.17. 101.102.113.
Translatio simpliciũ beneficiorũ. 98
Transubstantiatio. 49
Turnorum lucra. 144

V

VAgantes non facilè ad matrimonium admittantur. 132
Velum moniale. 160
Vestitus Clericorum. 142
Vestes Ordini congruentes debent semper deferre Clerici. 75
Venationes Clerici fugiant. 142
Vicariæ. 135
Vicarij quando in beneficiis curatis constitui debeant 29.35.36.98
Visitandi ius quæcunque pia loca, est Episcopi. 109
Visitatio. 136.139
Visitationum quis finis. 136
Visitatio Reliquiarum. 153
Vnctio extrema cur instituta. 66. est verum Sacramentum. 70
Vniones. 35
Vniuersitatibus indulta cõcessa. 148
Vocem in capitulo habere. 108.134
Vota regularium. 153. Monialiũ. 160
Vxores plures habere, Christianis non licet. 127

X

XYsti IIII. decretum de conceptione Beatæ virginis. 10

FINIS.





